

1726.

Emptus ab Mrico Abbate, conctabat
Polileo — — — "4R: " — — —
Comptura Friburgi — — — 50 X.









COLUMNÆ
MILITANTIS
ECCLESIAE,

SIVE

SANCTI, ET ILLUSTRIS VIRI,
EREMITÆ PRIMI,
ANACHORETÆ,
ORDINUM REGULARIUM
INSTITUTORES,
PROPAGATORES,
REFORMATORES,
ÆNEIS FIGURIS EXCISI,
ELOGIIS DILAUDATI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

SUMPTIBUS

VIDUÆ CHRISTOPHORI WEIGELII

CIVIS NORIMBERGENSIS A. C. MDCCXXV.

COLLUMNAE
MILITANTIS
ECCLESIAE
SIVE
SANCTI ET ILLUSTRIS VIRI
EREMITAE PRIMII
ANACHORETAE
ORDINUM REGULARIUM
INSTITUTORES
PROPAGATORES
REFORMATORES
ANERIS FIGURIS EXCUSI
ELOGIS DIADATI
GUM PERMI...
VIDUE CHRISTOPHORI WISGELII
LUDWIGSBURGENSIS A. G. MDCCXX

Boya

M
1622



SACRATISSIMIS,
^{AC}
RELIGIOSISSIMIS
CATHOLICÆ ECCLESIAE CHRISTI
ORDINIBUS,
TOTO ORBE TERRARUM DIFFUSIS,
VIRTUTE, ET SCIENTIA FLORENTISSIMIS:
EREMITICEN, COENOBITICEN, MONASTICEN,
CLERICORUM REGULARIUM,
VEL
IN COMMUNE VIVENTIUM INSTITUTUM
PROFESSIS;
^A
SUPREMO OMNIUM ORDINUM AUCTORE
DEO
ANTE SECUA
AB ÆTERNO ORDINATIS,

) (2

IN

IN TEMPORE
MAXIMO CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ BONO
CONDITIS:

QUOS
SECUNDUM DIVINÆ PROVIDENTIÆ,
ET SAPIENTIÆ CONSILIUM

SANCTISSIMI SPIRITUS

AFFLATU EXCITATI,

SANCTI, ET ILLUSTRES VIRI

INSTITUERUNT,

REFORMARUNT,

PROPAGARUNT:

ROMANI PONTIFICES

SANCTÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS ORACULO

APPROBARUNT;

PERENNEM VOVENT FELICITATEM

SACRÆ LUCUBRATIONIS HUIUS

EDITORES.

VI

2 X

LECTORI



LECTORI PIO, ERUDITO, BENEVOLO.

Nuncupatio opusculi mei Tibi debita,
Pietatis, Eruditionis, & Benevolentiae Tuæ est Elogium.
Pium & Eruditum Te veneror: hæc laus tua;
Benevolum te mihi polliceor: hæc laudum tuarum coronis,
Lucubratiunculæ meæ gratuita erit merces,
Et quid tibi facilius: meo commodo, nullo tuo incommodo,
Quàm bene velle, hoc est, benevolè foliola mea lectitare?
Si Pius & Eruditus es: quia vis,
Malè velle non potes;
Et vel ideo, si modò velis:
Penè dixerim, licèt nolis; benevolus esse debes.
Primum benevolentiae argumentum id mihi à te expeto:
Ut Lectoris nomen tantisper seponas, dum Spectatorem agas.
Propylaum fronti præfixum inspice,
Quod te respicit: ut benigno illud obtutu digneris.
Sacratissimis ac Religiosissimis Ordinibus
Hanc lucubrationem inscriptam vides:
Jure merito his dicatam asseres,
Nec alteri, quàm huic Nomini, sine injuria sacrandam.
Speciosam Incarnati Numinis, Divinissimi Agni Sponsam spectas,
Non habentem maculam, aut rugam:
Sponso jugatam, qui *speciosus est præ filiis hominum.*
Suo in augustali confidet,
Pro qua stat sedens ad dexteram Patris.
Majestatis & quietis index, hic situs est:
Nemo hanc turbare, nemo illam contemnere audeat;
Eadem in terris pollet potestate,
Qua in cælis omnipotens rerum omnium Conditor.
Exaltata in petra, quæ Christus est, casum nescit:
Innixa Illi, per quem stant omnia.
Non commovebitur in æternum
Ullo persecutionum *Fulmine*, ullo *Flamine* adversitatum,
Ullo tribulationum *Flumine.*
Nequicquam Eam Orcus, & fœderati Orco hostes impetunt.
Haud impunè laceffitur: tantò semper gloriosior,
Quantò de victoria certior;

Nullo tempore fastuosas inferorum portas adversum se prævalituras.
Confirmavit COLUMNAS Ejus Divina Providentia,
 Quæ in sua dispositione nec falli, nec fallere potest.
Steteruntque in ORDINE suo
 Secundum beneplacitum Illius,
 Qui ordinavit omnia in mensura, & numero, & pondere.
 Sanctos & Illustres Ordinum Fundatores
 Columnas Militantis Ecclesiæ dici, ne mirare:
 Nec hoc splendidum nomen cum arrogantia nota ab ipsis usurpatur,
 Quod iisdem æqui bonique vindex Veritas dudum imposuit.
 Stat his suffulta Christi Ecclesia,
 Et easdem, à quibus sustentatur, sustentat.
 Stabit his stantibus: &, dum stabit Ecclesia, Columnæ stabunt,
 Firmissimo suo in Fundamento stabilitæ:
 Quod nulli ruinæ obnoxium est.
 Debent hoc Religiosorum Cœtuum Auctores Matri suæ:
 Quod à Filiis suis fulciri velit,
 Quos in Columnas adamantinas solidavit,
 Iisdem Ecclesia fert in acceptis:
 Quod copioso fœtu fœcundata,
 Plurimorum facta sit Mater Filiorum.
 Lustrato propylæo, seriem sacrarum Imaginum Spectator percurrere,
 Exhibentur figuris æneis excusi
 Religiosissimorum Ordinum gloriosi Parentes.
 Non sunt prototypa: quæ dare non licuit, cum non suppeterent,
 Imò si suppetiissent, majestate sua scalpri aciem hebetassent.
 Filii Patrum suorum viva sunt eçtypa:
 Rudi illos in icone spectant, & dum in his relucet Filii,
 Aspectu suo singulas reddunt nitidiores.
 Seipfos in Illis, illos in se ipsis conspiciunt,
 In quibus vivunt Patres eorum.
 Num Filiis gloriosius,
 Quod in ipsis Parentes vivant superstites?
 An parentibus honorificentius,
 Quod sibi simillimos Filios genuerint?
 Percontari hic te lubet amice Spectator,
 Quid de cælaturæ, quam spectas, arte sentias?
 Si, qualis esse deberet,
 Scitam lucis umbræque combinationem dicas: falleris,
 Nihil, quod lucis est, suum reputat,
 Umbram sibi duntaxat vendicat.
 Stylo ferreo adumbrati sunt Sancti Sanctorum Ordinum Progenitores.
 Fulgidissima virtutum suarum luce
 Pii Filii Parentes suos sic in seipsis depinxerunt:
 Ut in singulis Filiis reniteant
 Singulorum Patrum suorum illustrissimæ effigies.
 Multùm se illi parentibus suis obnoxios sentiunt,
 A quibus secundum carnem fuere geniti mortales.
 Plus sacratoribus Genitoribus suis debent:
 Quod se mundo ereptos, Deo in spiritu regenerarint;
 Ut immortalitatis beatissimæ fierent candidati.
 Hoc nempe, ut suis optimè consulerent,
 Sanctorum Parentum unicum erat consilium:
 Maxima penè hominum parte evacuare mundum,
 Qui in mundo extra mundum viventes,
 Divino famulatu aternùm dicati,
 Mundo in maligno posito, suisque malis fatiscenti succurrerent,
 Cum opimis aliquando animarum manubiis
 A Militante Ecclesia ad Triumphantem transirent,
 Innumeris cælum coloniis implerent.
 Hoc opus, hic labor est Filiorum non degenerum:
 Sanctissimis Conditorum suorum legibus insistere,
 Dei gloriam ubique gentium dilatare,
 In salutem proximorum indefesso zelo incumbere,

Ortho-

Orthodoxæ Ecclesiæ incrementa promovere:
 Sic denique Deo servire in terris;
 Ut cum eodem olim regnent in perpetuas æternitates.
 Illud, Spectator oculate, nisi cum talpis cæcutiamus,
 In Religiosissimis Ordinibus mecum luculenter suspicis:
 Ea, qua par est, animi demissione grataris:
 Hoc, quod amplissima Eorundem in Ecclesiam merita sibi exposcunt,
 Sincerissimo affectu Sacratissimis Religionibus auguraris.
 Spectatorem nunc exue, & Pium rursus indue Lectorem.
 Priusquam Sanctorum & Illustrium Virorum encomia legas,
 Qui Militantem Christi Ecclesiam, toto orbe terrarum diffusam,
 Sacros Cœtus condendo, reformando, propagando illustrarunt:
 Operæ precium duxi tuam celebrare Pietatem;
 Ne de his forsitan me minùs piè scripsisse autumes:
 Et tum non minùs in Magnos hos Dei Servos,
 Quàm in te ipsum haud mediocriter forem impius.
 Piè, ut par est, de singulis mecum sentis.
 De singulis me piè scripsisse:
 Si minùs; piè scribere voluisse scito.
 Insignia illorum gesta adduco:
 Majora tamen gesserunt;
 Quàm ut credas, me de ipsis dignum aliquid prompsisse.
 Temerarium hoc meum fuisset consilium.
 Laudassem cum palmari injuria Dei Sanctos,
 Qui in Sanctis suis laudatur:
 Nunquam tamen dignè laudari potest.
 Testem te meum, Pie Lector, præprimis eligo:
 Quòd sanctè protester, de Sanctis me his in paginis sic lucubrâsse omnia;
 Ut singula ad jota usque unum & apicem judicio S. Sedis Romanæ subjecta velim.
 Quisquis ab hac dissentit: nec rectè, nec piè sentit.
 Veritatis Illa, Fidei, Morumque Magistra est:
 Fallitur, quisquis sensu suo abundans,
 Hanc falli, sine hac se rectè sapere putat.
 Servantem, & observantem me eorum palam profiteor:
 Quæ Urbanus VIII. Pontificia sua constitutione servanda decrevit
 Lucubrantibus Vitas & Acta Sanctorum.
 Plurima virtute Dei à Sanctis & Illustribus his Viris patrata signa recenseo:
 Si quæ nondum Vaticano Oraculo rata habeantur;
 Rata haberi nolo:
 Nec aliam ejusmodi miraculis fidem dari cupio,
 Ac quam merentur, humanam nempe, errori obnoxiam.
 Si quem Beatum, vel Sanctum nominassem:
 Quem horum numero Roma nondum inseruit;
 Ne me Romæ injuriosum esse proclama, quam offendere grande nefas.
 Non id stylo Romano, sed vel pii Christiani vulgi parcemiâ me protulisse,
 Vel errâsse potius, & innocuè ignorâsse existima:
 Quàm impium & inobsequentem Sanctæ Matris filium fuisse suspicare.
 Plura scripsi Rhetoricè, quæ fors minùs Theologicè,
 Imò secundum Poëtices libertatem, suis tantùm legibus adstrictam,
 Rigidior Censor scripta redarguet.
 Non Critico Zoilo, lividoque Momo has chartas inscripsi,
 Qui lusciosis suis oculis eas fascinent.
 Columbino tuo oculo, Pie Lector, sacratæ sunt.
 Tibi à Superis dari opto, quod sibi Momus perperam exoptavit.
 Pateat tibi cor meum: lustra, perlustra, nihil in eo videbis,
 Quod à Pietate alienum in pennam meam fluxisset.
 Non adversantur argutiæ Rhetoricæ Theologiæ, si Christianæ sint.
 Nec ideo Theologus quis esse desinit:
 Qui acutioris scriptionis generi se accommodans,
 Sic ludit: ut Theologiæ non illudat.
 En! quàm Pietas tua ad omnia tibi, mihi que sit utilis,
 Pius esto interpret, & omnia piè scripsi.
 Eruditum te, Lector, suspicio: virtuti scientiam junxisti,
 Eruditionem tuam celebrare debeo, timeo laudare.

Calles exactè sacram profanámque Historicen,
 Quam vix extimis labris delibavi:
Qui omnem ætatem aliis Studiis vel discendis, vel docendis exegi.
 Historicum & Chronologicum me esse diffiteor.
Veniam dabis, si me alterutro in foro claudicasse deprehenderis.
 Mitio rem crisin à tua eruditione hoc solo capite mereor:
 Quòd simplicem Hagiophilum me esse confitear.
Celebro Sanctorum Ordinum Fundatores, & Instauratores:
 Ordinem Ordinum servare satagebam,
 Non servavi, nec servare potui.
Litigant de hoc Ordine Ordinum laudatissimi Historici:
Qui ego me scire id asseram, quod Majores mei vel ignorârunt,
 Vel ad amussim scire nequicquam studuerunt.
Nihil hic ego, tuam, Lector, appello Pietatem & Eruditionem,
 Ullius Sacræ Familiæ antiquitati præjudicatum iri volo.
 Si quam recentius ortam seniori alteri præposui:
 Hanc illi ideo postponendam nequaquam judicavi.
 Sint singulis sua jura, nulli sum injuriosus.
Fortuitò id mihi excidisse, nec deditâ operâ factum esse crede.
 Acta Institutorum ex fontibus ipsis dare constitui.
 Multa dedi ea fide, qua probatissimi Auctores referunt.
 Plura reticui, quæ angustia chartæ hujus non admisere:
 Nonnulla de aliquibus sileo loco uno, quæ alio adduco.
 Nec pauci defuere, quorum facta me penitus latebant.
 Casso labore in ea inquisivi: nec aliud reperire licuit,
 Quàm Conditoris & conditi Ordinis nomen.
Trans maria ob temporis parsimoniam, quod scriptioni præfixeram, excurrere nolui.
 Arnum, Boactum, Æsarim, Padum, Scaldim, Istrum trajeci.
 Recurri ad amicos, nunquam visos: & dubitanti fideliter succurrerunt.
Viros Ordinum Conditores Elogiis dilaudavi, non Viragines Conditrices,
 Has alteri laudandas, ad quod mihi otium non suppetit, transcribo:
 Quisquis devoto huic sexui addictus eam operam assumere volet.
 Exlegem me demum dices, Lector Erudite,
Qui leges arguti concisique styli præter expectationem tuam sæpe transilii.
 Longior sæpius fui, qui brevior esse debuissem.
 Frequentiores argutias te lecturum speras, & desideras:
 Quæ tamen sæpissime desiderantur.
 Limâ, lubens fateor, opus habet
 A capite ad calcem usque hiulcum hoc opusculum:
 Hanc tibi relinquo;
Hic Eruditionis tuæ labor, benevolentia insignis erit monumentum.
 Ut censuram tuam subterfugerem: piè te fefelli.
 Ne mea civilitia legendo fastidias: id unum te oro;
 In præfixas singulis Elogiis icones oculos divertas.
Scalprum famigerati per omnem Germaniam Artificis nauseam tollet:
 Quam tibi ineruditi Elogiographi calamus crearet.
 Accusari à te mereor, cum infirmitatem meam tibi excuso.
 Reum me ultrò sisto: nec ideo displicebo;
 Quòd sola Sanctis placendi voluntate hæc scripserim,
 Scribendo deliquerim.
Benevolum te nomino, talem te mihi proba: qualem dico.
 Non laudo benevolentiam tuam: affatim hanc deprædico:
 Cum te Pium & Eruditum dixi.
 Vale, Vive, & opellæ meæ fave: ita vovet

Pietati, Eruditioni, Benevolentia Tuæ devotissimus

Elogiographus.

S. ELIAS



S. ELIAS PROPHETA.

*Galaadites, natus Theſſe. Zonâ pelliceâ ſuccinctus, verſatus in Solitu-
dine, et in ea à corvo quotidie pane et carne paſtus, aram Deo ſruexit
in monte Carmelo, è terris raptus in curru igneo anno mundi 3139.
ante Chriſtum 914. die 20. Julii. Etatis ſue 46.*

1.



S. ELIAS PROPHETA.

En primum Carmeli incolam, Solitudinis Cultorem, Patriarcham Eremitarum!

Quem cum laudare tentaveris: laudum metam nunquam attinges, primo semper in limine hærebis.
Vix nominari potest: nomine suo DEUM & DOMINUM complectitur, principio & fine carentem.

Cum de Eo etiam dixeris omnia, nihil te dixisse erubescas.

Maeste animo! dic fuisse Eliam omnia: qui omnia potuit virtute Omnipotentis.

Dic fuisse nihil: de cujus primordiis nihil memorant Sacrae Paginae;

Genealogia caret: quem mortalem natum, inter mortales conversatum, nec mortuum esse, constat.

Ne a paradoxo abhorreas: vivit inter mortuos, mortuus est inter vivos.

Imò nec vivus, nec mortuus est: sed mortalis immortalis; ibi vivit: ubi mors prognata est.

Vescitur ibi de ligno vitæ: unde exulare iussi sunt; quos vetitum lignum mori fecit.

Ex umbra tamen gestorum magnitudinem viri conijcere, & effigiatum Numinis Thaumaturgum videre licet.

Cui cum Nomine virtutem prodigiorum communicavit Deus, qui facit mirabilia solus.

Eja age! huc scalprum Divinior Phidia!

Pario lapidi Elogium novissimi lege in veteri Anachoretarum Primicerii incidendum est.

Literis capitalibus pauculas has voces, nunquam oblitterandas in ara:

ELIAS ante Evangelium APOSTOLUS, ante Apostolos EVANGELISTA,
PROPHETA APOSTOLICUS.

Missus fuit: antequam veniret, qui mittendus erat; Dei Legatus ante Verbum Incarnatum.

Messiam evangelizavit: quem in Carmelo sub typo nubis nasciturum de Virgine agnovit.

Eundem in Horebi vertice in Spiritu, Igne, & Sibilo auræ tenuis vidit, & adoravit:

Thaboræo in monte gloriosum in carne spectavit.

Vitam vixit Apostolicam, ante edita consilia Evangelica, pauperem, castam, obedientem.

Paupertatem vili è lacerna collige: zonâ pelliceâ accinctum renes suspice.

Alumnus fuit corvi & viduæ: in deserto & Sarephta Sidoniorum prodigiosè pascus.

Paruit famelico Prophetæ volucris carnivora: quæ Noëmo in arca non obtemperavit.

Bis de die edulium attulit: ciboque ipsa abstinuit, quæ post cataclysmum cadaveribus se pavit.

Efurianti rursus Sarephtana mulier panem parvulum coxit: ne cum filio mater fameret.

Virginitatem coluit, priusquam Deus-Homo ex Virgine natus Virginitatem commendaret.

Adamavit Virtutem pulcherrimam: in Mosaica lege, si non probrosam, certè incognitam.

Ut Regi Regum obediret: Ejusdem mandata ad capitis usque discrimen executus est.

Funera, famem, sinistram belli aleam Regibus imperterritè prænunciabat:

Ad imperium Numinis montium juga & deserta, urbes & aulas percurrebat.

Signis & prodigiis Apostolum se comprobavit: Deo obsequens dominium in elementa indeptus.

Aëreas nubes precibus oclulit, ne pluerent: terram sterilefcere jussit annos tres, menses sex.

Eandem denuo post referata oratione cæli ahenei ostia frugiferâ pluviam fecundavit.

Pallio Jordanem percussit: sensit verbera fluvius insensibilis;

Ictum pro imperio habuit: divisusque in partes transitum per siccum lubens indulsit.

Ter cælo ignem excivit: paruit illico cælum ignisque igneo Prophetæ.

Decidit flamma, ut consumeret holocaustum, & nutantium in fide Israëlitarum frigida corda succenderet:

Bis deinde; ut duos quinquagenarios cum ducibus ipsorum ab Rege infideli missos concremaret.

Morti ipsi imperitare visus est: orba luminibus cæcè obedivit, surda jubenti obaudiit.

Oravit Deum, & exoravit; defunctum altricis suæ filium ad vitam resuscitavit.

Bis in hospitam suam munificus: ne privata conjuge & nato mater, bis vidua foret.

Filium à morte revocatum pro hospitii mercede matri reddidit:

Ne mater cum filio esurie tabesceret, cum famerent omnes;

Lecythum olei in torcular jugiter manans: hydriam farinae in molam vertit perpetim fluentem.

Apostolum audiisti: zelum Apostolicarum virtutum principem num in eo desiderari autumes?

Audi Biblicum oraculum: Surrexit Elias, quasi ignis: & verbum ipsius quasi facula ardebat. *Eclli. 48.*

Zelo zelatus pro Domino Exercituum, quadringentos quinquaginta pseudo-prophetas occidit:

Vitâ indignos; qui, vivo Deo rebelles, Deos mortuos adorabant.

Deo duodecim è lapidibus aram erexit, & immolatâ victimâ faxea Israëlitis corda emollivit.

Achabo & Jezabeli talionem prædixit.

Ut vinea impio regi cederet: cædi jussus est, lapidibusque obrui innocens Naboth.

Sanguis sanguine expiandus erat: canibus esca & potus uterque idololatra destinatur.

Achabi in prælio occisi cruorem canes linxere:

Ejectam è solario Jezabelem, equorum calcibus contritam, canes devoravere.

A

Infame

ELIAS PROPHETA

Infame hoc supplicium infamissima mulier promeruit:
Stibio se pinxerat, quam tot scelera deturpabant.
Ferarum facta est pabulum: quæ feris omnibus crudelior erat.
Mortis sententiam dixerat in Prophetam: quòd Baali illuserit,
Quòd Popas Baalis jugulârit: mox ipsa suum jugulum fractura.
Proh amariorem morte mulierem! mori maluit Elias, quàm pati à femina:
Feminam timuit, & fugit; non mortem:
A morte in finem usque mundi reservatur, qui in deserto, ut moreretur, Deo supplicabat.
Hominum tyrannidem fugerat: & sub umbra juniperi dormiens ab Angelo invisitur.
Cui femina furens vitam eripere constituit: cælestis genius famulari cœpit.
Pro Dapifero Angelum nactus: bis appositum subcinericium panem edere jussus est.
Epulas has Angelicas fuisse, ne dubita: Panem Fortium attulit Minister cælicus.
Typus is erat Panis Angelici, umbra Panis Eucharistici.
Hic olim in Castello Emmaus frangendus duorum discipulorum oculos aperturus erat:
Ut Dominum cognoscerent è sepulchro vitæ redditum immortalis;
Illo saginandus erat Prophetam Apostolicum: ut post quadraginta dierum iter & jejunium
Deum, quantum fas est homini viatori, videre mereretur.
Transfigurato subinde Evangelii Auctori in monte adstitit,
Cum Moyse veteris legis præcone, in consortio Apostolorum Apostolus ipse & Evangelista:
Collocutus Verbo Incarnato, eadem gloriâ à transformato Domino afflatus.
Quid mirum, Eliam in Christi & Apostolorum societate videri: cum Christus ipse Elias esse visus sit?
Gravis error: Conditorem Eliæ Eliam dicere; non errârunt:
Qui Eliam pro Deo zelantem, typum Christi pro Domo Dei zelantis dixere;
Postquam seipsum Dominus in Evangelio Eliæ comparare dignatus est. *Luce cap. 4.*
Spiritu demum Apostolico sic abundavit, ut eodem alios locupletaverit:
Suo tamen nunquam imminutus.
Duplicem Magistri sui spiritum, ut petiit, sortitus est Elisæus, è bubulco factus Prophetam.
Joannem in spiritu & virtute Eliam esse æterna Veritas pronuntiavit.
Fuerat Joannes Elias mysticus: Elias præcursor præcursoris Domini;
Uterque duplicis adventûs Christi præcursor: Joannes primi, secundi Elias,
Ut à functionibus Apostolicis tantisper quiesceret zelosissimus Prophetam:
Dum cursum Apostolatûs sui cum fine mundi terminaret;
Igneo curru impositus, igneisque ab equis in cælum translatus est.
Effedum hoc triumphale Prophetam decuit Apostolicum;
Qui Achabum cum Jezabele, tot Numinis hostes, idololatriam, ignem, mortemque ipsam devicit.
Ne quære, ubinam gentium degat? quid agat tot prodigiorum Thaumaturgus?
E terris ablatum cælum petiit, veteris vel novi paradisi inquilinus,
Vivit etiamnum vitam cælestem in jugi Dei contemplatione.
Vivit ex Verbo Dei, sine cibo & potu corporeo Spiritûs deliciis abundat:
Enochi contubernalis, æternitatis candidatus cum eodem terras reviset:
Ut tot iam seculis martyr in voto, sub mundi finem pro Christo vitam daturus occumbat.



S. IOAN-



S. JOANNES BAPTISTA

*Hebrone civitate Juda natus. Sanctis Parentibus Zacharia et Elisabeth Binulus
 in eremum secessit, in qua vixit usq. ad annum aetatis trigessimum. Peni-
 tentiam et Christum praedixit, quem in Jordane baptizavit. Fuit Princeps
 Monachorum et Anachoretarum. Prophetarum maximus jussu Herodis Antipa
 unminutus capite Martyr obiit d. 29. Aug. AC. 32. aetat. 33.*



S. JOHANNES BAPTISTA.

Arduum Elogii genus, laudare Eum: qui omne Elogium transcendit.
 Hominum linguis celebrari nequit: qui naturæ gratiæque limites transfiliit;
 A facundissimo Patris Verbo tot præconiis disertissimè laudatus.
 Sed monstrosum foret silentium: tacere de Voce;
 Ut ut concinnare Illi laudes penna refugiat: quem Conditor omnium solus dignè laudare novit.
 Unum superest encomium, quod nec eloqui, nec filere libet:
 Attonita duntaxat mente obstupescere licet;
 Si, Lector, mecum JOANNEM venereris:
 NATURÆ & GRATIÆ PORTENTUM.
 Conceptus è sterili Matre, utrumque Parentem cæli donis fœcundavit.
 Adhuc in clastro uteri materni libertus Gratiæ effectus.
 Nondum in lucem editus, jam Solem Justitiæ lucidissimus Phosphorus præcucurrit.
 Mundum necdum ingressus, ab originaria labe mundatus:
 Sic Spiritu Sancto plenus erat; ut eodem Patrem Matremque repletet.
 Præco Divini Verbi destinatus, Genitorem reddidit elinguem:
 E muto rursus fecit disertum; cum Vox Clamantis nasceretur.
 Præcursor Domini intra Matris viscera salire cœpit.
 Dum salvare Elisabetham MARIA jusserat:
 In Virgineo utero latitantem Salvatorem mundi agnovit.
 Hunc festivo saltu salutabat: à quo salutem acceperat.
 Montana Judææ nato Puero applausere:
 Et in uno duplex naturæ gratiæque prodigium suspexere.
 Ærumnas infantia nesciit: sexto à conceptu suo mense plenitudine ætatis potitus.
 Virum sapuit: priusquam infans natus esset.
 Imò nunquam infans fuit: qui deliquis intellectus caruit;
 Usu rationis integræ donatus: ut primùm gratiâ inundatus erat.
 Bimulus eremum petiit, ut Anachoretarum antesignanus fieret:
 Ut Angelorum contubernio frueretur; quem nasciturum Angelus nunciavit:
 Quem Propheta, Angelorum Prophetarumque Rex ipse Angelum nominârunt.
 Supparem Angelis in eremo vitam duxit:
 Homine majorem victus vestitusque asperitas demonstravit.
 Solitudinem primus ab exordio Legis gratiæ incoluit:
 Ut innumeri postliminiò monastici instituti sequaces sua legerent vestigia.
 Pharisaorum vitia reprehendit: qui peccato caruit; arrogantiam sua humilitate depressit.
 Agno mansuetior leonino rugitu in genimina viperarum detonuit.
 Primus pœnitentiam prædicavit: qui pœnitentiâ non eguit.
 Peccatores abluit Nazareus innocentissimus.
 Discipulos, ut salutis Alpha addiscerent: fide in Christum cælestis Magister erudiit.
 Primus hominum referatam cælum videre meruit,
 Tot seculis primi hominis postferis clausum.
 Vocem audiit Patris: in Columbæ forma ex Patre Filioque procedentem Spiritum spectavit:
 Cùm Verbum incarnatum in Jordane ablueret, increatæ Triadis Minister.
 Ter felicem fluvium! à judicio sortitus est nomen:
 Cujus undis Judex vivorum & mortuorum, Rex seculorum,
 Immortalis mortali in corpore Homo - Deus tingebatur.
 Næ ille à contactu immaculati Agni sanctitatem indeptus,
 Mundi peccata suo gurgite absorbit.
 Ter felicem Baptistam! Sponsi candidi & rubicundi Amicum, & Paranympum!
 Qui primùm his in aquis sponsam sibi junxerat Ecclesiam:
 Cum eadem olim hymenæi solennia Sponsus Sanguinum in cruce celebraturus.
 Aquis Messiam rectè lavit: ipse pro Messia quondam suo sanguine baptizandus.
 Nihil se esse confessus est Sanctior omnium:
 Quo major inter natos mulierum non surrexerat;
 Uno minor Sanctissimo, Dei & Virginis intaminatæ Filio, Deique Matre Virginis.
 Prophetarum fuit ultimus, & maximus: Synagogæ Hesperus, Lucifer Evangelii.

Redemptorem humani generis digito monstravit, oculis vidit:
Quem absentem alii animo prævidebant, fatidicâ linguâ prædicebant.

Prophetarum fuit veracissimus: licet sibi & Messiaë feralis;

Se minuendum: Illum exaltandum vaticinatus.

Desertum tandem aulâ commutavit, ut pessimi Regis mores in melius mutaret:

Sed scelerum spelæum in aula reperit;

Qui feras inter, & horrida Jordanis tesqua paradisum habuit.

Libenter Joannem audiit Herodes: nec tamen licenter vivere desiit;

Cùm, quod liberet, sibi licere voluit.

Surdum fecit inveterata luxuria, etsi voces illas: *Non licet*, multoties audiret;

Nec tamen castis monitis turpe Veneris mancipium obaudiret.

Peperit Veritas odium obstetricante lupâ.

Perstrinxit infamem adulteri thorum Virgineus Propheta:

Et vinculis constrictus carceri mancipatur.

Incaustum furis cæca libido!

Eclipsim quidem in aula scelerata patitur lucerna ardens, & lucens:

Idem tibi in occasu suo feralis Cometes, tui interitûs, nuncius exoriturus.

Cænam natali suo Rex mœchus adornat: interque lascivas epulas innocentem sanguinem sicit,

Baccho Venerêque turgens olidus hircus fragrantissimum Virginitatis lilium averfatur.

Delirat infelicissimus parricida: cui evanidus salientis feminaë pedum motus

Omne cerebrum excussit.

Saltanti puellæ dimidium regni sui offert, mox integrum amissurus:

Pro throno exilium, scipionem pro sceptro suæ pœnam relaturus tyrannidis.

Nempe ut ex incestuoso Rege fieret purpuratus latro:

Mœchæ Matris, salacis filiaë votis annuit;

Scelus scelere, libidinem sacrilego parricidio cumulavit.

Occumbit in carcere assertæ Castitatis Martyr:

Et trunco adhuc capite suo è disco Regis exprobrat lasciviam

Virgineus Veritatis præco.

Silentium!

Vox Verbi obmutuit: nunquam vocalior; quàm cùm sinu Abrahæ receptus,

Dei-Hominis fecialis degentibus in limbo Patribus attulit evangelium:

Propediem adfuturum Messiam, qui æternæ vitæ Assertor,

Post detriumphatam in Cruce mortem, post contritas æreas inferorum portas,

Vectesque ferreos diffractos,

Nobilem Electorum Senatam, captivam de ergastulo educturus captivitatem

Cælesti invehet Capitolio.




S. PE-



S. PETRUS.

*Galilæus, natus Bethsaidæ, Apostolorum Princeps, omnium Deo-
dicatorum ordinum origo, sedit Hierosolymis annis 5, Antiochiæ
7, Romæ denique annos 24, menses 5, dies 12. Martiriò coronatus
sub Nerone, anno Christi 66, die 29 Junii.*



III.

S. PETRUS.

Obstupefcite cæli & terra, quia gratis venundati estis à Conditore vestro.

Qui vos Spiritu Oris sui creavit: suo in vos dominio se abdicavit.

Homini, quem è limo plasmavit, vos subjecit: ut servo Creatoris famulemini.

Ut unum in vos Dominus & servus: Deus & homo dominandi jus haberet:

Sibi hominem suffecit Deus; qui communi secum potestate vobis imperitaret.

Scitis, cui dictum sit: quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis,

Et quidquid solveris super terram, erit solutum & in cælis.

Oraculum id erat Veritatis æternæ Galilæo Bethsaiditæ denunciatum.

Age nunc, Lector, & pronus Petrum venerare

DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ METAMORPHOSIN.

Ne quære, quis Petrus fuerit? quære potiùs, quid non fuerit? imò utrumque expende.

Ex Simone factus est Petrus, ex arundine Ecclesiæ Petra, ex analphabeto tuba Spiritus S.

Ex errante ovicula Pastor Gregis Dominici, ex filio Jonæ filius Columbæ,

Ex piscatore Apostolus, & Apostolorum Princeps, ex Satana Angelus,

Ex peccatore cælestium gratiarum thesaurarius, ex homine Dei Vicarius.

Nunquid hæc mutatio Dexteræ Excelsi, qui alta humiliat, & humilia exaltat?

Ingenio & genere rudis, sola nobilis virtute, sola clarus simplicitate,

Vocanti Domino paruit: ut mensuram Nominis impleret Simon Obediens.

Ad fretum Genesareth se ipsum deseruit, & reliquit omnia, qui præter retia nihil habuit.

Ut possideret omnia, res mundi omnes proculcavit: in quibus haud aliud, quàm inane nihil.

Pro scapha Cathedram Ecclesiæ, pro retibus cæli claves, pro remo sceptrum pastorale,

Pro modico freto magnum mundi mare, pro Galilæo tugurio cæli terræque Principatum adeptus.

In Thaboræo monte oculos pavit, & ad vocem Tonantis expavit.

Timore penè enectus, dum Vitæ auctorem gloriosum videret.

Hunc adeò adamavit, ut sui immemor, Magistro suo, Moyfi & Eliæ

Tria tabernacula figere constituerit: nescius, quid diceret;

De statione sollicitus: qui cursu Apostolico vix inchoato ad crucem destinabatur.

Audiri hic Filium Pater jusserat, non spectari:

Quocum Petrus non aliam, nisi in cruce olim nancisceretur quietem.

Marmoris instar mare sub pedibus Petri aliquando induruit:

Quid mirum? Petram Ecclesiæ properantem ad Christum venerabatur.

Fidei innixus feliciter liquidas maris undas calcavit:

Nutante fide subsidit; ut Dexterâ Domini dubitantem rursus erigeret.

Sed heu! vel semel Aulam malis avibus ingressus,

Vitia aulicorum mox induit: artem simulandi & mentiendi addidit.

Non noverat ibi ampliùs hominem, quem nuper Filium Dei palàm confessus est.

Aulicissimum esse ratus, suum in commodum negare, & pejerare.

Seipsum nesciit esse Christi discipulum: postquam Magistrum suum deseruit;

Ex Christi discipulo factus mundi Politicus.

Cœpit anathematizare: cum Apostolus fæci aulicæ sese perperam immiscuit.

Refrixit ad ignem Petri in Christum charitas, quem à longè secutus est.

Ad ancillæ vocem in aula exhorruit, & corruit: qui hastatorum in horto acies non timuit.

Cæli clavigerum imbellis ostiaria perjurum fecit: qui pro Christo mori optabat.

Quem defecta mutilati militis aure unâ abhinc horâ defenderat,

Hujus ne nomen quidem inter Aulicos audire voluit.

Negantem in nocte Petrum non miror: Sol veritatis tum illi eclipsatus erat;

Dum Christus illusus stetit coram Pontifice, Ministro Principis tenebrarum.

Ulula abies, quia cecidit Cedrus. *Zachar. c. 11. v. 2.*

Imò tibi applaude peccator, quia cecidit Petrus: ut tu respisceres.

Pronum erat Petro in aula cadere: ubi vix ulli diu stare conceditur.

Gallicinium expectat, ortumque solis: ut è veterno suo exurgat.

Cecinit gallus, & flere cœpit Petrus: nec flevisset;

Nisi fulmineis Christi oculis hæc petra in lacrymas eliquata fuisset.

Ut fleret amarè, aulâ egressus est, in qua Christus irrisus erat.


Amaris his ab undis extincti amoris igniculi prodigiosè accendi debuère.

S. PETRUS

O

Expiare linguæ delictum visi sunt gemini oculorum fontes:

Lacrymæ in gemmas concrefcere pro fabricanda corona gloriæ, quæ pœnitentibus debetur.
 Nec prius lacrymari desiit Petrus, quàm vivere: ut violatam fidem redintegraret;
 Qui moriturum se prius pro Christo spondit, quàm negaturum
 Ter negavit, ut semper fletet; semper fleuit; ut posthac nihil dignum lacrymis patraret.
 Etiamnum Petra Ecclesiæ firmior persistit, licet olim ceciderit Petrus.
 Imbecillitas hæc erat humanæ naturæ: illud Divinæ gratiæ portentum est.
 Cecidit Petrus, cujus auxilio tot in profundum lapsuri peccatores erigendi erant.
 Fleuit Petrus, ut lacrymantem imitarentur, qui peccantem secuti fuerunt.
 Chrystillini instar speculi lacrymas Petri intuere:
 Quisquis Deo perfidus cum Petro factus es; ut in pœnitentiæ undas colliquefcas.
 Lacrymanti demum epigraphen adjice: Unda dedit flammam, & dedit ignis aquas.
 Ad focum concepit lacrymas, ubi ter Dominum negavit:
 Inundans lacrymis ter postea amoris Divini incendia eructavit;
 Coram omnibus contestatus, quod plus omnibus Christum diligeret.
 Desine lacrymarum, Petre! negasti: sed fleuisti; sed plus aliis dilexisti.
 Accipe nunc præmium tui amoris: pascere oves Christi juberis;
 Ne fletu oculos extingue: vigilandum est pro grege Pastori Supremo.
 Bis dormiit Petrus, in horto, in carcere: utrobique increpatus; ibi à Christo, hic ab Angelo.
 Nocens ille somnus trinam peperit negationem: innocuus iste erat;
 Quod vincus catenis mortem ab Herode latus opperiretur: nisi fontem malis;
 Cum orante pro Petro tota Ecclesiæ dormiret Petrus, excitandus ab Angelo.
 Sed sua sit dormienti venia: cui pro ovili Dominico tot annis excubandum erat;
 Cujus ope extremo de lethargo tot rei læsæ Divinæ Majestatis erant evigilaturi.
 Prodigiousam veneror Christi fimbriam hæmorrhoidis sospitam:
 Prodigiousior fuit inanis Petri umbra, quæ tot languentibus medebatur.
 Claudum Thaumaturga manu sua crexit: qui quondam ipse ter prolapsus fuit.
 Fuerat Petro Christus scandalum: scandalum fuerat Christo Petrus.
 Crucem amoliri à Magistro contenderat discipulus, & Satanæ dictus est.
 Profugerat Petrus: cum ad mortem crucis Dominus raptaretur.
 Desiit subinde crux Christi Petro esse scandalum: desiit Petrus Christo esse Satanæ:
 Uterque in cruce obiit: Magister pro discipulo, discipulus pro Magistro.
 Mangonem Spiritus S. primus Simoniacæ labis vindex ex aère præcipitavit.
 Volare in cælum contendit magus, & in terram fractis cruribus ad Petri imperium decidit.
 Ut rectà in cælum abiret Petrus, inversus cruci affigi voluit.
 Caput terræ, cælo pedes obvertit: ut Ecclesiæ regimen successoribus transcriberet,
 Ipse ad capessendam caelestem gloriam procurreret.
 O miram tot facinorum Apostolicorum vicissitudinem! ô miram Divinæ Omnipotentia Metamorphosin!
 Desiit Petrus in terris esse metamorphosis: ut primùm à Spiritu S. repletus, & stabilitus,
 Hierosolymis, Antiochiæ, & Romæ sua in cathedra Princeps Ordinis Hierarchici sedit annos 36.
 Non desiit esse Petra Ecclesiæ, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.
 Superstes est suis in posteris: his Christi Vicariis sibi primo commissas claves reliquit:
 Ipse felicissima metamorphosi Cæli Janitor effectus.



S. CY-

M
S. CYRIACUS.



S. CYRIACUS.

Hebraeus, dictus Judas, post baptismum Quiriacus, sive Cyriacus. Hierosolymorum Episcopus XV. Ordini Cruciferorum initium dedisse fertur: quorum aliqui in Syria eremiticam professi vitam, alii in Italia commemorati. In Lusitania, et Belgic hodie supersunt: hic degentes sub regula S. Augustini exordia sua sumpserunt A. 1248. Martyr obiit sub Hadriano Imperatore, die 4. Maji. A. C. 157.

4.



IV.
S. CYRIACUS.

Uno elogio effigiari non potest:
 Qui plura nomina ominosa indeptus: plura promeruit encomia.
 Unico tamen encomio abunde celebrabitur Cyriacus:
 Si elogio symbolum subrogetur.
 Crux symbolum Cyriaci: crucis elogium est Cyriacus;
 Elogii CRUX SYMBOLUM.
 Judaico è fenticeto rosæ instar progerminavit.
 Bis purpurato flori similis: bis sanguinem fudit.
 In aurora jam rubuit, lapideo cultro fauciatus,
 Erubuit subinde fervile vulnus:
 Quod ignarus post abolitæ Mosaicæ legis rigorem sustinuit:
 Pulchrius rubuit in occasu:
 Et ignobile stigma suo rursus cruore eluit.
 Non jam Moysis verna: sed Crucis libertus, purpuratus Christi Martyr.
 Hierosolymis natus, renatus, denatus.
 Civitatem sanctam ter patriam habuit:
 Bis ipse Sanctus; cum renasceret, & denasceret.
 Judas in circumcissione: post baptismum dictus Cyriacus,
 Cum superstitione Judaica nomen Christianis invisum deposuit,
 Nil olim Judæ nomine nobilius: nil hodie ignobilis.
 Quis Judæ Israël filio felicior?
 Regali sceptro inclytus fulsit: illustrior multò;
 Quodd Conditoris sui fuerit conditor, Dei Filii proavus.
 Inter nepotes Deum habuit: qui à Juda dici voluit Judæus.
 Tam gloriosi nominis splendorem alter Judas offuscavit:
 Qui, editum de tribu regia Judæ, Filium Dei prodidit.
 Quàm inane: pulcherrimo nomine gloriari;
 Si ab alterius cognominis parricidio deturpetur.
 Eodem nomine incarnati Numinis Avus, & Deicida appellatur.
 Aspersam innocenti nomini labem virtute sua vindicavit Cyriacus:
 Judæ nomen Cyriaci cognomine nobilitavit.
 Judas Cyriacus dictus: utrique nomini sanctitatem addidit;
 Utriusque nominis ominosi mensuram implevit,
 Judas confessionem, dominium indicat Cyriacus.
 Ut primum Christum confessus: ad Crucem Domini transiit;
 Hebraico servitutis jugo emancipatus,
 Christianæ libertatis dominatu potiri cœpit.
 Judas Cyriacus dictus: Christi confessor, & Dominus fuit.
 Utroque nomine sacris fascibus, & agoni suo prælusit.
 Confessione Judas & Martyr; mitrâ ac cruce Cyriacus Antistes.
 Bis Martyr, bis Patriarcha.
 Ibi fidem Christi prædicavit: ubi Christus crucifixus.
 Ibi Messiam popularibus suis confessus:
 Ubi Filium Dei Cyriaci Majores negaverunt.
 Divexabatur Ecclesia, & civitas sancta à gentilibus & Judæis:
 Primum hoc Cyriaci erat martyrium:
 Quodd in suis & pro suis ovibus pastor pateretur;
 Sævius hoc cordis fuit supplicium: altero corporis martyrio.
 Dira à crucis inimicis perpassus: post immania tormenta,
 Ibi pro Christo cecidit: ubi Crux Christi stetit.
 Ibi capite imminutus: ubi Christus in Cruce exaltatus;
 Ex osore quondam crucis: ejusdem factus signifer.
 Bis Patriarcha: cum viveret, Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præsul;
 Antesignanus post mortem Cruciferorum: qui sub Cyriaci auspiciis,
 Olim in Syria & Italia: hodie in Belgio & Lusitania
 Crucis tesserâ insigniti Deo militant religiosi.

Eundem

VI

EUCARISTIA

Eundem sibi Præstitem elegerunt: qui sub Crucis labaro bellavit,
 Crucis hostes debellavit.
 Aptè venerantur Crucis cultorem, Christi Martyrem,
 Hierosolymarum Antistitem, qui pro Christo mortem oppetiit;
 Ubi in Cruce Rex Martyrum occubuit.
 Vesti inaratam gestant crucem, aut manu præferunt:
 Quam intimè cordi insculptam habent.
 Salutis namque signum Crux Domini:
 In qua salus, & vita hominum pependit.
 Nemini posthac, nisi è cruce, vitam & salutem sperare licet.
 Corruisset mundus: nisi huic fulcro innixus fuisset.
 Clausum tot seculis cælum nunquam homini patuisset:
 Nisi hæc clavis referasset.
 His gradibus homini fas est cælum conscendere:
 Qui sibi quondam de ligno vetito gradus fabricavit;
 Ut in inferni barathrum descenderet.
 Hoc telo mors ab Auctore vitæ interempta:
 Iisdem devicta armis, quibus ipsa olim vincebat.
 Hæc clava Divini Herculis, quæ stygiam hydram jugulavit.
 Hæc ara misericordiæ: in qua Agnus cælestis victimatus;
 Idem cruento hoc in holocausto sacerdos, & hostia.
 Naufragata esset hominum salus:
 Nisi hæc arca periclitantes ad portum devexisset.
 Crux eadem pacis erat olea, & victoriæ palma:
 Hæc Deus -- Homo hominem Deo reconciliavit;
 Hoc ligno vitæ humani generis hostes detriumphati.
 Hæc inter crucis encomia num de Cyriaco filebimus? minimè.
 Elogii nostri Crux symbolum fuit:
 Cyriacus Crucis elogium, Crux elogium Cyriaci.
 Felix Ancona Dorica, Civitas Fidei!
 Uno tumulo reconditum habes thesaurum pretiosissimum:
 Quo sacros cineres Crucis fideique defensoris asservas.
 Prodigis hic clarent exuviæ Martyris.
 Illud cæteris illustrius: ignem adhuc sub cineribus gliscere.
 Scintillant jugiter: ut corda hominum Crucis amore inflamment.
 Nemo posthac à pecude pecuniam dici existimet:
 Moneta Anconitana hinc Cyriacum: inde Crucem ostentat,
 Nec à Cruciferorum Primicerio Crucis labarum separari debuit.
 Num hoc peculio Anconæ calum venale? ubique.
 Disce Lector: hoc ex salutis symbolo
 Tum de salute te bene sperare posse: cum fueris Crucifer.
 Cruce tibi licet cælum licitari: si Crucem ames, & feras.



S. CHA-



S. CHARITON.

*Iconiū in Lycaonia natus, sub Aureliano Imperatore carceres, et
 immania tormenta passus fidei causā: libertati à morte Tyranni
 redditus, mirā Dei providentiā mortem, à latronibus captus, evasit;
 Eorum opibus ditatus, plura erexit cœnobìa: Monachorum, quibus
 regulam præscripsit, facile 5000 pater. Obiit tempore Julii I. Papæ*



S. CHARITON.

S pectatorem te hic esse volo, Lector.
 Cui spectaculum pro Elogio propono;
 Gratosum, & sanctum, sanctitate, & gratis plenum Charitonem.
 Num comœdia, vel tragœdia sit: ne inquire.
 Drama nec comicum, nec tragicum est: sed utrumque,
 Auctor dramatis, legum conditor ipse, legibus comicis non ligatur,
 Comœdus hic, qui ab ævo lusit in orbe terrarum,
 Cujus delicia: esse cum filiis hominum;
 Quarto æræ Christianæ seculo
 In patulo Lycaoniæ, Syriæque theatro Charitonem,
 Occultum suæ PROVIDENTIÆ LUDUM exhibuit.
 Iconii scenam apparavit Aurelianus Cæsar:
 Obscuro generis homo, nisi tot cædibus Martyrum inclaruisset.
 Personatus Carnifex, sævus sub purpura latro:
 Quam Christianorum sanguine conspurcavit.
 Personam Martyris hac in tragœdia sustinuit Chariton.
 Diis gentium immolare à Præside Cæsaribus jubetur:
 Ridet ridenda Tyranni iussa.
 Gentilium numina docet esse vel inania nomina, vel dæmonia:
 Ex Deorum pluralitate colligi nullitatem Deorum;
 Deum verum ex sola unicitate demonstrari.
 Catastræ imponitur: nova hæc erat tragici ludi catastrophe.
 Bubulis nervis cæditur, & nervorum compages dissolvitur.
 Lasi inter verbera ingemunt carnifices:
 Verberatus in catastro tripudiat Martyr.
 Ut sæpius moreretur: plura tyrannus intulit supplicia:
 Ne uno vitam adimeret, nimiumque crudelis videretur.
 Sæpius è carcere in equuleum, ex equuleo ad carcerem raptatur.
 Lampadibus ustulatur: dissiliunt carnes, patent viscera;
 Ut, quo interna flagrabant præcordia, ignis fieret conspicuus.
 Audi nunc, Spectator: qua libertate declamaverit
 Vincit pro fide, invictus inter vincula & tormenta Christi pugil.
*Magistram popularem meam habui Virginem Martyremque Theclam,
 Paulum Illa Doctorem gentium, fidei & Martyrii habuit Magistrum.
 Utriusque sum in Schola Christi discipulus.
 Eadem mihi, que Theclæ, patria est Iconium.
 Patrium solum, ut Illa suo, meo sanguine purpurabo.
 Rubeat terra, & confusa idolorum superstitio erubescat.
 Iconii Christum prædicavit Paulus: prædico & ego.
 Pro Christo mori gestiit Paulus: & ego.
 Age nunc, Tyranne, ut tuæ libet immanitati.
 Patiar ego: partésque meas agam, ut Christianum decet.
 Mortem effugere nec velle possum: nec velim posse.
 Tanta fortitudine tua sufferam tormenta:
 Quanta crudelitate tu illa inferes.
 Tu pro Diis tuis ad amentiam usque furis:
 Demens ego forem: Si, quem tu odisti, Deum non amarem.
 Nec tu amens esse desines: nec ego amans.
 Vitam eripies: non amorem, nec Deum, qui amor meus.
 Quàm facundè de dilecto disertus amor perorat.
 Sic Chariton declamavit: qui sic amavit.
 Sed idem hic Martyrii prologus fuit, & epilogus.
 Novam in scenam alteri martyrio reservatur:
 Qui pro fide aded vocalis: tot linguis, quot vulneribus, Deum confessus est.
 In carcere interim mutam personam agere jubetur.
 Martyrem fecit Charitonem Aurelianus: parricidium animo consumnavit.*

B

Moritur

Moritur parricida: à carcere dimittitur Chariton, qui pro Christo mori cœpit.
Evanuisse martyrii spem indoluit: peregrinum induit; Martyrem non exuit.

Hierosolymas abit: novum ludi argumentum, & actor.

Pone sanctam civitatem fit præda latronum:

Ex Martyre & peregrino captivus, novis oneratur compedibus;

Qui jam veteranus Martyr vincula & carceres pro Christo tulit.

In speluncam detrusus, morti agnus à lupis destinatur.

Abeunt ad alia spolia, & cædes sicarii: alios interempturi;

Cùm redierint, se ipsos jugulaturi.

Orat interim Chariton in vinculis: & armatæ preces erant;

Quibus exoratum cœlum pro Charitone militaret.

Mirum ergo ludi sui intermedium Divina adornat Providentia:

Ut tragœdia migraret in comœdiam.

Proserpit è spelæo vipera: ad vas vino refertum adrepat;

Liquorem delibat, & veneno delibutum relinquit.

Reduces à rapinis latrones, post haustum viatorum sanguinem

Aridas fauces dulci potu recreant:

Sed amaram cum virulento vino hauriunt mortem;

Unico haustu vitam & sitim extinguunt.

Mortua concidunt funera: à Divina Nemese fulminata.

Decidunt vinciti Charitonis vincula:

Quem parricidæ Libitinæ victimam immolare constituerant,

Intestatò decessere sicarii: ut Chariton hæres succederet;

Malè parti peculii possessor optimus.

Iniquè ablatorum bonorum legitimum adeptus dominium:

Jus conferente supremo, justissimoque rerum omnium Domino.

Sic cum Charitone ludere libuit Divinæ Providentiæ:

Ut ipse Anachoretici ludi fieret Magister.

Hoc igitur Mammona iniquitatis pauperes primùm ditat:

Eandem dein speluncam latronum in speciosam vertit Ecclesiam.

Tot ibidem sacros carceres, quot cœnobîa construxit:

Quinque millium Monachorum Pater;

Ut quot legibus, tot vinculis compediti Deo liberè servirent.

Innumeros Gentiles, & Hebræos sacro latice ablutos,

Bis cælo regeneravit: fide Christi, & monastico instituto initiatos.

Suppliciis Tyranni, latronum insidiis, tot mortibus ereptus:

Ultimam ludi scenam solitarius egit in Cremasto;

Rupi pensili, & inaccessiblei id nomen erat.

Cavernam hanc incoluit: ut terrâ altior, cælo esset propinquior.

Sanctam vitam sancto conclusit epilogo:

Ab eadem Dei Providentia, cujus in terris ludus exitit:

Ad capeffenda æterna præmia, clauso theatri sipario, in cælum evectus.



S. PAU-



S. PAULUS .

Egyptius, 15. aetatis anno eremum petiit, et per 98. annos solitariè vivens, anachoretica vitae initium dedit. Palma victum, et vestitum dabat. postremis 60. annis dimidio pane à corvo pascus, pridie mortis in adventu Antonii integrum accepit. obiit 10. Januar. Anno. C. 343. Aetatis 113.

6.



PLATE

Faint, illegible text, likely a description or caption for the illustration above.

VI.

S. PAULUS I. EREMITA.

Beatissimi cælestis Jerusalem municipes! quotquot olim è solitudine supra astra avolâstis:
Hodie concordia pacisque æternæ cultores; litem dirimite, sacratissimi Eremicolæ!

Pauli nomen in jus vocatur: quia Paulo haud parùm injurium.

Quæstio de Nomine instituitur; ast momenti maximi.

Arbitros vos ego justissimos invoco: æquitatis è trutina, de veritatis genuinæ oraculo,
Non Grammaticorum ex arbitrio quæstionem decidite.

Unâ omnes sententiâ sine dissidio pronunciate: erratum esse in Nomine.

Magnus error: parvum dici; qui in omnibus Magnus fuit.

Major foret error: parvum dici Paulum, nisi Paulus in omnibus Magnus fuisset.

Sed levem errorem dicite, cui, cum nomen non excedat, sua sit venia.

Sat Nominis hic innocens error à gigantea virtute corrigitur:

Quia nihil in Paulo, præter Nomen, pusillum est.

MAGNO ergo EREMITÆ,

Divi tesquarum incolæ palmam ultrò concedite:

Cui palma victum vestemque dedit.

Palmam vobis præripuit: qui primus Eremum subiit; ut vos sequeremini.

Nisi ille præcessisset: duce tam illustri destituti, à recto tramite fors aberrâissetis.

Magni Doctoris Gentium parallelum dicerem Magnum Eremitam:

Nisi Paulus Pauli antithesis: imò antithesis simul & parallelum fuisset;

Alter alteri in omnibus similis, & dissimilis: uterque Magnus.

Lupus Ille rapax, manè comedens prædam: vespere dividens spolia, in agnum mutatus:

Agnus Ille in juvena & senio innocens, ætatem omnem duxit intaminatam.

Spirans Ille minarum & cædis: Dominicum gregem invasit:

Hic Pastori Divino vocanti obaudiens ovicula, ne lupis præda cederet, lupos fugit.

Paternarum Ille traditionum æmulator fuit acerrimus:

Hic prima in puericia orbatus parentibus,

Carnem & sanguinem inimicos habuit domesticos, paternis exuendus fortunis, & vitâ;

Nisi hostes intestinos, opesque omnes deseruisset.

Lapidantibus Stephanum Judæis adfuit Ille:

Hic, ne cruciatus Christianorum, & Gentilium sævitiem in Christianos videret;

In saxum fragosumque montem se abdidit.

Prostratus Ille in terram è Saulo factus est Paulus:

Iste, ne unquam caderet; quindecim annorum adolescens mundum calcavit.

Ex persecutore Christi factus Ille Apostolus:

Hunc persecutio Tyrannorum fecit Christi discipulum.

Mundum Ille peragravit: Iste mundo se subduxit.

Datus Ille in lucem est Gentibus: Hic, licet lucerna esset lucens & ardens, sub modio latere voluit.

Loquendo Ille Nomen Domini illustravit:

Hic tacendo in solitudine Deo servivit.

Vincula Illi hostes: Iste vincula sibi injecit. In carceribus Ille: Hic in speluncis degebat.

Ille ter naufragatus: Iste lacrymis suis jugiter mersus innatavit,

Raptus Ille in cælum verba audit, quæ non licet homini loqui:

Hic è cælo Christum ad se attraxit, quocum sapius collocutus deliciabatur.

Ille sub Nerone vitam finiit: Iste tertio ætatis lustro iam mori cœpit;

Cum vix vitam inchoâisset sub Decio & Valeriano: vivere desiit sub Constantio, sibi semper mortuus.

Profuso Ille sanguine, & demesso capite Martyrium consummavit:

Incruentus Hic Martyr extitit; sui ipsius annis centum tredecim tortor, & carnifex.

En! ut gesta utriusque discordia concordent.

Dispar utriusque vitæ & mortis ratio: par virtus in Apostolo, et Eremita.

Paulus uterque dictus, uterque Magnus fuit.

Apostolo similem spectâstis: Angelis nunc & Prophetis non dissimilem spectate.

Vidit Antonius Paulum, & se in Paulo Angelum vidisse credidit:

In quo nihil hominis: vix rudem hominis umbram viderat.

Naturâ hominem, virtute Angelum esse reperit, visumque à se Eliam & Joannem divulgavit.

Joannes Spiritu Elias, moribus Angelus erat: Paulus Angelus, Joannes, & Elias.

Imò Antonii testimonio bis Paulus: Apostolus & Eremita;

Paulum in Paulo vidit: latitantem in antro, Paulum in paradiso à se visum esse confessus est.

V

S. PAULI EREMITA

Vidit denique Antonius solutam à corpore Magni Eremitæ animam :
 Inter choros Angelorum, Prophetarum, & Apostolorum in cælum ascendentem.
 Nunquid hos comites magna Pauli anima promerebatur, qui Angelis, Prophetis, & Apostolis suppar fuit
 Adhuc cum viveret, Angelo similis erat, totus penè in Spiritum conversus.
 Inediâ carnem macerabat, ut saginaret animam : cibus ipse jejünium fuit.
 Palmarum daçtylis vesceretur : ut de triumphato hoste intestino victor palmam referret.
 Mutavit obsonium Providentiâ Dei, & supremis 60. vitæ annis panem palmis substituit :
 Quem dimidiatum corvus quotidie attulit : integrum semel ;
 Cùm Antonium haberet hospitem : ut servis suis munifica Dei manus annonam duplicaret.
 Obsequentes sibi feras habuit : in quarum contubernio vitam vixit homine majorem.
 Erat hoc luculentum innocentia testimonium, plenum in animantia dominium.
 Ministrum mensæ & promum condum nactus est alitem : leones vespillones ;
 Cibum ille suppeditavit, ut viveret :
 Hi tumulum mortuo apparârunt, ut quiesceret : tristi rugitu, cùm ab Antonio inhumaretur, parentârunt
 Nihil denique, seu cùm viveret, seu cùm moreretur, in se magni passus est desiderari.
 Fuit à morte Christi Anachoretarum Princeps : vixit solitarius, minimè solus ;
 Ignotus mundo, soli Deo cognitus : vixit in mundo extra mundum ;
 Ante fatum funus, vivus adhuc solitudinem pro tumulo elegit.
 Centum ferè annis hominem non vidit : nec ab homine visus, nisi ab Antonio.
 Emundandus sic erat oculus Pauli, qui tot lustris à conspectu hominum abstinuit :
 Ut in æternum Visioni Triunius Numinis adaptaretur.
 Mortuus est, ut vixit. Orantis speciem, levatis in cælum manibus exanime corpus præsetulit :
 Cujus tota vita perpes fuit oratio.
 Ex eremo rectâ vir cælestis cælum petere visus est :
 Qui in Eremito cæli delicias prægustavit : Eremitum ut paradisum incoluit.
 Eremitarum auctor & parens discipulos habuit & filios : sed posthumos, quia à morte genitos.
 Aded sæcunda erat Pauli, virtus in cælo coronata : ut in terris sibi similes pareret.
 Anachoretas primus instituit : non lege condita, sed suo exemplo.
 Plurimi in solitudinem Ægypti concessère : ut Pauli jam mortui vitam æmularentur.
 Translato subinde Anno 1215. Divi Corpore in Pannoniam, Eremitæ S. Pauli dicti,
 In religiosum cætum Anno 1263. coaluère : cui vitam magnus Pauli Spiritus ;
 Regulam S. Augustini dedit Clemens V. Anno 1308.
 Ordinem demum universum propagatum Joannes XXII. confirmavit :
 Cùm Instituti Paulini sequaces, moribus habitûque concolores videret :
 Ex utroque candidos, genuinos cæli candidatos.
 En vindicias Paulini Nominis ! palmaris foret injuria, parvum dici, in quo magna omnia.
 Idem, qui demortuo sacras celebravit inferias :
 Elogium verax Sanctus Sancto, Magnus Magno, Antonius Paulo concinnavit ;
 Cùm Paulum Paulo, Eremitam Apostolo, hominem Angelo, Solitarium Eliæ & Joanni comparavit.
 Sat laudis est : pusillum dici Nomine ; Virtute Magnum, & Paulum esse.



S. AN-



S. ANTONIUS .

*Aegyptius, natus in Urbe Comansi nobilibus Parentibus: iis mortuis in-
eremum concessit, in specu quadam 20. annis latuit: monachis deinde
in unum coactis, ac conditis monasteriis, Cenobitica vite in eremo jecit
fundamenta. obiit Anno 356. die 17. Januarii. Etatis suae 105.*

7



S. ANTONIUS.

Antonium Sancti agnovère Sanctum : num homo fuerit, dubitârunt.

Omnes ceu cælo delapsum suspexerunt : hominem in mundo editum negâssent ;

Nisi Ægyptus patriam prodidisset, Coma urbs natalitia litem diremisset :

Quòd hominem cælestem in terris enixa sit ; qui plurimos cælo Sanctos pariturus erat.

Auro cedroque Nomen Antonii dignissimum : Virtus Antonii ferreo celebranda elogio.

Ferri instar induruit Antonius, quem caro, mundus, & demon infractum sensère.

Eja agite subjugati immanissimî hostes !

Quotquot olim concrepantibus lituis fortissimum Athletam ad arma provocâstis :

Pæana hodie, vel inviti, Victori Proto-Cænobitæ intonate.

En cataphractum in cucullo Militem ! En armatum in cilicio Eremitam !

ALCIDEM DIVINIOREM !

Ortus nobilibus & locupletibus parentibus : à pueritia paupertatem amplexus est.

Ne cæli hæreditate excideret : paternas opes abjecit.

Adolescens parentes amisit : ne se perderet ; si defuncti non essent, à quibus vitam accepit.

Imò se suaque omnia perdidit : ut promissum in cælo thesaurum inveniret.

Nondum ephebos egressus, Divino robore afflatus Martem spirabat :

Ad plurimorum hostium strages destinatus ; quibus innocentiam nihil nocentius.

Imbellis puer sacrae militiæ nomen dedit : prætextam nondum exuit, & jam sagum induit.

Ipso in tirocinio plus milite veterano sapuit.

Audit verba Evangelii : *Veni, sequere me ;*

Bellicam hanc ratus esse tesseram, quâ ad Christi labarum evocaretur :

Ad Crucis signa confugit, fortunis se omnibus spoliavit, in eremum concessit :

Melote se loricae instar induit, præliaturus prælia Domini.

Andabatarum more pugnam exorsus : mundialibus rebus clausit oculos, ne ab iis excæcetur.

Fugiendo Mundum, de mundo triumphavit.

Tutiorem fore credidit sic armatam innocentiam inter leones, quàm inter mundi lascivientis lenocinia.

Quid labores Herculei ? somnia Poëtarum, umbrae, inane nihil :

Quid gesta heroica Antonii ? lux & veritas.

Num seculis pluribus anterior Antonio aliquando fuerit Alcides : sub iudice lis est,

Correxit fabulam Antonius, & se robore suo Alcidem comprobavit.

Sanè vel nunquam Alcides extitit : vel hic unus fuit Antonius.

Thebis Ille natus : Hic in Thebaide Deo vivere cœpit.

In cunis Ille angues elisit : Hic virulentas carnis illecebras jam puer extinxit.

Monstra Ille : Hic vitia domuit. Nemæum Ille : Hic rugientem inferni leonem suffocavit.

Lernæam Ille Hydram confecit : Ille veterosum Tartari serpentem jugulavit.

Gigantes Ille : Ille Gentiles, Philosophos, Hæreticos debellavit.

Regium Augiæ bubile mundavit Alcides :

Antonius tot Sanctorum Anachoretarum Ægyptum incolentium Dux, Pater, & Magister :

Luporum latibula, & leonum cubilia in amænissima cœlestis Regis vertit viridaria.

Theseum Ille ab inferis reduxit, trifaucem Cerberum ligavit :

Innumeras Ille animas hiantibus Orci faucibus eripuit.

Humeris cælum gestabat Atlas, & sub onere fatiscentem succollavit Hercules :

Pax tibi ! Columna Lucis (Sic Antonium salvare jussit Hilarion) quæ sustinet orbem terrarum.

Pro clava Herculis Crux Christi Antonio fuit, quâ hostes omnes superavit.

Apoge vetus paræmia : nec Hercules contra duos.

Unus Antonius immanissimos dæmonum exercitus prostravit.

Ignorasse visi sunt coævi Sancti nomen Antonii :

Missio nomine Antonii, tot victoriis illustrem, Magnum appellârunt.

Fallor ? non appellârunt Magnum ; nomen hoc non appellativum, sed proprium Antonii erat.

Apostolorum proximum vocavit Chrysofostomus, non ætate : sed virtutibus, & prodigiis.

Tot triumphis inclaruit Antonius, ut Apostolus diceretur, & esset.

Odium internecinum Stygis sui odio, & Dei amore in se excivit.

Ut Christi pugilem impurus Spiritus lacefseret : Marti facem subjecit Cupido ;

Helenas, Cynthias, & mille salacium puellarum facies castissimo juveni objecit.

Elusit spurcissimi hostis technas vinci nescius Antonius.

Jejunio, vigiliis, cilicio corpus edomabat, oratione Spiritum suum roborabat.

Sacra hæc erat Alcidis nostri panoplia.
 Nunquam cænantem sol vidit: post cuius occasum fonte puro sitim;
 Pane mucido famem fallere: nuda humo pro strato uti solitus.
 Noctes integras orando exegit: & adhuc sol oriens orantem conspexit.
 Hercule fortiorem Antonium fuisse, quis inficiabitur? De aliis Ille, Hic de se triumphavit.
 Victus Ille ab imbelli sexu, fædis mulierum amoribus succubuit:
 Hic Asmodæum suis pedibus advolutum vidit; ut, quem vicerat, conculcâret.
 Nobilior ut esset Antonii triumphus: proprio sanguine palmas suas irrigavit.
 Dirè sæpius à dæmonibus cæsus: nunquam cessit; quot plagas in cruenta pugna suscepit:
 Tot relatæ de Stygiis verberonibus victoriæ indices purpuratus Heros retulit.
 Pugnans Agonothetam suum, suoque sanguini innatantem spectavit Christus:
 Gratissimum ipse Antonius sic decertans divinis oculis fuit spectaculum,
 Mox se Antonio spectandum dedit Christus, iis verbis Victori applausit:
Quia dimicando non cessisti; faciam te in omni orbe nominari.
 Hinc nomen Antonii non minùs, quàm nomen JESU orco terribile fuit: utroque debellatus est,
 Nomine JESU ex ædibus, silvis, & montibus Stygias larvas fugavit Antonius:
 Audière energumeni nomen Antonii; & è corporibus immundi Spiritus propulsati sunt.
 Magnitudinem gestorum sui Herculis ad insaniam usque supersticiosa venerata est gentilitas:
 Immortalia Antonii facta celebrârunt ornatissima Ecclesiæ Sidera.
 Calamum suum tot scriptis pro tuenda Christi fide illustravit Athanasius:
 Eundem ut Antonio consecraret; vitam fortissimi Herois conscripsit.
 Hæc toto orbe in vulgus sparsa plurimos ad fidem & crucem Christi attraxit.
 Augustinus in Africa mundo natus, magnum olim Ecclesiæ futurus portentum,
 Ut cælo renasceretur, plurimum filius esse debuit.
 Ecclesiæ Christi regeneratus est à Monica flente, ab Ambrosio fulminante,
 Ab Antonio virtutem & signorum famâ coruscante.
 Inaudiit Augustinus Divinioris hujus Alcidis facinora:
 Et primos conversionis suæ igniculos amaras inter lacrymas concepit.
 Fortior & prodigiosior sua in melote fuit Antonius, quàm Hercules in jugulati leonis exuviis.
 Virum Dei compellabant Antonium Pagani: quem virtute Divina pollere videbant.
 Attactâ vestis Antonii extremâ orâ sanitatem ægroti recepère, fideique lumine imbuti sunt.
 Amens obiit Hercules, & in pyra conflagravit: Antonius Divino amore correptus mundo occubuit,
 Cruentam pro fide mortem oppetere in votis habuit: stitit se Tyranno; ut Martyr caderet:
 Reveritus Antonium Tyrannus Christiani sanguinis sitientissimus à cæde abstinuit.
 Defuit Antonio martyrium: non martyrio Antonius; cuius tota vita martyrium fuit,
 Incruenta hostia occidit: suo toties sanguine purpuratus Martyr spontaneus.
 Explicit hic demum fabula Herculis: ut veritas in Antonio elucescat.
 Alcidem à morte in cælum translatum esse, ridicula Poëtarum commenta sunt:
 Aduère Antonio morienti exercitus Angelorum:
 Ut invictissimum Christi Militem, non jam trans Calpen & Abylam, sed super astra eveherent.
 Mortem Antonii cælum luxisse visum est, triennio nec pluviam stillam, quasi aheneum, roravit.
 Non luxit: sed applausit; negavit pluviam, quia flere nequit:
 Sereno sole tamdiu terras arrisit, quòd Divinorem hunc Alcidem in sua suscepit.




S. PA-





S. PACHOMIUS.

*Aegyptius, natus in Thebaidi, coelesti voce excitus, in insula Tabenna primum ex-
struxit monasterium, cui dein plura alia adjunxit: Tabennensium monachorum
facile 7000. Pater his regulam tradidit, quam in tabella aenea ab Angelo acce-
pit. Obüt. 12. Maji Anno. C. 406. Aetatis suae 110.*



S. PACHOMIUS.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui de tenebris facit lucem splendescere:

Mirabilem se simul & amabilem in Pachomio exhibuit.

Amare visus est Deus Pachomium, priusquam Pachomium amare posset.

Amavit Deum Pachomius: quem adhuc ignoravit; amorem Dei sibi incogniti meritus.

Vas electionis à Deo constituitur: cum adhuc esset vas contumeliæ.

Dæmoni jam invisus: è cuius potestate nondum erat emancipatus.

Ipse insuper dæmonem exosus, quem ejuravit, Christo necdum initiatus.

Paradoxum hoc ipsum pulcherrimum Pachomii elogium est:

Nec hæ antitheses omnipotentia Dei adversantur;

Qui Pachomium cæca in gentilitate editum sibi destinavit

DIVINISSIMI SUI SPIRITUS SACRARIUM.

Ethnicis parentibus prognatus, ceu rosa inter sentes

Paganorum ritus jam puer tanquam spinas abhorrebat.

Cum lacte licet Ethnicæ matris timorem Domini hausit:

In ipsa gentilitatis nocte, ut postliminio fieret filius lucis, à Spiritu Dei obumbratus,

Idolothyta à genitoribus oblata stomachabundus semper rejecit:

Veneri instar averfatus; quæ teneræ ætatis cupidæ esse solent.

Famere maluit, quàm Stygiis his dapibus saginari.

Adesse quoties iussus est idolorum sacrificiis, toties dæmones obmutuere:

Nec dæmonibus sacrificuli thus adolere poterant, nec rogati dæmones respondere;

Spiritus nempe ille Pachomium comitatus, qui scientiam habet vocis:

Spiritibus tenebrarum hoc pertinax indixit silentium.

Adolescens signa Constantini Imperatoris secutus, in Maxentium movit.

Priusquam Cæsar Tyrannum prælio adoriretur: sævior Tyranno Cæsarem aggressus est hostis.

Annonæ penuria exercitui extremam famem peperit: mortem fames minata est.

Christiani accolæ militum sortem miserati, famentibus submisere comæatum.

Admiratus Pachomius gentis hujus liberalitatem, ut nomen illius cultumque rescivit:

Charitatem fidemque Christianorum suspexit, & suscepit;

Impulsu illius, qui Charitas ipsa, qui Patris & Filii Amor est.

Sic dira fames esurire & sitire Christianam justitiam docuit Pachomium.

E milite Cæsareo auctoratus est miles Christi:

Evocante à stipendiis bellicis ad Crucis labarum Spiritu, qui, ubi vult, spirat.

Sacris undis ablutus, illius gratiâ inundatus est: qui in principio mundi ferebatur super aquas.

Et ne quis dubitaret: cor Pachomii sibi Spiritum Sanctum in templum consecrâsse;

Deciduis in ejusdem dexteram è caelo ros, mox in dulcissimum mel conversus:

Allapsa simul vox divina mysterium consecrationis approbavit.

Novus ergo Christi æmulator, & neophytus à suscepto baptismo ductus est in desertum à Spiritu.

Tentatus à dæmone, eundem, quem virtute sua Christus, Christi virtute devicit.

Innumeras larvas Spiritus mendacii induit: ut Pachomii constantiam labefactaret.

Unum infernus totus sub imagine exercitus armati impetiit:

Unus suffecerat Pachomius, qui Spiritu forti roboratus totum infernum propulsaret,

Carnem & sanguinem detestatus, ea tantum sapuit, quæ sunt Spiritus,

Germanum fratrem suo Spiritu imbuit, & eremi incolam fecit.

Sororem ad se invisentem nec aspectu nec alloquio dignatus est:

Ut mundo renunciaret ipsa, monialium in asceterio se Dei obsequio dicaret.

Dono lacrymarum à Spiritu Dei ornatus est, qui Patrem postulat gemitibus inenarrabilibus.

His inundans orci insidias depulit: sibi suisque caelestia charismata impetravit.

Ut homines Angelicam vitam vivere doceret: Angeli factus est discipulus.

Imò Doctorem nactus est Spiritum: in quem desiderant Angeli prospicere.

Digito Dei descriptam in tabula regulam ab Angelo accepit:

Servandam hanc septem millibus Monachorum proposuit; ut totidem faceret Angelos:

Quot filios in Spiritu Dei genuit fecundissimus parens.

Trihorio Deum precatus, linguas peregrinas cælitus sibi inditas possedit.

Opus hoc erat Spiritus illius, qui Apostolis in oratione diebus decem perseverantibus

In præmium tam proluxæ unanimis comprecationis donum linguarum impertiit.

Unicum Ægyptiacum calluit idioma Pachomius, mox Latium Græcumque loqui doctus est:

Ut

Ut Romano advenæ de peccatis suis confessuro præberet aures,
 Et expiatum cumularet gratiâ Spiritus Sancti, qui remissio est peccatorum.
 Mira unus idemque Spiritus vitæ, consilii, scientiæ, & pietatis in Pachomio operatus est:
 Mira in hoc Spiritu principali Pachomius patravit prodigia,
 Precabatur pater Pachomium pro filia à dæmone infessa:
 Flammeum filiæ, ut jussus erat, Pachomio attulit: negat flammeum Virginis esse Pachomius;
 Quia prodigam castitatis, quam falso profitebatur, à Spiritu veritatis cognôrat.
 Meliora spondentem ab immundo hospite liberavit, & ne in Spiritum Sanctum delinqueret:
 Qui disciplinæ effugit fictum; cor mundum servare docuit.
 Quod olim Christi fimbria ægrota præstitit mulieri beneficium:
 Idem Spiritus in Pachomio renovavit, quem gratiâ sanitarum donârat.
 Hæmorrhoiis multos jam annos nequicquam Galenum & Hippocratem fatigavit.
 Sanguini venas immundi vis morbi: crumenam feminae peculio exhausere medici.
 Bis misera: artis & naturæ subsidiis orbata.
 Imò bis felix: quod à medicina remedium non acceperit;
 Ut salutem suam virtuti Pachomii ferret in acceptis.
 Attigit ergo laciniam Pachomii: Sancti vestem saluberrimum sibi fore rata fontem;
 Unde sibi optata proflueret sanitas, & momento sisteretur longævus sanguinis fluxus,
 Furata sanitatem esse videretur felicissima mulier:
 Nisi piissimum hoc furtum, haud invito Domino, fides & spes feminae imperâssent.
 Ficulneam precibus suis arefecit: succo, foliis, fructibusque extemplo spoliavit.
 Non arboris id supplicium erat: sed gulam tironum suorum multatam voluit Pachomius.
 Jejunium professi citra veniam Magistri decerpserant poma:
 Delusi ab eodem ingluviei Spiritu, primi hominis in paradiso impostore:
 Eundem namque Sycophantam apici arboris insidentem vidit;
 Gulæ igitur sustulit irritamentum: ne posthac helluonibus suis illuderet cacodæmon.
 Futura ut præsentia sibi in Spiritu prævidit:
 Præscita vaticinatus virtute illius, qui per ora Prophetarum locutus est.
 Martyrium sibi per Pachomium impetrari à Deo petiit cœnobita.
 Martyrii incruenti genus, alteri suppar, suasit Pachomius: sui ipsius victoriam.
 Flecti nescius discipulus è cœnobio abitum impetrat: abeuntem monet Pachomius;
 Ne, cum martyrii suppetet occasio, à proposito deficiat, ne ipse martyrio deesset.
 In paganorum ergo manus incidit: sacrificare idolis adactis pectori gladiis jubetur;
 Diis libatis carnibus vescitur: ex monacho & Martyre in voto dæmonum sacrificulus.
 Dimissus ab Ethnicis Apostata ad Pachomium revertitur, filii instar prodigi à patre suscipitur.
 Apostasie crimen, cellæ decennio inclusus, lacrymis & jejuniis eluit.
 Hoc spontaneo supplicio, qui sanguinem pro Christo fundere detrectavit:
 Incruentus sui ipsius martyr obiit: è cella in cælum abeuntem spectavit Pachomius.
 Num Pachomius ipse mortem oppetierit, qui totus secundum Spiritum vixit: problema esto.
 Vixit lustra duo & viginti: cælo ergo maturum Spiritum, Deoque plenum:
 Meritis gravem animam, Divinissimi Spiritus Sacrarium, Auctori suo reddidit;
 Æternum cum Deo, qui Spiritus est, victurus.




S. MA-



S. MACARIUS

Aegyptius, discipulus S. Antonii, annis 60 eremum incoluit, austeritate vite, et miraculis celeberrimus: contra aereos spiritus, in curationibus hominum, ac denuntiandis futuris eventibus miram Dei gratiam consecutus. Regulam suis Monachis praescripsit, quos milites Christi appellavit. Obiit die 15 Ianuar. A. 591. aetat. 90.

9.



IX.

S. MACARIUS.

Ad arma, Lector, concrepantem audis Famam?
 Martiali Elogio famigeratum Athletam dilaudabit,
 Magni Antonii magnum discipulum:
 Macarium Ægyptium, Alexandrini Macarii in eremo contubernalem,
 Sanctum Sancti Pachomii Magistrum,
 Monachorum Abbatem, Eremitarum Polemarchum:
 Quem TIMOR DOMINI
 Bellicosissimum Christi MILITEM auctoravit.
 In Ægypto natus, tot sanctorum anachoretarum fertili patria,
 Quot olim belluarum fecunda matre.
 Sacerdotio initiatus, sacram auspicatus est militiam.
 Belli sedem in Scethi Libyæ solitudine fixit.
 Exulare sub Valentis Ariani Cæsaris imperio coactus,
 Tyrannum fugiens, sponte Deo militare cœpit.
 Annis sexaginta in arena versatus, pugil semper invictus.
 Monomachiam à se exorsus, idem sui hostis, & victor.
 Corpus suum sic Spiritui subjugavit:
 Ut plenum sui dominium indispiceretur.
 Ita se jejuniis, vigiliis, flagris extenuavit:
 Ut caro omnis pellem inter & ossa evanuerit.
 Semper in se armatus, secum semper pugnavit,
 De se semper triumphavit.
 Prodigium hominis, & miles prodigiosus:
 Timidus, simul ac generosus.
 Timuit, ne unquam carnis illecebris succumberet:
 Ideo carnem generosè impugnavit;
 Donec jugiter expugnando amiserit.
 Interroganti, cur toto corpore exaruerit:
 Ex sacris oraculis dignum Macario dedit responsum;
Timor Dei exsiccat ossa.
 Tesseram sacri militis sibi perpetim ingeminabat: *Vince te ipsum.*
 Victorem sui simplicem, & solitarium Eremitam
 Versipellis & multiplex hostis Stygius lacepsivit.
 Sæpe cum dæmone dimicandum erat Macario:
 Ut gloriosum de hoste triumphum sæpe referret.
 Plures ille formas induit: idem semper Macarius, Timore Domini loricatus.
 Feminâ usus pater mendaciorum: qui in veritate non stetit;
 Per feminam primo de homine triumphavit.
 Lupæ suggerit: ut stuprum sibi à Macario illatum fingeret.
 Sustinuit hanc nominis sui infamiam castissimus pugil:
 Recti conscius, & magnanimus verbera tulit, ac carceres;
 Famæ dispendium pudicitiaë jacturaë postponens.
 Mox mendacium subornataë meretriculaë,
 Et Macarii innocentiam prodidit gestata utero proles,
 Quæ matrem viperæ instar exeruciabat.
 Eniti fœtum spurium infamis mulier nequit:
 Donec obscuri criminis, cælo vindice, palam convicta,
 Lenonem verum, cui pudorem vendidit, ediceret.
 Tum primùm propudiosa stipendiarii corporis sarcinâ exonerata:
 Cùm suus Macario honor redderetur.
 Feminam sibi dæmon deteriore vicariam suffecit:
 Irrito utriusque conatu;
 Utrumque prostravit Miles Christi:
 Cùm ipse innocens calumniâ prosterneretur.
 Opprobria pati doctus: non probrosa agere.
 Nec deinceps Macarium impugnare ausus est dæmon:
 Ipse dæmonem timore Dei aggressus expugnavit.

C

Sæpe

Sæpe infernalis latro verbera, mortemque Sancto minitatus;
 A fortiore antagonista in fugam actus est.
 Veritatem, quam odit, jussu Numinis fateri compulsus,
 Hoc de Macario encomium edidit:
 Nil virium, inquebat illi, mihi in te suppetit.
 Frustra tecum manus consero, quibus vel gigantes prostravi.
 Magnam à te vim patior: imbellem me facis,
 Tot heroum victorem.

Similis tui sum in omnibus; nec tu mei dissimilis.
 Jejunas: & ego; vigilas: & ego;
 Cibo, somnoque eges, & abstines:
 Abstineo & ego, neutrius indigus.
 Humilitate me superas: hac tuas metis victorias,
 Sic, quos humiles facit Timor Domini:
 Stygi reddit terribiles, invicto animi robore imbuit.
 Aëreis post dominari cœpit potestatibus,
 Fugiebant ultrò Macarium dæmones, ne à Macario fugarentur.
 Illustribus signis militem suum fulgere voluit Deus.
 Cum mortuis locutus est: ne vivi mortis periculum subirent,
 Ut viduæ consuleret, exanime mariti corpus interrogat:
 Quò pignus sibi depositum absconderit.
 Locum indicat defunctus: pignus Domino;
 Matri sua pignora, creditori mancipata, redduntur,
 Calvariam mortui idolorum Sacerdotis alloquitur:
 Et mira, vera tamen damnatorum rescit tormenta.
 Audit disertè miriùs illo in igne torqueri Gentiles, ac Christianos.
 Unum nempe illi infernum, qui Deum ignorabant:
 Plures hi infernos promereri videntur;
 Qui Deum agnoscentes, rursus sibi Filium Dei crucifixerunt.
 Discipulos suos *Christi milites* appellavit.
 Tales nominavit: quales suo ab exemplo esse deberent.
 Regulam scripsit, quot in ea leges tot canones militiae religiosæ.
 Solitudinem, silentium, orationem, jejunium, lacrymarum studium,
 Arma timoris Domini à suis usurpari voluit:
 Quibus hostes debellandi forent.
 Nec probrosæ militi Christi sunt lacrymæ, quas timor Dei elicit.
 Furtum unius ficus in pueritia commissum,
 Ceu immane facinus, quoad vixit, deflevit Macarius.
 Denique post tot prælia in terris victorem idem Domini Timor,
 A quo pugnare, & vincere doctus est,
 Æternâ laureâ coronandum ad cælos deduxit.



S. BA-






S. BASILIUS .

Cappadox, natus Hellefonti, duram antiquorum monachorum vitam ad meliorem formam revocans, suos primus omnium regulam scriptam imbuat A. 356. Ordinem suum mirè propagavit in Oriente, unde et in Occidentem translatus. obiit Caesarea Episcopus 1. Janua. A. C. 379. Aetatis suae 63.

10.



S. BASILIUS MAGNUS.

Uno elogio celebrari nequit, cujus nomen & cognomen innumeras laudes continet.
 Myſteriis plenum nomen Baſilii Regiam ſonat Majeſtatem.
 Reges naſci: cæcæ beneficium eſt fortunæ; Regibus majores fiunt:
 Quos virtus propria ſupra Reges extollit.
 Aliis Reges: ſibi Virtutis cultores imperant; illi terræ: hi mundo & cælo dominantur.
 Magni cognomen ſibi Baſilius factis maximis vendicavit.
 Magnus ſanguine: cujus parentela omnis genere & ſanctitate nobiliſſima fuit.
 En avitæ ſtirpis compendium! Sancti fuere pater & mater, inclyti Chriſti Martyres:
 Sancti avus, abavus, avia, fratres germani, & ſorores.
 Magnus fuit Majorum ſuorum ſanctitate: ſua maximus.
 Mercurium ſuum olim Ægyptii ter maximum compellârunt:
 Quod Philoſophis, Sacerdotibus, Regibus omnibus præcellerit.
 Baſilius Sanctus Eccleſiæ Doctör, Sanctus Antifteſ, Sanctus Thaumaturgus,
 Sapientiâ Philoſophis, virtute Episcopis, prodigiis eminebat Regibus:
 Quis TRISMEGISTUM fuiſſe inficiabitur?
 Cæſarææ & Conſtantinopoli diſciplinæ humaniores addidit:
 Pædagogi vix indigus, plûs Magiſtris ſuis ſapere viſus.
 Diſcipulus dicebatur, non fuit: diſcendo literas alios virtute imbuît.
 Eubuli Philoſophi diſcipulus ſimul erat, & Magiſter.
 Eubulus Philoſophiam docuit Baſilium: Eubulum Baſilius Chriſti fidem;
 Et quem in profanis ſcientiis Magiſtrum, eundem in Chriſtiana Philoſophia habuit diſcipulum.
 Severiores diſciplinæ Athenis didicit, & docuit.
 Binos in hoc Archigymnaſio nactus condiscipulos, genere illuſtres, vitâ diſpares:
 Gregorium, Nazianzenum ſubinde Præſulem, Achatem ſuum intimum;
 Julianum ex Lectore Eccleſiæ Romanum Imperatorem, ex Chriſtiano Apoſtata.
 Suſpexit Baſilii ſapientiam purpuratus Tyrannus: oblatos Tyranni favores deſpexit Baſilius;
 Exarſit capitali odio in Baſilium Julianus: odium mors violenta reſtinxit.
 Sanioribus Baſilii conſiliis flecti noluit apoſtata: & qui mortem Baſilio minabatur;
 Cruento in prælio mortuus, inter blaſphemias ſceleratam animam evomuit:
 Plûs precibus lacrymiſque Baſilii ad Deum & Dei Matrem fuſis; quàm incerto telo eneçtus.
 Sacratiores literas in Ægypto à Porphyrio edoçtus: futurus olim Eccleſiæ Doctör;
 Ut omnigenâ literaturâ munitus, hoſtes fidei calamo & eloquio debellaret.
 Virtutis & doctriinæ ſuffragio è ſolitudine ad Cæſareenſes Inſulas evocatus eſt:
 Ut candelabro ſuperimpoſitus Eccleſiam illuſtraret; fidem orthodoxam propugnaret.
 Ariani Cæſaris partibus ut Baſilius accederet, monebat Modeſtus:
 Præfectus is erat Palatii Cæſarei; munere & nomine ſpecioſo indigniſſimus:
 Monitis minas adjicit, bonorum direptionem, exilium, tormenta, mortem ipſam.
 Nil fanè Modeſto hoc immodèſtius: nil modeſtius Baſilio.
 En! ut hic modeſtiſſimè furentis blateronis terriculamenta refutârît.
 Fortunis, ajebat, ſe exui non poſſe: qui nihil poſſideret.
 Exilium non formidare: cui mundus totus exilium, ſolum cælum patria.
 Jejuniiſ exhaustum corpus, pelle tantùm & oſibus conſtans, verbera non timere:
 Unicum içtum exturbandæ animæ ſufficere.
 Mortem omnium minimè vereri: quæ janua eſſet ad vitam immortalẽ.
 Sanctitatem Baſilii jam primitus cælum revelâſſe fertur: cùm in Jordane baptizaretur,
 Iiſdem ablutus eſt undis, quas Filius Dei conſecravit.
 Idem, quod in Chriſti baptiſmo ſpectabatur prodigium, in Baſilii baptiſmo renovatum eſt.
 Aperto cælo viſus igneus globus: provolans è globo columba aquis alas humectabat.
 Eundem nempe Spiritum fidejuſſorem habuit, qui Chriſtum levavit è fonte.
 Idem pro utroque velatam igne & ave candida totam Divinitatem ſuam vadem exhibuit,
 Ignea rurſum columna Divo Ephrem in mentis exceſſu oſtenſa Baſilium adumbravit.
 Vidit ſubinde Baſilium ipſum toto vultu coruſcantem:
 Differenti ad populum verba in aures ſuggerentem columbam.
 Baſilium audivit loquentem: alium, qui loqueretur, vidit; unus tamen loqui viſus, & auditus.
 Spiritus Dei ex ore Baſilii loqui viſus: Baſilius ex Spiritu Dei auditus eſt loqui.
 Sub una Episcopii dignitate plura munia ſuſtinuit: Paſtoris, Patris, Medici.
 Fame, morbis, funeribus premebatur Cæſaræa: & Baſilius his malis ferè opprimebatur.

S. BASILIUS MAGNUS

Publicam omnium calamitatem sic sensit: ut non alienam, sed suam crederet.
 Bonis omnibus venditis annonam egenis dispersit: ut Christum in famelicis pasceret.
 Curandis infirmis nobile adeò excitavit nosocomium: ut Nazianzenus mundi miraculum appellârit.
 Portentosa hoc Basilii charitas: Basilii ipse charitatis prodigium fabricavit.
 Sacris operanti aliquando spectator aderat fidelibus mixtus Hebræus infidelis.
 Feliciter cessit homini innocens curiositas: pietas non ficta successit curiositati.
 Diducto panis sipario, qui Maximus sub minimo orbe delituit:
 In manibus Basilii speciosus formâ præ filiis hominum palam apparuit.
 Quémque sub imagine venustissimi infantis attonitus spectavit Apella:
 Eundem à Majoribus suis quondam cruci affixum agnovit, Filium Dei adoravit.
 Quàm miro stratagemate per has mortis fenestras cæca fides in cor Recutiti ingressa est!
 Sanctitati id debebat Basilii: ut invisibilem cerneret;
 Et ne hujus visione æternùm arceretur: lustrico fonte tinctus, cælo renatus est.
 Regibus denique eminuit Basilii, regali in Sacerdotio tot prodigiorum Thaumaturgus.
 Dæmoni sese sceleratissimus verna, ejuratô Deo, devoverat.
 Orat Deum Basilii: & in manus recipit stygi extraditum chirographum;
 Simul orci mancipium à noxis expiatum libertati filiorum Dei asserit.
 Inarata chartæ peccata sua Basilio obtulit mulier: hanc mulieri reddidit Basilii;
 Sed candidam: atrii evanescere characteres, nullum sepiæ supererat vestigium.
 Meritis nempe suis veniam à Deo impetravit, & peccatricem super nivem dealbavit.
 Precibus suis Ecclesiæ fores obseratas aperuit: quæ Hæreticis orantibus non patuere.
 Oratione clayis instar usus, Catholicis Domum Dei vendicavit: ne in haram verteretur.
 Prodigio hoc Ariani plurimi conversi: ast, cum tot signis coruscaret Basilii;
 Veritatis lucem unus Valens Arianus Imperator amplecti respuit.
 Vitam, quàm ægrotanti sponndit Basilii: amisit porphyrogenitus Cæsaris filius;
 Sacrilego baptismo ab Arianis vix tinctus, & extinctus.
 Cælitus à relegando Basilio absterritus impius Imperator:
 Postruptos calamos, post correptum paralyti brachium, durum frangi animum passus non est.
 Ab exilii quidem sententia desistit: veteri tamen persistit in Ariomania;
 Donec maturam infernali rogo animam efflaret: in tugurio latitans,
 Inter flammæ toto corpore ustus periret, ab igne ad ignem transfret.
 Morbis mortique imperavit Basilii, vitam sibi in crastinum precibus prorogavit:
 Ut amicum suum, arte Medicum, gente Hebræum, æternæ vitæ faceret participem.
 Hodie moriturum assererat Medicus: postridie se victurum affirmabat Basilii.
 Attigit lucem alteram Basilii: ut medicum suum fide vera illuminaret.
 Vidit Hebræus, miraculo vinci Medicæ artis regulas, & victum se à Basilio confessus est.
 Aquis lustralibus ablutus, Christo regeneratus, eundem in terris natalem habuit:
 Quo in terris obiit, & in cælum abiit Basilii, auspiciatissimas Januarii calendas.
 Vivit etiamnum Basilii suo in Ordine sanctissimo, quem condidit vivus, superstes:
 Regulam illi, vitam activam & contemplativam præscripsit; Spiritum suum indidit,
 A Parente Sancto sancti filii Basiliiani dicuntur:
 Virtutis cum nomine hæredes Reges appellari possent;
 Postquam nil nisi regium in Basilio fuit:
 Quem virtus Regibus majorem, sapientiâ, sanctitate, signisque fecit Trismegistum.





S. AUGUSTINUS.

Afer, natus Tagasta, Doctor Ecclesiae, et Hipponensis Episcopus, institutos Apostolorum tempore Canonicos Regulares restauravit. Primum monasterium fundavit in Africa. Regulam scripsit in senio. Mortuus Annò. 430. die 28. Augusti. Ætatis sue 76.

11



S. AUGUSTINUS.

Fertilem monstrorum matrem ortu suo sterilem fecit Augustinus:
 Desiit Africa parere portenta: postquam Augustinum edidit portentum maximum.
 Omnia in Augustino portentosa: monstrum à partu; monstrum à Nomine.
 Patricii & Monicae filius, patrem habuit Paganum, matrem Christianam.
 Et filium & conjugem Monica Christo lacrymis suis regeneravit:
 Bis mater filii; semel mariti.
 Augusta majestate plenum Augustini nomen: Augusti nomine Augustius,
 Ab augmento Romani Imperii Octavianus dictus est Augustus:
 Majora Augusto gessit, fecitque Augustinus;
 A quo Ecclesia & Fides portentosa sumpsit incrementa.
 Monstruosum Elogii genus Augustino concinnandum foret:
 Si demonstrari posset; quis fuerit Augustinus: quod ipse ignoravit.
 Seraphinum dicerem: si Angeli cor haberent;
 Imò, quia cor non habent: Augustinum dico Seraphinum.
 Corde caruit: & cordi se Seraphim suffecit; ut fieret Seraphinus.
 Natura Seraphinorum est: Deum amare.
 Amare Deum Gratia docuit Augustinum: & fecit SERAPHINUM.
 Fuit portentum ingenii.
 Excordem se, & omnibus insipientiorem dixit.
 Nihil se scire ratus: nisi solum Deum sciret.
 Amavit Deum: & omnia scivit.
 Ideo è pectore Augustini cor in manus transfudit:
 Ut amorem suum Seraphicum esse probaret: qui nunquam desinit operari.
 Monstrum hominis: non homo; cui cor sua sede remotum.
 Desiit esse homo Augustinus: ut amoris Seraphici esset portentum.
 Rhetoricam Carthagine & Romae docuit: eloquentiae prodigium dictus.
 Bene dicendi artem aliis tradidit: se vitiis; cum viveret pessime, vitiis monstrum.
 Definire scivit metaphoram: nesciit, se portentosam Dei fore metaphoram;
 Nesciit, à profano amore ad Divinum se translatum iri:
 Ex Oratore sublimissimum Ecclesiae Doctorem se destinari nesciit.
 Severiores disciplinas doctus est sine Magistro: caeli discipulus.
 Hoc Doctore possedit omnes: Dei amor fecit Theologum.
 Docendo literas, Manichaeorum errores didicit:
 Ut eosdem olim refelleret, & sexcenta haeresum monstra jugularet.
 Fuit portentum Gratiae.
 Debet Augustinus gratiae: quod factus sit Seraphim amoris;
 Gratia Augustino: quod ab Augustino contra hostes suos vindicata sit.
 Diu restitit gratiae: ut posthac semper pro gratia staret.
 Ut mereretur gratiam: effecit gratia; quam non merebatur.
 Non meritis, gratiam accepit: quam cum gratia meriturus erat.
 Vicit gratia Augustinum: non coegit; diu gratiae reluctatus est.
 Vinci voluit Augustinus: &, ut vellet; gratia volentem juvit.
 A victrice gratia factus est Doctor gratiae.
 Nemo de gratia melius scripsit Augustino.
 Ex adversario factus gratiae defensor.
 Victorem fecit gratia: quem vicit volentem;
 Ut, quotquot gratiam impugnarent: ab Augustino expugnarentur.
 Expugnavit hostes gratiae, non solum sibi coevos: sed etiam posthumos.
 Jansenium refutavit, nondum natum, & Jansenii sectatores.
 Latere sub nomine Augustini vaser voluit Jansenius:
 Larvam falso Augustino detraxit verus;
 Et caecutiens bubo esse apparuit Jansenius: aquila Augustinus.
 Nocentem Jansenii doctrinam deprehendit Innocentius X. & reprehendit.
 Eandem Innocentii successor Alexander VII. Petri gladio proscidit.
 Repullulascens in Quesnello Vaticano fulmine anathematizavit Clemens XI.
 Quod post tot secula fecere Pontifices: pridem fecerat Augustinus;
 Utriusque errores fulminavit: priusquam errarent.

LII

S. AUGUSTINUS

Calumniatores liberi arbitrii, & simulatos gratiæ patronos confudit:
 Dum de concordia arbitrii humani, & gratiæ Divinæ scriberet.
 Demonstravit, & gratiam, quæ vincit:
 Et voluntatem, quæ vincitur; mereri palmam.
 Sic vincere gratiam: ut arbitrii libertas non lædatur;
 Sic vinci liberam voluntatem: ut libertatis suæ jus non deperdat.
 Fuit portentum Sapientiæ.
 Seraphinus erat: *cor nactus sapiens & intelligibile. Eccli. c. 3. vers. 32.*
 Sacro fonte ab Ambrosio ablutus ardere cœpit.
 Gratiæ auctorem agnovit: Triuni Deo eucharisticon accinuit.
 Amando Deum incomprehensibile Triados mysterium comprehendit.
 Eundem corde suo complexus: quem faciè ad facièm vident Spiritus Seraphici.
 Tanta de Deo, & pro Ecclesia scripsit: ut volumina Augustini sit bibliotheca,
 Brevior vita hominis est: quàm ut omnibus evolvendis sufficiat.
 Rectè mendacem nominat Rupertus Tuitiensis:
 Qui Augustinum totum à se lectum esse fateretur.
 Fuit portentum Virtutis.
 Seraphinis eminuit: fecit; quòd Seraphinis non est integrum.
 Ut Seraphinus esset: Deum corde contrito & humiliato amavit.
 Scripsit libros Confessionum, & Retractationum.
 Delicta voluntatis & intellectûs, quæ celant alii, mundo publicavit.
 Scribenti inter lacrymas Angelos pacis adstitisse reor:
 Augustino errata sua amarè deslenti collacrymantes.
 Fuit portentum Spiritus Sancti.
 Apostolicum Canonicum Regularium institutum restauravit:
 Quorum unicus canon; vivere vitam Apostolorum.
 Sub una Regula, quam Augustino Divinissimus Spiritus dictarat:
 Plurimi utriusque sexus sacri Cœtus hodie Deo militant.
 His in spiritu regendis unicus Seraphini hujus suffecit Spiritus:
 Nec aliud Augustini Regula: quàm Seraphici amoris compendium.
 Fuit portentum Amoris: sic Deum amavit; ut sibi & Deo impossibilia optarit.
 Nolebat Augustinus esse Deus: si Augustinus esset Deus; Deus esset Augustinus.
 Volebat tunc ex Deo fieri Augustinus: ut ex Augustino fieret Deus.
 Portentum fuit in vita: portentum Seraphicum in morte.
 Immortalem fecit amor: & mori debuit ut Seraphinus.
 Morbus amor: non febris erat; ardore Seraphico extinctus est.
 Ne quare: quem locum in cælo teneat Augustinus.
 Inter Seraphinos quæri posset: nequicquam reperiendus.
 Audi portentum, Lector, & fidem da filio Augustini in extasim rapto.
 Hic nusquam inter Sanctos visum: in corde Christi recumbentem vidit,
 Hac statione in cælis gaudet Augustinus:
 Quem Amor & Gratia Seraphinum fecit portentosum,



S. HIE-



S. HIERONYMUS.

*Dalmata, natus Stridone, Doctor Ecclesiae, Anachoreticæ vitæ amore in horridâ
Syriæ solitudinem se abdidit: inde Romam accitus, ac rursus in Palaesti-
nam redux monasterium sibi et focus extruxit in Bethlehem. Obiit Anno C.
422. die 30. Septembr. ætatis suæ 92.*

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



S. HIERONYMUS.

Quis Hieronymo condignum adornet elogium:
 Quem sola Hieronymi lingua & penna laudare potest?
 Nomen ipsum reverentiam timoremque encomiastæ incutit: quia Sanctum est.
 Quis Hieronymum sui Nominis mensuram implevisse ambigat?
 Quis de Sanctitate illius dubitet: qui tot Syriæ & Palæstinæ deserta sanctificavit?
 Abdicavit se mundo: & totum terrarum orbem Nominis sui famam implevit.
 Delituit in specibus: & illustrissimum Ecclesiæ Sidus his è tenebris exortum est.
 Tanta pro Ecclesia scripsit: ut Doctõris Maximi indeptus sit nomen.
 Plura pro eadem tulit, fecitque invictissimus Fidei propugnator.
 Laudare Hieronymum, stat animo: plus homine sapuit Divini vir ingenii.
 Elogio dignissimus: sed quod Deo minus, majus homine, inter utrumque sit medium.
 Paradiso in Eden condito Christi Ecclesiam comparavit Augustinus.
 Custodem Paradisi Angelum flammeo olim Deus instruxit gladio.
 Typum hunc Hieronymi fuisse, si hodie consuli posset, Augustinus affirmaret.
 Imò è cælo lubens annuere videtur: ubi cum Hieronymo æternum exultat;
 Quem in terris Patris instar veneratus est.
Quidni dictatum ab Augustino elogium excipiam? & Hieronymum promulgema
 Armatum Ecclesiæ militantis CHERUBINUM?
 Hortum voluptatis versatili tutatus est acinace cælestis excubitor:
 Ecclesiam adversus coævos sibi Hæreticos defensus Hieronymus,
 Calamo usus omni rhomphæa acutiori.
 Jugulanti tot fidei hostes Hieronymi pennæ lemma adjicio: *Lucet, & urit.*
 Doctõri de Hæresi triumphanti dignam Cherubino epigraphen exaro:
Plenus sapientiâ. Ezechiel. c. 28. vers. 12.
 Debet illi Ecclesia, quòd Fidem, ne posthac cæca esset:
 Sic scriptis suis illustrarit: ut fidelibus credenda penè demonstrarit.
 Debet illi Fides, quòd firma & inconcussa perstiterit:
 In cujus ruinam tot ab inferis eructatæ pestes conjuraverant.
 Fremebant, & stupebant Hæretici omnes, ab uno adversario se impugnari:
 Sexcenta unius seculi monstra ab unius Hieronymi calamo expugnari.
 Ex Hebræi nominis etymo Cherub fortis & pugnans dicitur.
 Cherubina fortitudine præditus Hieronymus, Cherubinâ armatus sapientiâ:
 Sic pugnam cum hostibus aggressus est; ut victor semper arenâ egrederetur.
 Angelis cælum, in quo conditi sunt, patria obtigit.
Quos virtus Angelis pares facit: ii terram, ubi mortales nascuntur, in cælum vertunt.
 Naturâ Angelum esse, felicitatis est: hominem in carne æmulari Angelos;
 Virtutis prærogativa est, Angelorum sorte beatior.
 Felicem se credidit Dalmatia: quòd Romani sceptri candidatum ediderit Diocletianum:
 Ingemisset, si scivisset; quod immanissimum monstrum abortierit.
 Felicior multò fuit à cunis Hieronymi: quàm à Cæsaris Tyranni natalibus.
 Patriam hic dehonestavit: purpuram suam Christiano sanguine conspurcavit;
 Ille patriam sanctitate & sapientiâ suâ reddidit illustrissimam:
 Beatissimam longè, quòd carne vestitum protulerit Cherubinum.
 Cherubinatorum scientiâ potiore fuisse dixerim Hieronymi sapientiam.
 Illa infusa, gratis data, & accepta: quia divinitus indita;
 Hæc acquisita, longo, improbòque labore comparata.
 Profanas scientias discendo luculenter docuit Hieronymus:
 Has virtuti non officere; si ut Dominæ ancillentur suæ.
A Grammatica exorsus, liberalibus artibus omnibus sic animum Romæ excoluit:
 Ut in magno hoc orbis teatro vivum Sapientiæ domicilium ab omnibus coleretur.
 Sacratiorum literarum studium desiderabatur:
 Ut ex Historico, Poëta, Rhetore, Philosopho fieret Theologus, ex Theologo Cherubinus.
 Ut ergo pro Ecclesia olim hic Cherub excubaret, ut mundum universum illustraret:
 Potiorem mundi partem perlustravit, totius orbis futurus Oraculum.
 Plures audiit Magistros: ut magistris omnibus doctior evaderet discipulus.
 Linguas plures didicit: ut uno multifariam loquente, plures loqui viderentur;
 Et, quod scripserat unus, plurimorum opus esse crederetur.

Maximæ

XI
S. HIERONYMI

Maximæ velocitatis sunt Cherubim: effatum est Hieronymi.
Laudare Angelos voluit, & sibi concinnavit elogium.
Audi prodigia de calamo Hieronymi velociter scribentis.
Triduo unico tres Salomonis libros ex Hebræo:
Die una ex Chaldæo librum Tobix in Latinum idioma transtulit.
Hebdomadibus duabus prolixos in Matthæum scripsit commentarios.
Nocte unica volumen illud mirabile in Vigilantium dictavit.
Quam aptè Dormitantium pro Vigilantio dici debere affirmavit Hieronymus:
Qui pro debellando hoc Ecclesiæ hoste unius tantum noctis vigiliis opus habebat.
Lustris alii pluribus indignissent tot in lucem edendis monumentis:
Pauculi dies suffecere Hieronymo; ut pernecitate sua se Cherubinum esse probaret.
Cherubinorum officium est, Alberto Campensi teste: homines ad Dei cognitionem promovere.
Sapientiam Sanctorum edoctus Hieronymus, eadem plurimos erudit, ut sanctos efficeret.
Solitudines anachoretis, monasteria cœnobitis, claustra virginibus viduisque implevit:
Ut tot sanctis cælum repletet; quod virtutis suæ æmulatores habuit in terris.
Unus rursus præ omnibus sufficiat Augustinus: qui, si vel omnes ignorassent;
Quid fuerit Hieronymus: satis id orbi divulgasset.
Cherubini instar suspexit Hieronymum: & censorem suorum librorum esse voluit.
Subjecit se Sanctus Sancto, & Doctus Doctus gestit esse discipulus.
O pulcherrimum Deo, Angelis, & hominibus spectaculum!
Hieronymum ut cæleste divinarum scripturarum oraculum consulit Augustinus:
Augustinum scientem omnia erudit Hieronymus: Cherubinus Seraphinum.
Num portentosa magis illius demissio: an hujus sapientia?
Cognata Angelis Virginitas homines in Angelos mutat.
Ut puritatem: quam plurimis persuasit Hieronymus, servaret ipse Anglicam:
Pro eadem Cherubini instar pugnacis dimicabat.
Saxo pectus castissimum feriebat: hoc obice aditum cordis Cupidini præclusit.
Pendentis è Cruce Servatoris aspectu jugiter delectabatur:
Ut voluptatum incentiva Ejusdem sanguine restingueret.
Carnis stimulos mortis memoriâ suppressit: ne immortalis Angelorum sorte excideret.
Tubam Angeli ad judicium evocantis timuit: quondam Angelos judicaturus:
Hanc auribus suis perpetim insonantem audiit;
Ut districto illo die Angelico in corpore redivivus Angelorum choris infereretur.
Num Cardinalitia dignitate claruerit Hieronymus: disceptant Historici.
Qui purpuratum fuisse volunt: nil addunt; nil auferunt Hieronymo: qui negant.
Næ ego Hieronymo purpuram non objiciam:
Ne plus purpurâ erubescat purpurâ dignissimus,
Hanc Ille amplius condecoraturus fuisset: quàm ab ipsa exornatus.
Hic cardo, hæc coronis nostri sit elogii:
Tanta virtute, sapientiâ tantâ eminuisse Hieronymum;
Ut dici, & esse sit meritis purpuratus Ecclesiæ Cherubinus.



S. HO-



S. HONORATUS.

Gallus, origine Romanus, consulari nobilissima prosapia ortus. Post exactam sancte adolescentiam diversa sacra loca inuisit. Rediit in Lerinam insulam secessit: ubi exstructo coenobio sub finem quarti seculi Christiani Monachos preclare instituit, sub nomine Congregationis Lerinensis, quae A. 1525. sub Leone X. congregationi Cassinensi adunata fuit. Arelatensis Archiepiscopus factus, virtutibus, ac miraculis clarus Obiit die 16. Ianuar. A. 435.



S. HONORATUS.

Non sine omine Honoratus dici debuit,
 Qui virtute, sacerdotio, nomine Honoratus fuit.
 Difficile est honorifico eum ornare elogio,
 Qui honores omnes averſatus, ſuo ſe nomine abdicâſſet:
 Si quid honoris inde ſibi accedere ſubveritus eſſet.
 Honorati nomen admittit, ut honore digna faceret:
 Cujus in omnibus ſcopus unicus fuit HONOR DEI.
 Plura de ſe nesciri voluit: ut in ſe ampliùs Deus honoraretur.
 Quodnam natale ſolum habuerit: dubium eſt.
 Id certum: patriam Honorato cælum fuiſſe,
 Cujus in hoc mundi exilio degentis converſatio in cælis fuit,
 Tuſcia, Italia, Lotharingia, Gallia civem ſuum dicunt,
 Bene ignorantur Honorati incunabula:
 Bene tot regna, & Provinciæ de illius ortu decertant;
 Qui de honore ſuo ignoravit omnia,
 Nil aliud ſcivit: niſi in omnibus ſolius Dei honorem quærere.
 De Honorati proſapia aliud non conſtat:
 Niſi quòd ad ſummum Romani Conſulatùs ſaſtigium proveſta ſit.
 Hos ipſos aviti ſanguinis faſces exoſus Honoratus,
 Parentes ſuos ab aliis ignorari voluit: quos ipſe penè nesciit.
 Nil propriæ virtuti deerat: quod à Majorum gloria Honorato accreſceret.
 Patrem ſuum odit: à quo perperam amabatur.
 Blanditias Patris reſpuit: quibus à virtute retrahebatur.
 Mundi luxum Dei amore in domo adhuc paterna deteſtari cœpit:
 Jugum Dominicæ Servitutis tener adhuc adoleſcens ſuſcepit;
 Ut libertatis jugum, & licentioſæ juventutis excuteret captivitatem,
 Veſtium ſplendorem depoſuit: ut Chriſtum indueret.
 Cilicio corpus amicivit: ut nitorem mentis excoleret.
 Expalluit jejuniis ſpecioſa facies:
 Ut Spiritu cæleſtibus epulis ſaginato formoſior eſſet,
 Orbatum ſe filio ratus parens: quem alium vidit.
 Tum ſe filius parente viduatum ingemuit:
 Cùm hoſtem ſuum in cauſa Dei experiretur.
 Amare parentem deſiit Honoratus: ne Dei honor læderetur.
 Genitori tum ſolùm contumax: cùm Dei filius eſſe conſtituit.
 Domum ergo paternam, patriamque clam deſerit:
 Ne cælum, cujus amore rapiebatur, amitteret.
 Fugæ ſocium Venantium fratrem naſtus, quem Chriſto peperit.
 Senior juniorem ſecutus, natu minoris non jam frater, ſed filius.
 Amavit ut filium Honoratus Venantium:
 Honoravit Venantius Honoratum ut patrem.
 Venantius honor Honorati: Venantiæ amor Honoratus:
 Amor & meta utriuſque honor Dei.
 Par nobile fratrum: quos eadem virtus germanos fecit.
 Major minoris frater, & filius: minor majoris frater & pater.
 Sidera errantia, non loco fixa, patriæ occidebant:
 In Orientem translata fulgorem novam peregrinis terris attulère.
 Exteras regiones trans maria luſtrârunt:
 Ut virtutis ſuæ ſplendore illuſtrarent.
 Honorârunt Sanctorum tumulos, & pietate ſua ſanctificârunt.
 Methonæ Venantius metam vitæ & peregrinationis attigit:
 Non luxit obitum fratris Honoratus,
 Quem nôrat è peregrino cæli factum inquilinum.
 Id unum doluit: quòd eò ſibi ire nondum licuerit, quò germanus præceſſit.
 Obiit in Oriente Venantius: in Occidentem rediit Honoratus.
 In Lerino inſula, ſolis hucusque habitata ſerpentibus, ſedem fixit.
 Mox ſanctum hoſpitem veneratæ,

D

Venenatæ

III
 HONORATUS

Venenatæ bestiae ab inhospita terra recessere;
 In qua deinceps plurimi sancti erant hospitaturi.
 Lerinensium hic Monachorum Ordinem non sine prodigiis condidit:
 E quo postliminio tot thaumaturgi prodire.
 Negata à seculis aquæ imperio Honorati è saxo eruperunt:
 Nec in media maris amaritudine dulcedinem amiserunt.
 Ubique honores fugiebat Honoratus: & fugientem honor sequebatur.
 Infulam Arelatensem, ex eremo accitus, suscepit invitus:
 Ne Dei honor periclitaretur.
 Miracula patravit innumera: & nulla à se fieri voluit.
 Plus gaudebat merita sua Deo innotescere:
 Quàm signa prodigiosa ab hominibus notari.
 Nec majus virtutis signum in Honorato assignari potest:
 Ac quòd signa fugerit, & virtutes suas celaverit.
 At dum fugit signa: orando factus est Thaumaturgus.
 Vel dormiens orare auditus est, & audiri se nescit.
 Christum, qui Honorati medullis infederat:
 In somno etiam lingua officio solito resonabat.
 Extorsit enixissimis precibus ab Omnipotentia Dei:
 Ne miracula ederet.
 Plus hoc cedere ratus in Dei honorem:
 Quàm si ipse per signa hominibus fieret honorabilis.
 Nec insignius patrare potuit prodigium:
 Postquam in vota sua flexit omnipotentem;
 Ne miraculis mundo inclaresceret.
 Miraculum, quod occultare nequit, maximum erat:
 Ordo, quem sanctissimis legibus instituit, sanctissimus;
 A Conditore honorabilis: illustrior à propagato Dei honore,
 Cujus alumni hodie plurimi sacris in factis celebrantur.
 Pro fide occumbere gestiebat Honoratus:
 Quem abstinentiæ rigor, & crux quotidiana perpetuum fecit Martyrem.
 Non martyrem, sed martyrum Parentem esse voluit Deus.
 Cujus filii è Lerinensi unico Cænobio cum Abbate Porcario
 Una die quingentæ pro Christo hostiæ victimatæ sunt,
 Dormiens in mortis quietem transit:
 Qui diebus & noctibus pro Dei honore vigilabat.
 Morienti è cælo adstiterè Sancti, & Spiritus Angelici:
 Horum consortio honorari meruit Honoratus,
 In cælo æternum honorandus:
 Cujus in terris exactæ vitæ meta unica fuit
 Honor Dei.




S. SAB-



Cappadox, Mutalascæ nobili genere natus. Juvenis 15. annorum spreto mundo in Mariane monasterium se contulit: inde Divino monito in eremum abiit, plura erexit cœnobîa, innumerabilium Monachorum institutor. Post fidem Catholicam adversus æri sui hæreticos strenuè propugnatam, et patrata illustria miracula obiit die 3. Decemb. A. 551. ætat. 91.

14.



XIV.

S. SABBAS.

Agè garrula Echo, quæ verbosam imitaris Famam:
 Laconicum Divo huic Anachoretæ concinna Elogium.
 Nostine virum in crypta reconditum?
 Vivum inter mortuos, sepultum ante fata?
 Dic: quis ille Sabbas? *Abbas*:
 Venerabile nomen edis: quod Patrem sonat.
 Magna est paterni nominis reverentia.
 Grande & honorabile Abbatis Patrisque munus.
 Tot filios Deo Sabbas genuit, & educavit:
 Quot S. Abbas Monachos Divino Spiritu imbuit;
 PATER VENERABILIS.
 Primos honores à contemptu mundi promeritus:
 Quem in prætexta ætatis puer togatus deseruit,
 In primo annorum vere cœnobiticam amplexus vitam,
 Adultum gravitate morum, virtutumque studio autumnum attigit.
Grandævus à sodalibus *juvenis* vocitabatur:
 Quos canâ & venerandâ sapientiâ antecelluit.
 Parentes sic reveritus, ut sui faceret reverentissimos:
 Ab instituto Monastico abstrahere nisus,
 Plus Deo, quàm carni & sanguini obtemperandum esse docuit.
 Summam inde sui reverentiam hac magnanimitate conciliavit.
 Perpetuo sui odio ad honorum supremum fastigium eluctari studuit.
 Ut à vitiis omnibus immunis, virtutes omnes consecraretur:
 Vitium unum fugit; otium, malorum omnium radicem.
 Dies manuum labore, noctes oratione fallebat.
 Ubi cibus? ubi somnus? vel parvus, vel nullus.
 Neutro eguit quinquennalis cryptæ incola, mortuo non absimilis.
 Id unum vitæ superstitis indicium habuit;
 Quòd lustrum integrum precibus & laboribus exegerit.
 Ex hebdomadæ diario rigorem vitæ collige:
 Venerandum quidem, vix homini imitandum.
 Quinque dies continuos omni cibo potuque abstinebat:
 Nec jejunanti otium suppetebat; ut de esca cogitaret.
 Ore psallebat, manu texebat, animum cælo affigebat.
 Sabbato labori justitium indixit: cryptâ egredi solitus.
 Post quinquaginta distractas sportas
 Corpus longâ inediâ afflictum exili cibo refecit.
 Dominicâ cryptam repetiit, ut preces & labores suos repeteret.
 Tot palmarum ramos attulit: quot ad opus totius hebdomadæ
 Texendis quinque sportarum decadibus opus habebat.
 O sanctas, & venerabiles operoso in otio manus!
 Sportas è palmis textis: totidem palmas promeritæ,
 Gloriosa vestræ victoriæ insignia.
 Lustrum uno sic vixit: jejunavit, laboravit, oravit;
 Ut virtutem suam orbi redderet illustrem.
 Displicuit hæc austeritas demoni: cujus deliciæ in molli otio,
 Terrificas Sabbæ frementium bestiarum formas objicit:
 Non animum, non vitæ rigorem abjicit Sabbas.
 Vinci nescius Heros imbellem belluarum gregem precibus abigit,
 His armis debellatus orcus vereri Sabbam, & venerari debuit:
 Quem non impunè tentare, neu vincere potuit.
 Ut pomum aliquando decerperet Sabbas,
 Suasit Satanas: non persuasit; ut ederet.
 Consilium hoc consultori pessimum erat.
 Pomum humi abjectum pedibus Sabbas conculcat:
 Nec reliquâ omni vita fructum vetitæ arboris dignatus oculo;
 Quo viso per primam mulierem mors mundum ingressa fuit.

S. SABBAS

Quod ignis inter elementa: hoc inter animantia leo;
 Par utrique savities, nulli parcere solita,
 Illæsus ab igne & leone perstitit Sabbas:
 Quem uterque venerabilem Patrem revereri visus est.
 Unico crucis signo edaces inter flammæ duplex edidit prodigium.
 Ut ardentem furnum ingrederetur, ardentior urfit proximi charitas.
 Fornacem succenderat cœnobii pistor, cui siccandas vestes imposuit:
 Immemor vestium, pinfendis panibus unicè intentus:
 Serò memor, miseram sortem suam ingemiscit.
 Miserum esse noluit Sabbas, furnum ingreditur;
 Innoxius ipse simul cum alterius vestibus ab igne intactis revertitur.
 Spelæum leonis sibi habitaculum delegerat Sabbas:
 Ut loco cederet, novum hospitem leo, loci dominus,
 Commonet, non minis: sed blanditiis.
 Stationem hanc sibi cedere, antro jubet Sabbas leonem recedere:
 Digniorem, inquebat, se Numinis esse facturam;
 Dei manu formatum, Dei imagine ornatum:
 Par esse: ut homini pareant animantia, hominis ergo creata:
 Imperio Sabbæ obtemperat bellua; speluncâ cedit;
 Deum in homine: hominem propter Deum venerata.
 Septem erexit cœnobia: innumeris præfuit discipulis Magister;
 Virtutem Sancti Parentis sic venerati sunt filii:
 Ut vel apicem præscriptæ sibi legis violare sint veriti.
 Solitudinem, quam amavit: Dei, proximique amore ter reliquit;
 Ne sibi soli, neglecto christianæ reipublicæ bono, vivere videretur.
 Ter in aulam Cæsarum venit: ut fidei orthodoxæ subveniret;
 Plus à Cæsaribus honoratus: quam ipse Cæsarum purpuram honoraret.
 Zelo suo effecit: ut Anastasius hæreticus Imperator Catholicis faveret.
 Nesciit sub lacerna & cilicio Sabbam latere Anastasius:
 Ex comite Angelo splendore miro fulgente Sabbam esse rescivit;
 Solio exiliens, tremens, ac stupens veneratur
 Ex Consortio Angelico omni honore dignissimum.
 Justinianus Cæsar sine Angelo Sabbam ut Angelum excepit:
 Venerabilem Patrem tenerè instar filii amplexus,
 Nôsse cupis: quæ tantæ reverentiæ causa?
 Caput Sabbæ coronâ è cælo demissâ redimiri conspexit.
 Hoc cælesti ostento monitus Cæsar:
 Ut fidem tutaretur, orientis hæreses proscinderet;
 Fide propugnata, proscissa hæresi Imperium suum stabiliret.
 Quem sic Deus, Angeli, homines in terris venerati sunt:
 Qua putas gloria in cælo coruscare?
 Inde hodie dum se mundo prodigiis præstat venerabilem.



S. BE-



*Italus, Nursia nobilissimo Aniciorum genere prognatus, eremum
 juvenis petiit: triennio in spelunca ad Sublacum delituit, ibidem con-
 fluentibus ad se discipulis asceteria iz crevit. Cassinum inde migra-
 vit: ubi Apollinis simulacrum evertit, lucos succendit. Regulam scri-
 psit discretione præcipuam, Pater et institutor Monachorum totius Oc-
 cidentis. Miraculis et prophetiæ donec clarus obiit 21. Mart. A. 542. et. 67.*



S. BENEDICTUS.


Quam difficile de Benedicto bene dicere: tam facile est laudare Benedictum.
 Sortitus est nomen à laude: non fati, sed Dei consilio.
 Etymologiam pro encomio substituo: pro elogio Nomen.
 Uno vocabulo laudes omnes constringo: Benedictum dico, & omnia dixi.
 Fuit nomine, & gestis facinoribus BENEDICTUS.
Problema esto: utrum Deo plus Benedictus; an Benedicto Deus benedixerit.
 Faceffe problema! Benedictus dici, & esse non posset:
 Nisi Deus benediceret Benedicto; ut Benedictus benediceret Deo.
 Ortum suum nobilissimis Aniciis debet Benedictus: Anicii Benedicto;
 Quod virtute sua Aniciorum gentem fecerit Augustam.
 Probum Romanæ militiae Archistrategum parentem habuit:
 Christi olim miles, sacra stipendia sub Crucis labaro facturus.
 Matrem nactus est felicis nominis & ominis Abundantiam.
 Quam bene dici debuit Benedictus filius Probi & Abundantiæ:
 Omnigena probitate abundans.
Nondum in auras prodiit: & Benedictum se fore prodidit; cui Deus benedixit.
 Materno adhuc utero clausus, sibi genethliacon pangere auditus est.
 Sonorum cantum edidit: nondum natus, Deo laudes occinuit:
 Quem olim diu noctuque perpete psalmodiâ laudaturus erat.
 Necdum lacrymarum vallem intuitus, lætitiâ gestire visus est:
 In commune mundi universi gaudium nasciturus.
Romæ literis operam dedit: plus virtuti & innocentia servandæ studuit.
Sic liberales disciplinas addidit: ut disciplinae freno libertatem genii coerceret.
 Maluit castus esse, quam catus: imò ut castus esset; catus & cautus erat.
 Castè Musas amavit: noluit amari à Musis; nisi virgines essent.
 Ut primùm Sirenes se Musas finxere: Musas odit ut Veneres.
 Ne inter scholasticos pulveres sordesceret: scholas deseruit.
 Ne pravorum consortio corrumpetur: Urbem solitudine commutavit.
 Ne malè vivendo unquam Benedictus esse, & dici desineret, Musis valedixit.
Ut mundus maneret, mundum fugit: desertis omnibus in Sublaci desertum abiit.
 In cavernam se abdidit: ut *scienter esset nesciens, & prudenter indoctus.*
 Hoc encomio Benedictum Magnus profecutus est Gregorius, filius Parentem.
 Bene gnarus, animi corporisque puritatem thesaurum esse inæstimabilem:
 Hunc bene reconditum esse voluit; ne prædæ foret obnoxius.
 Oculis hominum se subduxit: ut Deo soli, qui videt in abscondito, ferviret.
In eremum usque Benedictum secutus est Cupido: ut inter feras solitarium prosterneret;
 Quem in Urbe tot victoriis inclyta inter Veneres vincere non poterat.
 Cypriis facibus castissimi juvenis pectus impetere aggreditur:
 Ut ignem in primo fomite sopiret Benedictus; nudus cum nudo hoste luctatur.
 Vestes abjicit, ne pudorem amittat: asperrimo in senticeto corpus tamdiu volutat;
 Donec profuso sanguine libidinis incendia extinxerit.
 Nempe ne candens Virginitatis lilium flaccesceret: his spinis obarmandum erat.
 Purpuratus cruore suo Martyr castitatis sic Cupidinem elusit:
 Ut posthac Benedicto illudere non sit ausus.
 Quam dura prælia castitatis: tam ampla sunt præmia Victoriæ.
 Carò stetit victoria Benedicto: munificè Deus remuneratus est victorem;
 Stimulo carnis deinceps immunem fecit Benedictum:
Ut gratissimum sibi fuisse hoc sacrificium ostenderet, quo Deo carnem suam victimavit.
 Celari longiùs virtus Benedicti nec potuit, nec debuit.
 Latere eum non decuit: quem Deus illuminando mundo destinavit.
 Affluxit ad Benedictum numerosus grex discipulorum:
 Ut fluxas mundi illecebras contemnere hoc à Magistro docerentur.
 Sterilem Sublaci solitudinem in fertile convertit virtutum seminarium.
Duodecim in eremo erexit asceteria: ferarum spelæa prima Sanctorum fecit incunabula.
 Excidium totus in maligno positus, in scelera solutus orbis merebatur:
 Ab interitu Benedictus servavit; dum suo suorùmque sudore ad frugem reduxit.
 Salutem suam tum mundus Benedicto debebat: cum à Deo maledici debuerat.

BENEDICTUS

Secundum cataclysmum timere poterat: nisi hunc Benedictus avertisset.
 Felicior Noëmo Benedictus: ille mundi propagator post primum mundi exterminium;
 Hic mundi conservator: ne altero diluvio periret.
 Tot mundo contulit beneficia, ut totus ab uno Benedicto fuerit benedictus.
 Dedit mundo Apostolos: qui Evangelium prædicarent; Doctores: qui ignorantes docerent;
 Martyres: qui suo sanguine fidem Christi propagarent;
 Pastores: qui gregem Domini verbo Divino pascerent.
 Benedixit Ecclesiæ Christi Benedictus in propagine sua benedicta.
 Dedit Vaticanæ Cathedræ successores Petri, cæli clavigeros septem & tricenos;
 Purpuratorum Patrum Senatui ducentis plures.
 Habuit è filiis Patriarchas 200, Archipræsules 1600, Antislites 4000.
 Cælo ipsi benedixit: cui Sanctos transcripsit innumeros.
 Sacra apotheosi ornati numerantur duntaxat millia quinquagena.
 Triumphat cum his in cælo Benedictus: militat in terris cum militantibus pro cælo;
 Qui per orbem universum incolunt canobia Virorum 37000. Virginum 14000. Prioratus 15000.
 Benedixit Deus Benedicto: Patriarcham fecit Abrahamo similem;
 In quo omnes gentes terræ benedicerentur.
 Fecit Prophetam, ut futura prædiceret, abdita cordium videret.
 Fecit Apostolum: qui idola extirparet, paganos Christiana fide imbueret.
 Fecit Doctorem, sanctissimum legislatorem, quem tot Ordinum conditores Parentem suum venerantur.
 Nec aliud scripta regula: quam vitæ propriæ illustre fuit exemplum.
 Virtutes Benedicti legem delineavere: lex data vitam Benedicti effigiavit.
 Benedixit Deus Benedicto, quem fecit prodigiorum Thaumaturgum.
 E monte præcipitatus, cruce se muniens: incolumis petræ in demissa valle infedit;
 Saxo ceræ instar mollescenti artus suos impressit.
 Cruce calicem intoxicatum signans, in frustra diffregit, propinatam mortem fugavit.
 Ardere domus visa est astu dæmonis: fatuos ignes, quos aquæ extinguere non poterant;
 Oratione sola evanescere iussit.
 Alapam energumeno infixit: ictumque sensit verberatus incola Tartareus;
 Mox obsessum torquere desit: maluitque Orcum repetere, quàm à Benedicto vapulare.
 Ex Mauro discipulo fecit Petrum: Christi vices sustinuit Benedictus.
 Imperium Christi expetiit Petrus: ut super maris undas ad Christum ire sibi liceret;
 Calcavit mare, & mergi modicæ fidei cœpit.
 Jussu Benedicti Maurus calcavit aquas: & mersum Placidum non mersus salvum reduxit.
 Precibus mortuos suscitavit: vas fractum redintegavit: vitrum petræ injectum servavit:
 Lecythum vacuum oleo, triclinium famelicum panibus implevit: omnibus omnia impetravit.
 Stando denique mortem oppetere voluit: per quem mundus, ruinæ proximus stetit.
 Viam anima Benedicti in cælum evolans stellatam habuit, lampadibus corruscantem:
 Hanc sibi virtutibus stravit, qua in Patriam suam abiret.
 Præcessit Pater: ut Parentem filii sequerentur.
 Benedicti patria cælum; patria filiorum Benedicti; qui olim, ut merentur, audient:
Venite Benedicti Patris mei!
 Si minùs bene de Benedicto dictum sit: nil mirum;
 Nemo de eo condignè benedicendi artem callet: quem Deus tot benedictionibus replevit.
 In Etymologia hæsimus; nec Elogium Benedicti aliud erat; quàm Nomen BENEDICTUS.



S. OD-




S. ODDO.

*Francus, Abbas Cluniacensis electus, à S. Bernone Abbate Molismesi iam annò
890. captam in Gallis reformationem ordinis S. Benedicti, Pontificia
authoritate circa annum 940. per Italiam, Hispaniam, Germaniam, Angliam
promovit sub titulo Congregationis Cluniacensis, obiit 18. Novem: Anno 943.*



Faint, illegible text or markings, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

SOD



S. ODDO.

Vivit in Parente filius: si filii idea sit Pater;

Vivit in Filio Pater: si filius viva sit imago Patris.

Felix Benedicti filius Oddo: Felix Oddonis Pater Benedictus.

Oddonem in Spiritu genuit Benedictus: Benedicti spiritum regeneravit Oddo.

Regulam Monasticam Spiritu suo animavit Benedictus:

Ne exanimis fieret; ejusdem animam Oddo conservavit.

Unus in Patre & Filio erat Spiritus.

Sanctæ legis auctor Benedictus: Oddo sanctæ legis ZELOTES.

Illustri genere ortus, virtute natales suos fecit illustriores.

Filius orationis & lacrymarum: Parentum precibus & fletibus exoratus.

Samuelis instar à sterili matre natus: Deo, à quo impetratus, consecratur.

Fasciis adhuc ligatum, jam voto adstrictum S. Martino Parens dedicavit.

Illius beneficio vitam auspiciatus:

Ad cujus sacras exuvias prodigioso favore vitam positurus erat.

Nondum prætextam exiit: jam togam promeritus;

Cathedralis Turonensis Ecclesiæ Canonicus investitur.

Juvenem sibi desponsavit Sapiencia: sui secuta apud Oddonem;

Cui nitidissimus candor pro capitis canitie.

Somniis Poëtarum vigili studio intentus, Virgilium jugiter manu versabat.

Ne posthac lectitaret: somnium finxit Morpheus;

Ut fabulas Oddoni Deus redderet invisas.

Sitire sibi videbatur dormiens: sitienti ignota manus cyathum porrigebat;

Auro coruscantem, serpentibus refertum.

Mox cum sopore sitis, cum siti Poëtarum amor evanuit.

Cælesti hoc viso territus, errorem suum dedocuit:

Nauseare Poëtas cœpit: dum sub auro venenum & mortem latere didicit.

Divinas deinceps paginas evolvit: ut soli Deo ad cor loquenti obaudiret.

Fastidire dignitates statuit, quanquam sacras, sæpe lubricas.

In libertate mundi servitutem expertus: Dei servitio se mancipavit;

Ut veram libertatem consequeretur.

Rerum dominio se abdicavit: ut plenum sui ipsius dominium indipisceretur.

Bona omnia egenis dispensavit: nec dispendium, sed quæstum fecit.

Fœnerari Deo voluit miserendo pauperum: censum ultra sortem recepturus.

In solitudine triennio tirocinium sacrae militiæ posuit:

Solitudinis tædia non sensit; minimè solus, cùm solus: Dei contubernio fruitus.

Soli dæmoni exosa virtus Oddonis fuit: qui solus bonum amare non potest.

Olim veterosum in paradiso mentitus colubrum:

Jam sub vulpina pelle palam fecit, quàm versipellis genii sit Proteus.

Nocte concubia ad sacram D. Martini ædiculam sæpe Oddo concesserat:

Ut constantem hanc pietatem juratus pietatis hostis sufflaminaret;

Gannientium vulpium gregem in precantem immisit.

Non destitit ab oratione Oddo, & à belluarum morsibus immunis perstitit.

Cælitus è nemore lupus submissus tartareas vulpes abegit.

Eundem posthac Oddo viæ comitem fidissimum ab obsequiis habuit:

Peregrinantem ad Tutelaris sui sacrum odeum famuli instar sequebatur,

Non jam rapax ovium helluo: sed præclarus ovinae innocentia custos.

Ab Eremita ad signa S. Benedicti transit, eum in religiosa arena palæstritam se exhibuit:

Ut virtutes omnes penè sibi innatas habere videretur.

In Deum absorptus animo, sui immemor: etiam dum corpus pasceret.

Hunc aliquando in anagnoste mensa audire se ratus:

Micas panis, dulciori anima pabulo intentus, edere oblitus;

A cana surgere jussus, vetante regula ultra sumere non ausus:

Manu collectas Abbati offert, se pœnae reum defert.

Justum sui accusatorem cælum excusat: immunem noxa Deus absolvit,

Micas prodigio in margaritas convertit.

Miraculum obedientia præmium fuit:

Quid mirum, obedientes esse thaumaturgos?

Abbas

Abbas Cluniaci, alter à Benedicto sacri Ordinis parens dici meruit:
 Dum Cluniacensem Congregationem institueret.
 Duo cœnobiorum millia Auctorem suum venerantur Oddonem:
 Cui sua in acceptis referunt fundamenta, & incrementa,
 Regiminis scopum unicum habuit Benedicti Regulam:
 Hanc ad apicem servari docuit suo exemplo, paternæ Legis vindex acerrimus.
 Nôrat jejunium virtutis cibum: probitatis nutricem esse silentium.
 Utrumque suis commendabat suâ abstinentiâ & taciturnitate:
 Cui pro esca inediæ sapor, pro deliciis linguæ fuit arcta custodia.
 Carnium esum suis vetuit: ut carni demortui, Spiritu viverent,
 Cœnobitas suos silentii aded tenaces habuit:
 Ut non jam Pythagoræ discipuli, sed Oddonis æmulatores,
 Signis pro vocibus uterentur, soli Deo colloquerentur.
 Facundius hoc silentium erat Tullianâ eloquentiâ:
 Eloquentiores erant oratores, quò magis taciturni;
 Artem bene dicendi, quia bene orandi præprimis callebant.
 O muta facundia, Deo gratissima! O silentium eloquens, cælo acceptissimum!
 Patris legem suis virtutum ideam: se exemplar virtutum proposuit.
 Ex una charitate omnes conjice: quæ major omnibus, mater est omnium.
 Pauperes cæli janitores appellavit: his sua erogavit, etiam non rogatus.
 Ab his sibi olim cæli fores referari sperabat: quos sibi in terris fecit obnoxios;
 Ab iisdem trapezitis cælestes thesauros recepturus, quibus terrestres dispensavit.
 Equum suum, quo vehebatur, itinerantibus mendicabilis commodavit:
 Suis, & indigorum commodo; quæ ponè pedes & psallens comitabatur,
 Beneficam hanc charitatem prodigioso beneficio Deus compensavit.
 Jumenti sellam vix infederat mulier energumena:
 Et obsessam, charitatis osor, malignus genius deseruit.
 Visione & alloquio Sanctorum sæpe fruitus: nec invitos è cælo attraxit;
 Quos in terris virtute sua proximè imitari studuit.
 Delicias eorum in mundo prægustavit: quorum contubernalis futurus erat in cælo.
 Discordes Italiæ Principes mira dexteritate fecit concordes.
 His dum Romæ pacem persuasit: lethali cum morbo luctari cœpit.
 Febri ardebat corpus: plus Zelo animus inexstinguibili æstuabat.
 Inducias à Deo poposcit, & obtinuit, Turones rediit:
 Ut in patria moreretur, & cælo nasceretur.
 Ad tumulum S. Martini in cælum abire voluit: cujus patrocínio in mundum est editus.
 Feriatum Divi Antistitis honoribus diem solemnem celebravit:
 Octava à solemniis die ad lucem & pacem migravit sempiternam.
 Duplicis vitæ suæ duos habuit fautores: mundo vivere Martini beneficio;
 Deo vivere cœpit beneficio Benedicti.
 Ut bis mundo moreretur:
 Semel vivere desit, utrique in cælo æternùm convicturus.




B. SO-



BEATUS SOROR.

*Senis in Tuscia natus, veteramentarius, erecto ibidem xenodochio ce-
 lebri, cui à Secla nomen, Ordinem FF. S. MARCI peregrinis, et agra-
 tis ministrantium instituit sub regula à se condita, à Coelestino III. ap-
 probata: per B. Augustinum Novellum novis sanctionibus à Bonifacio
 VIII. A. 1300. confirmatis restauratum. Prophetica dono, et miraculis
 clarus obiit 17. Aug. Ann. 898. æt. 66.*



BEATUS SOROR.

Ad tumulum te, Lector, ablego, peregrinum volo, Senas concede:
 Divi peregrinorum fautoris aræ hoc folium appende.
 ELOGIUM funebre est: Sororis panegyricum EPITAPHIUM.
 Hic jacet, qui miraculum fuit: & nondum desit esse miraculum;
 Quem charitas locupletem: Sanctum fecit paupertas.
 Idem pauper & sanctus: egenus & dives.
 Senas Tusciæ bis patriam habuit: ubi mundo natus, renatus cælo;
 Priusquam nasceretur, jam cælum promulgavit beatum.
 Nondum in terras editus, in cælum conspectus est eniti.
 Bis gratiæ filius erat: matrem nactus, cui Gratiæ nomen.
 Filium sibi parens Divino ostento parere visa est:
 Qui per scalam cælum usque pertingentem ascenderet.
 Nec somni hic lusus erat: quo dormienti illuderet Morpheus;
 Sed præfagium Divinæ Providentiæ.
 Hoc viso puerpera vidit: proditurum ex se in lucem,
 Non naturæ partum, sed gratiæ cælestis.
 Mysterium scalæ nasciturum infantem indicavit,
 Conditorem olim fore Ordinis de Scala.
 Exactâ piè pueritiâ, cum ætate pietas Sororis adolevit:
 Cujus sanctitatem miracula, quæ cæli lingua sunt, loquebantur.
 Patris veteramentarii artem secutus,
 Tabernam sutrinam in virtutum vertit officinam.
 Pedum tegmina aliis refarciit:
 Ipse calceatus pedes in præparationem Evangelii,
 Ad summum Perfectionis apicem procurrit.
 Morum integritati singularem vitæ junxit austeritatem,
 Manuum labore corpus fatigavit: asperitate spontanea in se deserviit;
 Illo vitam sustentare: hac sibi penè adimere visus.
 Picem tractavit, & animum non inquinavit.
 Nil penè habuit: & omnia prodegit.
 Filium prodigum dicerem: sed nunquam à Patre suo cælesti discessit:
 Filii tamen instar prodigi omnem substantiam dissipavit:
 Cum ædibus paternis, unico patrimonio, se abdicaret;
 Quas commune pauperum peregrinantium fecit hospitium:
 Ex paupere cerdone Pater pauperum.
 Sed amplæ nimium charitati impares erant angustiæ domûs:
 Mox charitas ipsa Sororem orbi Sanctum divulgavit, ut locupletaret.
 Suppetias pecuniarias liberali manu contulere
 Cives Senenses, Pontifices Summi, Principes exteri.
 Hoc charitatis quæstu pius scenerator ditatus,
 Augustam Deiparæ Basilicam, nobile excitavit nosocomium:
 Utrique de scala nomen datum à repertis lapideis gradibus.
 Per hos olim ad fanum Minervæ ibidem patebat aditus:
 Ubi nunc Divinioris Palladis visitur odeum,
 Increata Sapientiæ Genitrici, quæ scala cæli est, consecratum.
 Conditus hic à Sorore ægrotis & peregrinis ministrantium Cœtus,
 Fratrum S. MARIÆ subinde dictus est.
 Placuit insigne hoc charitatis institutum Matri pauperum:
 Benedixit Conditore pauperi, & domui suæ;
 Munificè dotatam voluit: cui hodie dum redditus annui 25000. Scutorum.
 Nempe ut Deo, sic Virginæ Dei Parenti scenerator:
 Quisquis pauperum miseretur.
 Quod cælo gratum, hoc ipsum pietatis opus Stygi erat invisum.
 Eversum id sæpe ibat charitatis hostis infensissimus.
 Imbellem reddidit aggressorem fortior Sororis charitas, quæ omnia suffert.
 Quoties infernalis flagrio Sororem immaniter cecidit:
 Toties cæli vulnera submissus è cælo Angelus persanavit.

E

Mentitus

LXX
BEATUS SOROR

Mentitus aliquando orci genius peregrinum,
 A Sorore mensâ, hospitio, lecto exceptus,
 Maleficium pro beneficio officioso reddidit Patrifamilias.
 De surrepta pecuniaria crumena judici hospitem suum eriminatur,
 Vocatus in jus Soror, innocentia suæ testis, & vindex,
 Sycophantæ Tartareo sacram lipsanothecam ostentat.
 Hanc contrectare jubet, noménque furis jurejurando edicere.
 Sanctarum exuviarum conspectu territus trifurcifer,
 In fumum abiit, qui famam innocentis obfuscare voluit.
 Tetro odore post se relicto contestatus impostor:
 Conficti criminis auctorem fuisse infamem patrem mendaciorum.
 Irritos sibi celsisse conatus suos doluit Stygius veterator:
 Quòd ut hominem tentârit: & homine majorem invenerit.
 Feminam ergo, dæmone pejorem, sibi sufficit.
 Sed rursus erravit: amari nequit mulier morte amarior.
 Lupam submisit: quæ agnum innocentissimum ad scelus pelliceret.
 Rejecit lenam ceu leo fortissimus:
 Asmodæum, feminâ tectum, carne humana vestitus Angelus.
 Cæli munificentiam prodiga in pauperes charitate sibi promeruit:
 Cui Deus futura incognita & arcana cordium revelavit.
 Miraculis inclarescere voluit: ut Propheta esset, & Thaumaturgus:
 Quem amor proximi omnibus omnia fecit.
 Demum peregrinorum curatori in terris, pauperumque Patri
 Exoptata in cælum peregrinatio supererat.
 Facilem in patriam supernam reperit ascensum:
 Gradus sibi eò commigrandi pridem fabricavit
 Mariani Cœtus de Scala Conditor.
 A Deipara de morte monitus: ad Matrem filius evolavit.
 Febricula corpus corripuit: charitas cor depasta fuit:
 Amoris æstu, non morbi, extinctus: vixit, & obiit victima charitatis.
 Cæli nunc possidet divitias:
 Qui se, & sua omnia pauperibus erogavit.
 Gloriosum ante communem anastasin mortuum corpus apparuit:
 Post tria penè secula miraculum esse non desit.
 In nosocomii templum Anno 1192. translato
 Omnium Ecclesiarum æra campana sponte sua applausere.
 Hodiedum anno à morte octingentesimo vigesimo septimo manet miraculum.
 Spirat odorem mortuus, qui vivus charitate fragravit.
 Mors mortuum reveretur, quem vivum timuit.
 Jacet exanime corpus, sed odorum, & integrum:
 Silet verbis, & loquitur miraculis.
 Abi nunc peregrine Lector: & quem in tumulo
 Perpetuum spectasti miraculum, venerare in cælis Beatum.



S. RO-




S. ROMUALDUS .

Italus, natus Ravennæ ex stirpe Ducum Ravennatum, Abbas Clafsensis, instituit ordinem Eremitarum Camaldulensium, deinde anno 1513. à Leone X. monachis ejusdem nominis unitum, obiit Anno Christi 1027. die 19. Junii. ætatis suæ 120.

C. Wegel. exc.

18.



S. ROMUALDUS.

Falleris Lector: si his lineis Romualdi Elogium autumes effigiari.

Nec falleris: nisi commodo tuo: Romualdus ipse sui effigies est Elogii.

En DOCTOREM tuum PARÆNETICUM! cui eremus schola: Crux cathedra fuit,
Habes in Romualdo tot virtutum documenta, quot inclyta facta,

Disce vel in primo Elogii limine: Sanctos laudari ideo;

Ut, quæ illi gesserunt laudabilia, ipse sceteris: ipse fias elogio dignus.

Ducum genere prognato natalium splendor penè fatalis extitit;

Quos vitæ licentiâ obscurare cœpit.

Pulcherrimum Progenitoribus nomen obtigit: Honesti dicti sunt.

Vel Nominis venustas Romualdo morum honestatem citiùs persuadere debuisset:

Ne hos primis lubricæ ætatis annis voluptatibus fædis deturparet.

Disce: quàm cognata sint nobilibus vitia. Nil prodest nobile nomen, si mores sint ignobiles.

Venatu delectabatur: silvas percurrendo corpus fatigabat, animum relaxabat.

Feras insequabatur: mox præda Dei futurus, qui animam Romualdi venabatur.

Inter nemora jocundanti voluptatum nauseam, seculi tædium,

Eremitæ desiderium Adolescenti vitiis silvescenti Deus indidit.

His Divinæ gratiæ tendiculis nobilissima hæc fera irretienda erat.

Disce: quàm sollicitum de salute tua Deum habeas: quam ipse, Dei immemor & tui, non curas.

Paricidio se polluit Romualdi genitor: cognato sanguine manus impiavit.

Mors Affinis vitæ sanioris stimulos Romualdo suggessit.

Alieno fato, ceu suo, fauciatus: hortatu Numinis ad Classensè Asceterium profugit;

Ut ex filio paricidæ fieret filius Dei.

Vidit hic adstare sibi Apollinarem Divum Ravennatium Antistitem:

Cælestis Apollinis audiit oraculum; ut Dei obsequio se dicaret.

Disce: quàm promptè Deo vocanti parendum sit;

Ne, cum serò Deum invocaveris: aures Dei tibi obsurdescant.

Disce: citò generoso pede calcare vitia; elevabunt te: si infra te fuerint.

Sat diu se malè vixisse doluit Romualdus:

Ut deinceps bene semper viveret; S. Benedicti institutum amplexus est.

Tam sublimi virtute commilitonibus suis in religioso tirocinio præluxit:

Ut non novitius, sed triarius miles esse videretur.

Papæ! quàm periculosum est: etiam in virtutis schola aliis eminere.

Virtus, ut vi pollet magnetica, qua in sui amorem & sequelam bonos trahit:

Sic cognatum sibi semper impiorum habet livorem.

Invidia dycolorum è vivis Romualdum tollere decreverat.

Disce: animo non dejici, cum te virtus Deo amabilem, hominibus facit exosum.

Ut umbra corpus: sic livor è vestigio sequitur virtutem.

Ut noctua solem: ita, quos invidia excecatur, pietatem aversantur.

Fugâ salutis suæ consulit Romualdus: dux Deus, eremus asyllum erat.

Unum reliquit cœnobium: ut plurima excitaret.

Hoc ipsum repetiturus, primum vitæ suæ religiosæ, & invidiæ seminarium.

Eremitæ mutavit monasterium: monachum non exiit; Marini discipulus solitarius,

Sublime perfectionis studium, animarum Zelum ab hoc Magistro edoctus est.

Sic, qui quondam feras capere assuevit: nunc venari animas didicit.

Aulas & curias Dynastis ac Principibus evacuavit, ut eremum & monasteria impleret.

Disce: hanc Deo gratissimam animarum prædam arridere.

Has Ipse deperivit: harum gratiâ, deserto celo, in terras descendit.

Romualdum æmulatus Parens Sergius, monachum induit: ut paricidium lacrymis elueret.

Multis post annis missa ad aratrum Domini manu respicere volens:

Ne ad calcatas Christi amore mundi insanias rediret; filii extorsit sancta severitas.

Advolat è Gallia in Italiam Romualdus: amor addidit alas.

Collabescentem precibus, lacrymis in proposito firmare satagit:

Nihil his proficit; stat ratum fixumque Sergio à religione deficere.

Ergo ut contumacem plecteret, læsum Dei honorem vindicaret:

Vinculis Deo perfidum constringi jubet filius.

Novum id piissimæ crudelitatis genus erat: sic favire in Patrem.

Pretiosiores aureis torquibus hæc compedes fuere:

His vinc̄tus vacillare destitit Sergius, in cruce pœnitens perstitit.
 Hodie inconstantiam suam deslere cœpit: postridie sanctè vivere desit.
*Disce: hanc felicissimam esse filiorum sortem; si curent: ut parentibus,
 Qui vitam dedere corporis, vitam animæ reddant:
 Ut genitores suos, à quibus in mundum editi sunt, calo regenerent.*
 Abbas subinde Classensis unanimi consensu creatur Romualdus:
 Unicum Virtutis suffragium sat erat; quâ omnibus præcelluit.
 Biennio ad clavum sedit: ab ærumnis non dejectus, quem constantia solidavit.
 Magistratum, quem invitus admisit: sponte dimisit.
*Disce: etiam sacrarum dignitatum fastigia, ceu montes præcelsos, fulmini obnoxia esse;
 Tutius te humi subsistere: ne in alto vel propria vertigo, vel aliena te infestet invidia.*
 Desertum repetiit, & cæli deliciis affluens, desertum vertit in paradisum:
 Camaldulensium Eremitarum sterili in solitudine fertilis Parens.
 Olim Esau in silvis errabundus: modò Jacob alter dormiens, in sopore vigil;
 In scala ad cælum extensa ascendentes vidit instituti sui sequaces.
 Crucem Christi scala adumbravit: eadem via lactea fuit.
 Hoc sub schemate Divinior Morpheus candida veste amictos Filios Romualdi depinxit:
 Agni cælestis albicantes, sibi, & mundo crucifixos.
*Disce: quàm verè cecinerit Vates: non est ad astra mollis è terris via,
 A calo aberras: si Crucem abhorreas.*
 Literas non calluit, literatis doctior: Scripturarum mysteria cælitus didicit.
 In psalmos Davidicos insignes scripsit commentarios:
 Eodem dictante Spiritu Dei, quem David Magistrum habuit;
 Davidi per omnia similis, peccanti, pœnitenti: Sanctus uterque, & vir secundum cor Dei.
*Disce: sapientiam mundi hujus stultitiam esse coram Deo;
 Eum duntaxat verè sapere, cui calum sapit: mundus despicit.*
 Mortis suæ horam viginti annis præsciit, & nescientibus prædixit.
 Prolongari incolatum suum in exilio non doluit, de superna patria certus.
 Scivit se ideo diu vivere, ut plures cæli hæredes Zelo suo institueret,
 Errant, qui Romualdum centum & viginti annos vixisse computant.
 Viginti primos annos mundo impensos perdidit: vel ideo mortuus, non vivus.
 Centum duntaxat vixit annos, quos virtuti, pœnitentiæ, & Deo sacravit.
 Mercedem centuplicem meritis, dierum plenus ad vitam æternam migravit.
 Corpus annis ab obitu 440. integrum, nulla tabe affectum, repertum est.
 Ex incorrupti corporis prærogativa animæ cælestem gloriam conjicere licet.
*Disce: nil curare, quid corpori post mortem obtingat.
 Ne mori timeas semel: virtutis perpeti studio salutem animæ consule.
 Mortalem te mors certa manet: hora, qua te latet, incerta est.
 Mortem præscire tuam non potes: sed prævidere; si semper præ oculis habeas.
 Mors ultima linea rerum: hæc Doct̄oris tui Paranetici suprema est lectio;
 Mors Echo vitæ est: bene vivendo artem artium bene moriendi disces.*



LUDOL-



LUDOLPHUS.

*Italus Nobilis, per Apenninum iter agens, ad fontem sub corylo con-
siders, caelesti voce monitus, Sacellum S. Andreae Ap. extruxit, et con-
gregationem S. Columbae de Avellana dictam instituit circa A. 1000.
sub regula S. Benedicti à Silvestro II approbatam, quæ per plura in
Italia coenobia viris celeberrimis inclaruit. Eugubinus Episcopus
24 tus A. 1019 creatus, electioni cessit.*

19



LUDOLPHUS.

Mira & vera, multa & pauca de Ludolpho, Lector, audies.
 Elogium Ludolphi leges, & Ludolphum ÆNIGMA dices.
 Nobilis fuit Italus: & cùm Italiam nescire cœpit;
 Nobilis esse desit: ut se, & Patriam nobilitaret.
 In via metam invenit.
 Ne à meta deviares: in termino novam viam auspicatus;
 Viator in meta: in via comprehensor.
 Per Apenninum peregrinatus: & cælum ad Ludolphum;
 Ut mundo exauctoratus cælo auctoraretur.
 Dormiens ea vidit clausis oculis: quæ nunquam apertis.
 Sopitis auribus ea audiit: ad quæ vigilans obsurdit.
 Nunquam animo vigilantior:
 Quàm cùm sopor sensus corporis penè extinxerat.
 In somno Morpheum intuitus Cælestem Apellem,
 Immane mundi nihilum depingentem,
 Cujus ingentia promissa, figmenta inania.
 Didicit dormiendo, somnum mortis esse fratrem:
 Ante mortem in somno mori mundo edoctus;
 Ut experrectus soli Deo viveret.
 Ad fontem confidens obdormivit in terra:
 Ut posthac terram exosus in cælum se erigeret.
 Iphis in undis, ceu in crystallino speculo,
 Fluxam mundanarum rerum vidit vanitatem:
 Ut deinceps nil nisi cælestia sitiret.
 Umbra coryli somnum conciliavit: non ut somniaret;
 Sed Divina oracula exciperet.
 Arborem scientiæ boni & mali hanc corylum dixerim:
 Sub qua bonum facere, & à malo declinare didicit Ludolphus;
 In hoc protoparenti Adæ filius similis:
 Quòd dormienti aperti sint oculi, quos vigil clausos habuit.
 Dissimilis: quòd probrosæ suæ nuditati tegimen ille quæsierit;
 Hic stolam gratiæ repererit, quam genitor amisit:
 Extorris ille ob degustatum vetitum fructum factus sit paradisi;
 Hic Divinæ voci obtemperans, cæli candidatus.
 Sed nefas: hanc corylum infelicissimæ huic malo comparare;
 Unde mala omnia, & malorum omnium pessimum, peccatum pullularunt.
 Non mortis, sed vitæ arbor dicenda:
 Sub qua ad vitam animatus fuit immortalẽ.
 In quiete Deus Ludolphum alloquitur:
 Ut cor Ludolphi moveret, & hoc motu redderet quietum.
 Ne quære: num Ludolphus dormiens vigilaverit:
 Aut dein vigil somniaverit?
 Experrectus omnia, quæ mundi sunt, ut somnia contempsit.
 Eum sibi loquentem audiit, qui de se dixit:
Ego sum via, veritas, & vita.
 Ideo giganteis passibus de via ad veritatem,
 De veritate ad vitam procurrit.
 Felix viator! qui dormiendo finem suum ultimum attigit:
 A quo vel centoculi Argi etiam vigilando aberrant.
 Felix peregrinus! qui in statione quietis, vitæ suæ metam fixit:
 E qua ad cælestem patriam peregrinaretur.
 Hic Divo Andræ Apostolo, uti Deus jusserat,
 Sacram ædiculam, sibi angustum extruit tugurium,
 Ex nobili peregrino extemporalis ædilis:
 Nobilior Dei servus ex Domino, & eremi incola.
 In cella latitans cælum oculis spectabat, & animo versabat:
 A crucifixo Apostolo Christi Crucisque initiatus Discipulus.

LUDOLPHUS

Solitudinem adamavit: noluit solitarium esse Deus;
 Plures Ludolpho submitit discipulos:
 Quibus solitudinis amorem instillaret,
 In sterili solo fecundus novæ familiæ parens factus.
 Nomen huic inditum S. Columbæ de Avellana.
 Prænominis auctor Ludolphus erat candore morum:
 Cognomentum adjecit coryletum, primævæ originis locus;
 Ubi mundi crepundia, ceu nuces, Ordinis Conditor abjecit.
 Num intricatius ænigma audiisti Lector?
 Ludolphus, genere nobilis, patriâ Italus: & simplex.
 Nempe ut mundum fallacem falleret:
 Callido impostori columbinam opposuit simplicitatem.
 Vel sic non caruit serpentis prudentiâ:
 Ne Italum exueret, cum germana simplicitate sincerum induit germanum.
 Vestitum album suis præscripsit: ut bis candidi,
 Colori amictûs candorem animi sociarent.
 Sub regula S. Benedicti, Monachorum Patriarchæ,
 Ludolphi institutus Ordo approbatus est:
 Ut à Legislatore sancto benedictus,
 A candida sinceritate columbinus esset.
 Per plurima cœnobia dilatatum vidit Italia:
 Avellana eremus Episcoporum & Sanctorum facta est seminarium.
 Innumeri è Ludolphi discipulis ad sacros fasces evecti,
 Infulis ornati: majus ipsi infularum ornamentum.
 Septuagenis plures Sanctorum fastis adscripti,
 Simplicitate sancta cælum mercati sunt.
 Nec Ludolphi virtus, in cella Deo cognita, homines celari potuit.
 Lucerna erat lucens & ardens:
 Quam latere non decuit sub modio; sed imponi candelabro.
 A pastoribus proditus, Eugubii Antistes eligitur:
 Electioni, cesserat;
 Ne eremum adamatam defereret.
 Ab hac si secessisset:
 In Episcopium suum transtulisset eremum;
 Eremita simul, Præful, & Pastor futurus.
 Mortis dies, & annus, ætas vitæ nescitur:
 Sanctè vixisse, sanctè mortem oppetiisse constat:
 Quem virtus immortalem, natura fecit mortalem.
 Tot Sanctorum Parens morti succubuit:
 Ut immortalis in cælo victurus,
 Filios sanctos eò vel præcederet, vel sequeretur.



S. STE-



S. STEPHANUS

Arvernus, natus Tierni, Fundator Ordinis Grandimontensis apud Lemovices. A 30. Aetatis secessit in montem Muretum: duro et parco victu 50. A. ibi moratus, è Gregorii VIII. facultate paris austeritatis socios sibi adscivit. Regula ordinis approbata ab Urbano III. obiit. s. Febr. A. C. 1127. aetate 80.

C. Weigel. sculp.

20.



STEPHANUS GRANDIMONTENSIS.

Insolitum Elogii genus: laudare eum velle, quem ignoras.
 Gallia Stephanum edidit: & quis esset, nescivit.
 Imò patriam, mundum, & se ipsum nesciit Stephanus:
 Dum nesciri ab omnibus, nescire omnia voluit.
 Nihilum mundi cognovit: & ideo mundum nihili fecit.
 Ex cognito mundi nihilo, nihil se esse didicit;
 Ut placeret ei, qui omnia condidit ex nihilo.
 Nihil scivit: nisi nihil; nihil esse voluit: nisi nihil.
 Paradoxum hoc idem, & elogium est: elogium, non elogium;
 Laudare Stephanum: non Stephanum; nihilum Stephani laudare:
 Dicere omnia de Stephano, dicendo NIHIL.
 Fors aliquid Patris in filiis, quos Deo genuit, elucescet?
 Simillimi Patri sunt filii: Pater filiis simillimus.
 Nihil Pater: nihil filii; quos ex nihilo suo nihil fecit.
 Ordinem Grandimontensem instituit: nomen grande, grande nihil.
 Extra Galliam Ordo vix notus: intra Galliam penè nihil;
 Talem mundi contemptus, & vitæ fecit asperitas.
 Homines sunt, rebus omnibus abdicatis nihil possidentes;
 Solum naturæ dominium retinent: quam nihilârunt.
 Nil de crastino sciunt: sic vivunt hodie; ut, num vivant, nesciant.
 De mundo & hominibus nil vident, nil audiunt.
 Luteis & frondosis cellis abditis, cælestia contemplantur:
 Suo in nihilo sepulti, non sibi, sed Deo vivunt.
 Religiosi sunt, non regulares: regulâ carent; & regulam servant.
 Dicit noluit Stephanus regulam: sed *vitam*.
 Vitam profitentur, quam ex Evangelio desumpsit Conditor.
 Pro regula Christi vitam sectantur, dicti Clerici vitales.
 Si ab iis quæras: qui homines sint?
Peccatores sumus; reponent.
 Qui differt peccator à nihilo? quid nihilo inferius? peccator.
 Si alios perconteris: qui sint Grandimontenses?
Bonos homines appellabunt.
 Nil de iis eloqui aliud sciunt, quàm quod sunt: nil dicerent;
 Si scirent: nolle bonos dici; velle omnibus nihil videri.
 De religionis institutæ genere sciscitari non licet.
 Nihil respondebitur interroganti.
 Non sunt Canonici, non Monachi, non Eremitæ.
 Cœnobia incolunt ut Monachi:
 In solitudine vivunt ut Eremitæ:
 Canones vitæ regularis observant ut Canonici.
 Nihil tamen horum sunt: tales dici suos noluit Stephanus;
 Imò tales sunt: quia tales dici recusavit.
 Vera Sapientum magistra humilitas Stephanum:
 Stephanus suos hoc nihilum docuit.
 Quinquaginta annis Dei ductu eremum squalidam incoluit.
 Mureti mons Academus erat:
 In qua nemini notus suum nihilum addidit.
 Hic solus supra mundum vixit: ut mundum falleret.
 Nil de curis sensit, qui nil curavit, nisi Deo assuescere.
 Vivus morti futuræ prælusit,
 Sine morte jam mori incepit, & fieri æternus.
 Æternos prægustavit dies:
 In tempore caduca tempora fallens.
 Solitudinem amavit: & Stephanum solitudo.
 Adhuc puer solitudinem quæsit:
 Cùm nihil sciret; quid solitudo esset.
 In Castelli paterni hortum secedere solitus:

Nec



Nec hortenses delicias venabatur, horti ipse delictum:
 Specum excavatæ rupis subiit: ut precibus vacaret,
 Solitarius cum Deo ageret.
 Formosus fuit: & castus; tantò formosior: quantò castior,
 Nec oberat pulchritudo castitati:
 Dum virtutum pulcherrimam jugi vigilantia custodivit,
 Nullo per omnem vitam libidinis motu concussus:
 Qui nihil unquam deliciarum corpori suo admisit,
 Miri odoris fragrantiam vivus exhalabat,
 Hac perfusi adstantes virginitatem Stephani agnovère:
 In quo totius suavitatis auctor requiesceret Deus.
 Sponsus fuit: & virgo mansit, sponsam nesciens.
 Crux Christi thalamus Stephani:
 Annulus erat castissimi amoris arrha;
 Hoc se Virginum Sponso æternùm desponsavit,
 Fidem à primo solitudinis aditu datam servavit.
 Vixit in nihilo suo lustris omnino vicenis.
 Ultimus vitæ annus jubilæus fuit:
 Postrema morientis ad suos verba de Deo & paupertate,
 Filios nihili sui instituit hæredes:
 Paupertatem commendabat; ut nihil haberent:
 Deum pro patrimonio relinquebat; ut omnia possiderent.
 Post mortem pluribus visus est,
 Comitantibus Angelis in cælum ascendere:
 Qui, cùm viveret, in abyssum sui nihili descendit.
 Laudari posset à miraculis:
 Quæ vivus & mortuus edidit;
 Majus ipse vivus fuit miraculum, se nihilando,
 Maximum: quòd jam plurima, jam nulla patrârit.
 Paruit jam mortuus Priori Grandimontensi imperanti:
 Ne miracula faceret.
 Nulla edidit miracula: ne miraculorum copiâ
 Accitus populus sacre solitudinis quietem profanaret:
 Et solitudo esse desineret.
 Vix, qui jussus erat à miraculis cessare:
 Rursum rogatus, factus est Thaumaturgus.
 Eundem, qui patrare vetuit miracula,
 Sibi supplicentem, morti morboque prodigiosè eripuit.
 Obstupesce Lector: nihil de Stephano dixi; & omnia audiisti.
 O nihilum prodigiosum!





S. JOANNES GUALBERTUS.

*Uetruscus, Florentie nobili genere natus, ob veniam parricide fratris sui
 datam Christum è cruce sibi caput flectere vidit. Ex milite monachus,
 in eremum Camaldulensem ad S. Romualdum se contulit. Ordinem vallis
 Umbrosie sub regula S. Benedicti instituit, approbatum à Victore II.
 A. 1055. pater pauperum, plurimis clarus miraculis, inter Angelorum
 obsequia obiit 12 Julii. A. 1073. etat. 88.*



S. JOANNES GUALBERTUS.

Novum bellandi genus: in arena Martis pro palmis metere oleas;
Recondito in vaginam gladio promereri laurum.

Insolita victoria:

Cedendo hosti, cum feriendus esset, de hoste referre triumphum:
Sitire sanguinem; nec infligere vulnera, sed figere oscula:
Spirare Martem, & inter arma mortis minas elanguere.

Inauditum vindictæ exemplum:

In amplexum hostis ruere; cum sternendus esset:

Ad primum pugnae classicum fœdus pacis sancire.

Hanc bellandi vincendique artem callebat Gualbertus.

Se vincendo, ab hoste victus; hosti parcendo, hostem devicit;

Utrâque victoriâ ipsum vicit Deum invincibilem:

Pulcherrimum ipse, & prodigiosum heroicæ virtutis STRATAGEMATA.

Mors fratris germani morte sicarii vindicanda erat,

Impius parricida pio astu sibi vitam exoravit:

Anniversaria Christi morientis die mortem suam evasit,

In sicarium Joannes offendit, armatus in inermem:

Memor offensæ, mox immemor vindictæ.

Ensem ille exerit: hic genua flectit;

Ut offensum flecteret: Crucem Christi decussatis brachiis effigiat:

Vicit in hoc signo, procumbens ad Gualberti pedes; ne occumberet:

Succubuit parricidæ precibus Joannes, & injuriam obliterat:

Ne Christo è cruce pro inimicis oranti fieret injurius.

Ut interemptus frater revivisceret, latronem in locum fratris sufficit.

Placuit hæc sui victoria Christo, & victori de cruce applaudit.

Se insuper à Gualberto devictum fatetur vinci nescius:

Dum inclinato capite Joanni de triumpho gratulatur;

Et ob impensum inimico beneficium amicas gratias rependit.

Ut post sui victoriam Joannes de novo hoste triumpharet:

Parens debellandus erat ab exarmato Filio.

Resecta ergo cæsarie, depositis armis militem exiit Joannes:

Assumptâ pro baltheo cucullâ novum militem Christi induit.

Sic Parente, & mundo deluso, duos hostes icu unico devicit.

Fertilior post victoriarum mensis sacra in palæstra Joanni succrevit.

Ut vinceret semper, pia suggessit virtus stratagemata.

Subesse maluit, quàm præesse: Monasterii fasces detrectavit;

Eò honoribus dignior, quòd honores rejecerit.

Vel ipso dignitatum contemptu amplius honorata mansit Joannis humilitas.

Monasterium deserto mutavit, ut honores oblatos desereret.

Romualdum in eremo quæsivit, & prophetam invenit.

Cæleste audit ab eremita vaticinium: & Deo per Vatem loquenti obaudit.

In valle umbrosa novum Ordinem condit: desiit esse umbrosa;

Quam splendore virtutis suæ Joannes vallem lucidam fecit.

Inde nova lucis & umbræ arte Stygios tenebriones impugnare cœpit.

Hæresis & Simonia Hetruriam cum tota penè Italia infecerat:

Utramq; pestem Gualbertus sustulit, patriæ, fideiq; comodo, incomodo suo.

Fremunt in Joannem Hæretici, & Simoniaci:

Ecclesiam cum Monasterio incendunt; ipsi rogam promeriti.

Unico crucis signo Joannes cœnobitas suos lethaliter fauciatos sanat:

Sacro hoc stratagemate unus de tot hostibus triumphat.

Denique vinci nescia virtus, toties victorem, fecit Thaumaturgum.

Bis prodigioso Victori aqua prodigiosè parebat.

Exiguum rivulum in immanem fluvium vertit.

Paupertatem sartam tectamque servare volens, rivulo imperat:

Ut Muscetanus Cœnobium nitidiùs ædificatum everteret:

Intumuit illico; & fastuosam fabricam solo æquavit.

Sic uno prodigio paupertatis jura vindicavit,


F

Et

LXX

S. IOHANNES GUALBERTUS

Et profanum sacræ domûs splendorem aquis delevit.
 Hospitem aliquando habuit, quo majorem habere non potuit:
 Pontificem Maximum, eumque Sanctum Leonem IX.
 Obsonium tanto convivâ dignum, quod domûs negârat penuria:
 Sua è penu cælum dedit, Joannes miraculo procuravit,
 Ut Sancti inter prodigia convivarentur:
 Fluvius, ante sterilis, jussu Gualberti sæcundatus,
 Pisces, quos nunquam habuit, subministravit.
 Quid mirum Victori Thaumaturgo obsequi elementa?
 Sui victoriâ hoc dominium, hanc fallendi artem indeptus est,
 Prodigiousum Stratagema: se vincere,
 Ars maxima: mundum fallere impostorem.
 Simonem Magum olim Divus Petrus ex aëre egit præcipitem:
 Igne Petrum Florentinorum Antistitem Simoniacum plexuit Gualbertus.
 Qui fædo mercatu sacras infulas impiavit:
 Flammis infamem quæstum expiare debuit.
 Ut incendio labe Simoniacæ aboleretur:
 E cælo ignem vindicem in sacrilegum fœneratorem Joannes evocavit.
 Qui parricidæ quondam ignovit, sui victor:
 Cælitus subinde arcana cordis & futura agnovit; factus Propheta.
 Publica clastro reconditus nesciit, & scivit occulta præterita.
 Aures præbuit confitenti: patratum reticet adulterium sacrilegus;
 Fallere non potuit Joannem, divinitus de scelere edoctum.
 Revelat sacrilego crimen alienum, quod adulter celabat.
 Reum pronunciat ut iudex, & pœnitentem absolvit.
 Alieni thori jura defensat ut doctus: & sacrilegum silentium dedocet,
 Salutare ut medicus antidotum contra relapsum præscribit.
 Egenorum Pater passim nominabatur: & fuit.
 Sacram iis Ecclesiæ supellectilem erogavit: nec profanavit;
 Mortua templa spoliavit: ut viva ditaret, & consecraret.
 Famis tempore pauperum gregem prodigiosè pavit:
 Oratione usus pro stratagemate; ut cælum carnes deplueret.
 Vertigine correpti boves è montis crepidine in vallem decidunt:
 Ultrò se in cibum, ad preces Joannis convivis Christi offerunt;
 Ne in suis famelicis Christus fameret.
 Sat victoriarum messuit in terris Joannes:
 Ut in cælum triumphans abiret; ultimo opus erat Stratagemate.
 Cælo mundus, mundo cælum invidabat Joannem:
 Ut sibi hunc cælum assereret, mundumque falleret;
 Angelos submisit: triduo supremum ægrotanti famulati:
 Vi mundo ereptam Victoris animam in cælum asportârunt.



S. GA-



GASTO.

*Gallus, natus in Delphinatu, fervente lue ignis ardentis, bonis suis in pau-
peres eâ tactos distributis A. 1095. cum 8. fratribus, et unico filio suo auspiciatus
est ordinem S. Antonii de Vienna, qui circa annum 1295. à Bonifacio VIII. per
indulta specialia privilegia ordini Canoniorum adscriptus obiit A. 1205.*

C. Weigel. del.

22.



GASTO.

Unum tibi, Lector, nomen objicitur : & duo sub uno nomine laudantur.
Gasto celebrari nequit sine Antonio, nec Antonius sine Gastone.

Antonii elogium Gasto : Gastonis elogium Antonius.

Laus magna Gastonis : quòd Antonius Magnus in Gastone laudetur ;

Major laus Gastonis : quòd laudetur in Magno Antonio ;

Maxima laus utriusque : quòd in utroque

Misericordia & justitia ter optimi maximi Dei commendetur.

Gastonem inspice penitiùs : & suspice.

DIVINÆ PROVIDENTIÆ HISTORIAM.

Ut Gallia inter mortes & funera infelix esse desineret :

Felicem ortu suo patriam reddidit Gasto ; exuviis suis Antonius :

Uterque irato Numini reconciliavit ; in cælis Antonius, in terris Gasto.

Peccavit Gallia : & justitiam Dei, cùm sensit, agnovit.

Læsit jus Dei, quem offendit : ut justum se offensus ostenderet, scelera punivit.

Luem ignis ardentis vindex Dei justitia Galliæ immisit :

Ut Gallia injustitiam suam dimitteret.

Ignem plectebatur, quo corpora urebantur :

Ut peccatis meritum ignem inextinguibilem evaderent ;

Qui eundem lacrymis pœnitentiæ sibi extinguerent.

Tot monstris abundavit tum Gallia, quot sceleribus,

Ardore intestino corrupti summi æquè, ac infimi :

Atræ hominum larvæ ; non homines : nec vivi, nec mortui,

Mutilati exesis, & sanie deciduis membris :

Non ambulare, sed repere visi sunt ;

Sine manibus & pedibus trunca jacere corpora,

Viva ante mortem cadavera.

Incendium hoc furoris Domini, quod scelera vindicans accendit justitia :

Is restinxit ; qui non justitiæ, sed misericordiæ Pater dici voluit.

Misera Gallia non fuisset : nisi misera esse voluisset.

Misertus est afflictæ volens lubensque, quam invitus afflixit.

Ut posthac Gallia Dei timeret justitiam, & amaret misericordiam :

Duos à Divina Providentia accepit sospitatores ;

Antonium Gastonis Soterem, Gastonem Antonii & Galliæ Evergetem.

Infirmabatur Gasto : & extemplo ab Antonio sanatur ;

Ut ope Antonii & Gastonis beneficio sanarentur innumeri.

Ægrotabat Gastonis filius, & invocato Antonii subsidio convalescit ;

Ut filius cum parente deinceps Antonium Patris loco haberet.

Petiit afflictæ Gallia ab Auctore Ordinum Deo Ordinem :

Qui correptis ignifero malo opitularetur.

Facta votorum suorum compos talem hodie videt :

Qualem olim Gasto Divo Antonio dicatum condidit.

Audi nunc, Lector : & misertis Dei adora Providentiam ;

Cujus historia à somno exorditur.

Dormiebat Gasto, & animo vigilabat.

Adfuit quiescenti è cælo Antonius : & dormiens Antonium vidit, & audit.

Gastonem cum filio sibi in filios adoptat Antonius :

Utrumque pauperum igneo morbo tabescentium Patrem esse jubet.

Ut titubanti fidem faceret, viso portentoso adoptionem firmat,

Subalarem baculum suum dormienti porrigit :

Qui, ut Divus jusserat, humi defixus in proceram arborem excrevit ;

In flores protuberantem, mox fructibus refertam.

Confidentes sub umbra languidi refocillari visi sunt :

Visa è cælo protensa dextera : quæ ægrotis,

Et ægrotorum curatori largam impertiit benedictionem.

Hac in imagine novum hoc charitatis institutum effigiabat Antonius.

Charitatem virtutum reginam Gastoni commendat :

Hanc regiam viam, quâ in cælum contenderet, præmonstrat.

172

OTPAO


U

Latent plura in uno Antonii Scipione mysteria:
 Quam sibi, suisque Gasto cælestem assumpsit tesseram,
 Figurâ è Græco alphabeto literam T exhibet:
 Symbolum Crucis Dominicæ; nomen indeptus est: *Potentia*,
 Crux signum salutis: T Crucis;
 Utrique nomen convenit *Potentia*.
 Signatos olim hac sacra litera vidit Ezechiel:
 Quos sub Crucis typo à cæde Deus immunes servari voluit.
 Designat hoc Crucis schema Crucis potentiam:
 Quâ impotentes fulciuntur, debiles sustentantur,
 Salutem ægri consequuntur.

In uno nosocomio tum Galliam penè universam Gasto doluit languentem.
 Amare hanc dedocuit morborum causas: ne doleret morborum effectus.
 Exoneravit Galliam malo, & oneravit beneficio:
 Suum tamen beneficium reputavit, quod Galliæ dedit:
 Et ab Antonio accepit.
 Munificus in Gastonem extitit Antonius:
 Cùm potentia insignem contulit, quo miseros relevaret;
 Plus Gasto in Antonium munificus fuit:
 Se miserum fecit amore Antonii, ut miseris subveniret.
 Fortunas omnes in sanandos ægros profudit:
 Nunquam fortunatior, ac postquam fortunis omnibus se spoliavit.
 Tum se divitem fore ratus: cùm divitias egenis erogaret.
 Nec sua tantùm, sed se ipsum & filium unicum dederat:
 Plus dare non potuit;
 Suus esse desiit: nihil sui reliquum, quod daret, ultrà habuit,
 Totum se egenorum, & languentium obsequiis dicavit:
 Ex nobili divitéque dynasta pauper factus, mendicorum mediastinus.
 Sic lue ignea affectis famulabatur Gasto,
 Cujus præcordia majori Charitatis igne exæstuabant.
 Hæredem suum in pauperibus Gasto instituit Antonium:
 Ut sibi olim ab Antonio cælestis hæreditas obveniret.
 Sic providit Deus languenti Galliæ Gastonem:
 Ut in Gastone Antonius, in utroque Deus honoraretur;
 Ab utroque Gallia curaretur.
 Fine caret hæc Divinæ Providentiæ Historia:
 Initium in Gastone habuit; habitura finem: dum cum tempore desinent omnia.
 Hodiedum continuatur, septimo abhinc seculo in Galliis cœpta,
 Per regiones plurimas dilatata:
 In condito à Gastone Ordine, nunc Canonico,
 Sub auspicio Antonii nomine perenne charitatis monumentum.




S. BRU-



S. BRUNO

Germanus, natus Coloniae, Rhemensis prius Canonicus, dein divina inspiratione commotus Parisiis A. 1084, abdidit se cum sex sociis in Carthusiae solitudinem, ubi auspiciatus est Carthusianorum Religionem, confirmatum A. 1108, ab Alexandro III. Ipse prius obiit A. 1101, die 6. Octobris.



S. BRUNO.

Num Elogium admittet, qui totum mundum dimisit?

Streperas laudes odit, qui silentium amat.

Nesciri vult: non laudari; qui solitudinis latebras quærit,

Encomio celebrari Bruno nec potest, nec debet:

Sacros profanosque honores semper aspernatus.

Quis Bruno fuerit: nesciit mundus; quid mundus: Bruno nesciit.

Scivit tamen hoc ipsum, quod ignoravit.

Nesciit mundum: quem fugit, & fugiendum esse scivit.

Solus hic elogio non eget Solitarius:

Mirum & merum sui Elogii PROBLEMA.

Quæ patria Brunoni: an Germania? Gallia? Calabria?

In Germania vivere cœpit, natus mundo.

In Gallia mundo vivere desiit, natus Deo:

In Calabria mortuus, cælo renatus ad vitam immortalem.

Ter genito triplex congruit patria.

Genere illustri natus Colonia: bis Germanus;

Natalibus, & virtute: bis illustris;

Avito parentum sanguine, pietate sua illustrior.

Num de alieno illustris? de suo Germanus?

Ex suo duntaxat verè Germanus, & illustris:

Quem virtus germana illustrem; illustris virtus fecit germanum.

An infans aliquando fuerit, ignoratur.

Morum gravitas virum jam in bullata prætexta ostentavit.

Præcox maturitas ætatis crepundia nesciit.

Nil sapere visus puer: nisi quod virum decuit;

Nil agere: nisi quod ratio & pietas suasit.

Lutetia Parisiorum bis mater Brunonis fuit: doctum fecit, & sanctum,
Num plus illius ingenuitatem, aut ingenium suspiceret: anceps hæsit.

An literas didicerit, dubium est: literatum fuisse constat.

Tam promptè severiores disciplinas apprehendit:

Ut Sorbona jam in discipulo Doctorem venerata;

Mox purpurâ viderit Theologicâ palliatum, & stolatum Ecclesiæ Rhemensis Canonicum:

Utrâque se abdicavit, à morte Theologiam mysticam edoctus;

Mortuali in feretro redivivum ab inferis residere vidit

Infaustum Doctorem Raymundum Diocres:

A quo mundo mori, Deo vivere didicit.

Hac è cathedra accusati, judicati, & damnati vocem audiit:

Et quot umbræ loquentis verba; tot in animo sensit fulmina.

Inde mortem, iudicium, & infernum timere cœpit.

Sic umbra infernalis Brunonem mundi umbras fugere docuit:

Cælum duntaxat quærere, & amare.

Sex cum comitibus in Carthusiæ umbras Bruno concessit:

Et umbrosa solitudo in cælum migravit illuminatum.

Septem illuc avolare Stellas Hugo vidit Episcopus,

Totidem novi in terris cæli hospites.

Ordinem hic suum num Bruno condidit?

An Cælo delapsus Ordo in locum, qui penè extra mundum situs?

Num Ordo hominum dicendus? vivisne, an mortuis similium?

Alumnos suos esse voluit homines mortuos, vivos Angelos.

Facere iussit: quod faciunt Angeli; non homines.

Loquuntur cum Deo, laudant Deum, ut Angeli:

Jejunant, & silent, non ut homines.

Muti & surdi sunt: sibi solis loquuntur, se solos audiunt;

Nemo eos penè alloquitur, vel audit, nisi Deus;


Cum nullo colloquuntur, nisi cum Deo.

Vocali hoc in silentio perpes resonat oratio, & psalmodia,

Deo psallunt in terris, ut Angeli in cælo:

S. BRUNO

Tot inter cantus semper hilares; nunquam mœsti:
 Mortem jugiter meditantur: nectiment, vix morituri ut homines.
 Æternitati intenti: id agunt: quod acturi sunt æternùm cum Angelis.
 Carnibus abstinent: & carnem suam jejunio & cilicio domant.
 Sic cum suis Bruno in solitudine delituit: Urbi tamen & orbi notus.
 Ex latebris Carthusiæ ab Urbano II. in Urbem orbis accitus:
 Romam abiit corpore, nec spiritu Carthusiam deseruit.
 Veneratus Pater Vaticanus Brunonem suum quondam Magistrum:
 Patrem Vaticanum veneratus Bruno, ut à discipulo consulitur.
 Urbani successorem in Petri Cathedra vidisset Brunonem Roma:
 Nisi honorum umbras fugere umbra docuisset Parisiensis.
 Clàm Roma discessit, quam invitus accessit.
 Novam in Calabria Carthusiam exstruxit:
 Eodem Spiritu, quo primam animavit.
 Ibi vitam in Spiritu auspiciatus: hic vitam terminaturus.
 Quid hic egerit: ne quære; id: quod semper.
 Finem vitæ mortalis, & initium imortalis opperiebatur, pridem mortuus.
 In cella aliquando latuit: & in castris visus est.
 Rogerio Calabriae Duci in somno adstitit: nec ab eremo discessit.
 Dormiebat Rogerius, & pro dormiente Bruno excubabat.
 Insidias hostis propinqui periclitanti detegit:
 Quî hostem, mortemque eludat, docet.
 Evanuit ex oculis Bruno, & animo Rogerii hæsit.
 Experrectus Dux pro somnio vaticinium comperit:
 Extremum vitæ discrimen in mortis confinio evadit.
 Servatori suo postliminio gratias retulit Rogerius:
 Sui loco monitorem fuisse Bruno asserit Angelum Dei.
 Num id ipsum negavit, quod affirmavit?
 Servavit Rogerium Angelus Dei: nec alius; quàm Bruno.
 Idem monitor erat Bruno & Angelus.
 Se ipsum nominavit Angelum, cum Brunonem fuisse negavit.
 Ut beneficium se huic tutelari Angelo exhiberet Rogerius:
 Munera obtulit: munera respuit Bruno;
 Qui Angeli instar munerum haud indigus, beneficium dedit, non vendidit.
 Ultimum de Brunone Elogii problema esto:
 An mortuus unquam vivere desierit?
 Vel ipse Brunonis tumulus animatus, benefico fonte illustris:
 Aquam vivam emanat: unde vitam, & salutem hauriunt ægroti.
 Abiit tamen in cælum: quò stellæ & Angeli spectant.
 Remansit in terris: vivit in Ordine, quem instituit;
 Vivit suo in Brunone Ordo Angelicus: cujus Spiritum nunquam dimisit.



S. IVO.





S. IVO.

Gallus, natus Bellovacii, Canonicus Regularis, et Abbas S. Quintini A.
 1090. Episcopus Carnotensis, Ecclesiasticam Disciplinam usque ad exilium,
 et carceres defendit. Diversarum congregationum in Ordine Canonico
 parens, discessit e vivis 23. Decem. A.C. 1118. aetat. suae. 80.

C. Wigel. exc.

24



S. IVO.

Prolixum Ivoni elogium concinnandum foret,
 Qui longis honorum titulis claruit.
 Fuit sanguine Nobilis, scientiâ Theologus,
 Religione Canonicus, dignitate Abbas,
 Sanctitate Episcopus.
 Si brevitatis longitudini præplacet: quis Ivo? ne longum quære;
 Tribus verbis effigiabitur.
 Politicum elogium promeretur: qui totus erat
 CANON SACRÆ POLITICÆ.
 Patriam nactus est Galliam: ubi Politici vel nascuntur, vel fiunt.
 Nobiles habuit parentes: ne degener filius esset;
 Primam nobilium virtutem sectari debuit Politicam.
 Ut verè nobilis esset: scientias à pueritia adamavit:
 Ignobilis futurus, si amusus;
 Tunc solum nobilis, & politicus: si literatus.
 Ut sacer esset politicus: Theologiam didicit, & docuit.
 Canonum sacrorum fuit peritissimus, & observantissimus,
 Regularium Canonicorum institutum restauravit:
 Ne à Canone suo deviarent;
 Decreta Ecclesiastica, & canones è diversis collegit:
 Se ipsum omnibus Canonem exhibuit,
 In quo Apostolicæ vitæ normam legerent universi,
 Monasterium Sancti Quintini Abbas rexit:
 Ut sibi suisque fortunatum cederet regimen;
 Fortunis paternis auxit, conditis à se legibus instruxit:
 Nec alia suis præceperat; quàm quæ fecerat ipse.
 Sacratioris hoc opus erat Politicæ:
 Excusso mundi jugo Numinis famulatu se mancipare,
 Erogare sua liberaliter, Dei Servos ditare,
 Quæstuofo suo exemplo aliorum virtutem lucrari,
 Latæque legis observantiam fœnerari.
 Exauctorato Carnotensium Antistiti susceptus, ut infulam admitteret:
 Imperio Urbani II. Papæ, & Philippi I. Galliarum regis adigendus erat.
 Boni Politici interesse ratus: non suis, sed aliorum commodis studere:
 Dignitates, quas odisse suavitè amor quietis & humilitatis;
 Amore boni publici admittere.
 Plus oneris, quàm honoris Pontificiæ mitræ subesse credidit.
 Senferat mox onus, ut prævidit, post susceptos honoris fasces.
 Renuit Richerius Senonensis Archipræsul Ivoni manus imponere:
 Sedi Carnotensi, unde Simonia excidit, violenter redditur Gaufridus,
 Eadem post Vaticanæ Patris dextera, quæ Ivonem consecravit:
 Apostolico fulmine sede malè usurpata depulit Gaufridum;
 Et pallio Gaufridi fautorem exiit Richerium.
 Stabilito in Pontificio solio Ivone, nutabant res Galliæ,
 Stetit tum Ivo pro Gallia, cum Rex Galliæ caderet.
 Ne post lapsum Regis rueret regnum:
 Prudens & sancta effecit sancti Præsulis Politicæ.
 Ideo sæpe offendit regem: ne Dei offensam incurreret;
 Sæpe regem offendere noluit: ne Rex Deum offenderet.
 Incestuosas Philippi I. cum Bertrarda nuptias damnavit,
 Ipse penè capitis damnandus.
 Connivere tum alii ex Episcopis Galliæ, silere alii: non Ivo.
 Adèd pronum est, regibus: etiam cum peccant, obsequi eos;
 Qui Majestatem regiam offendere, magis timent: quàm in Deum delinquere.
 Evocatus Parisios Ivo, in aulam venire renuit:
 Nec aulam, nec Regem, sed Regis adulteri scelus averfatus.
 Adesse noluit incestuosi Hymenæi solemnibus:

Ne,

VIRI
OVI. 2

Ne, si palam taceret; favere adultero videretur:
 Unum si scelus objurgaret; Regem plura in scelera ageret præcipitem,
 Abesse procul aulâ, Ivoni prudens suasit Politica:
 Regem contra fas agentem, nec amicum, nec inimicum habere voluit.
 Libidinem Regis verbo & scripto acriter coërcuit:
 Sic tamen moderati animi temperavit fervorem;
 Ut regem reprehenderet: regi & toti regno consuleret.
 In carcerem detrusus, vinciri compedibus se passus: non animum vinci.
 Captivi Pastoris sui forti ingemuit grex viduatus.
 Ad arma conclamant Carnuti Primates, & cives.
 Arma suos ponere jubet vincus, etiam inter vincula liber.
 Noluit libertate potiri Pastor: quæ ovium sanguine redimeretur;
 Ipse suum pro ovibus fundere paratus.
 Sic religiosum decuit Politicum: suæ immemorem, suorum miseriam arcere.
 Dimissus è carcere, liber à vinculis erat: non à calumniatoribus.
 Ne abdicaret se infulâ: Papa vetuit Urbanus.
 Vaticanæ oraculi effatum erat:
Ivone Episcopatum Carnutensem; non Ivonem Episcopatu indigere.
 Mirâ in rebus publicis tractandis polluit prudentiâ.
 Ne unquam à canone sacræ Politicæ recedere videretur:
 Semper summa in omnibus circumspectione usus est.
 Sic nempe Politico expedit: etiam Argo esse oculatiorem.
 Ita sedis Apostolicæ jura defendit: ut nil in jura Gallicanæ Ecclesiæ committeret.
 Paschali II. suasit: ne ab amicitia Regis Galliarum descisceret.
 Periclitante Gallia, aiebat Sanctus Politicus, periclitaturam Ecclesiam:
 Romani Patris religiosissimam esse filiam;
 Germaniæ, fœdo cum schismate laceratæ, triste secuturam exemplum:
 Si minùs, ut filia, à Patre amaretur.
 E sacræ Politicæ legibus probè didicit:
 Nunquam res humanas tutò posse subsistere;
 Nisi regnum & sacerdotium inter se consenserint:
 Neutri quidquam decedere; si alterum alteri de suo nonnunquam cedat.
 Hanc sacræ Politicæ viam institit Ivo, quâ itur ad cælum.
 Regum favorem nec sprexit, nec quæsivit.
 Benevolentiam Regum æstimavit: ut Regibus ipsis beneficeret.
 Regibus semper fidus & utilis: non tamen semper placuit;
 Placuisse semper: nisi, quæ Deo & Sancto Politico ministro displicent, egissent.
 Pontifices Summos coluit ut filius:
 Eorundem subinde, cum res postulabat, ut hominum Pater.
 In terris versatus jam cælum proximè attigit:
 Corpore solutum è terris in cælum sacra duxit Politica.





S. RO-



S. ROBERTUS.

*Gallus, natus in Campania, primus Abbas Monasterii Molismensis à se fundati
anno 1075, dein reformationem meditatus cum Alberico et Stephano Cisterciū
discessit, ac ibi instituit Ordinem Cisterciensem anno 1098. Benedicti Regu-
lā ad apicem, et literam servatā. obiit anno 1111, die 17. Aprilis. Etatis
sue 34.*

25.



S. ROBERTUS.

Tot seculis mundo creptus Benedictus,
 In terris rursus apparuit in Roberto redivivus.
 Corruentem penè Parentis Regulam filius reparavit.
 Benedixit Deus reparatori: per quem revixit Benedictus.
 Ut filius esset Patri simillimus, ex filio factus est Pater;
 Genuinum Benedicti PARELIUM.
 Familiam Benedicti reformavit: ut ad vitam Patris conformaret.
 Cistercium fundavit: ut Spiritus Benedicti fundaretur:
 Asperitas loci Ordini condito nomen dedit:
 Cisterciensis dici cœpit; ne Benedictinus esse desineret.
 Legibus iisdem, quas suis scripsit, se Benedictus descripsit.
 Benedictum sua è regula refulgentem vidit Robertus.
 Regula Patris, filii speculum erat: alter ex altero reluxit.
 Amavit solitudinem, odit jam puer mundum, ut Benedictus.
 Decimo quinto ætatis anno mundo nuntium misit:
 Ut tempestivè innocentia naufragia vitaret;
 Citò ad religionis portum confugit.
 Tertio vitæ lustro exacto regulam D. Benedicti professus,
 Virtute sua primùm Cellensè Monasterium illustravit,
 Et ferè cælum novum in terris creavit.
 Plura dein rexit Abbas cœnobia:
 Ut filii Benedicti omnes viverent ex regula Patris.
 Dignitates, quas admisit, nunquam ambivit:
 Nec prius eas assequi voluit; quàm mereri.
 Nunquam mitræ, pedoque se submisisset: nisi ut Benedictus honoraretur.
 Eisdem honores aliquando promptius deposuit, quàm sustinuit;
 Ut Benedicti regula vindicaretur.
 Amavit virtutes omnes, quas in Benedicto suspexit.
 Didicit omnes ex regula Patris, & amare docuit suos.
 Justum esse ratus: ut filii obtemperent;
 Cùm Parens nil imperat: nisi quod rectum, sanctumque est.
 Novit filios tum Sancti Patris observantes fore:
 Cùm paternas leges ad apicem servarint.
 Unica vitæ Roberti regula erat, Deus per Benedictum imperans,
 Et lex Benedicti secundum Dei Spiritum imperata,
 Ut fidelis Deo, & Benedicto esset:
 Servari ea voluit, quæ Deus, & Benedictus iussit.
 Plures ideo offendit: ne Deus & Benedictus offenderetur.
 A nemine timeri voluit, ut omnes Deum, & Benedictum amarent.
 Severus nulli, omnibus bonus: ut omnes boni essent.
 Scopus unicus Roberti: in quem collimavit;
 Restituere regulam filiis Benedicti: reddere filios Parenti,
 Renovare Spiritum Benedicti: qui nunquam antiquaretur.
 Ut legis sanctæ observantiam suis persuaderet:
 Obedientiam in Præsidibus oculatam voluit ad imperandum;
 Cæcam in subditis filiis ad parendum.
 Duo mala sacram Benedicti familiam divexabant:
 Timor disciplina, amor laxitatis.
 Utrumque malum Zelo legis paternæ sustulit Robertus.
 Malè timeri disciplinam suo exemplo docuit:
 Quæ amabilis est; & à solis malis timetur.
 Malè amari laxitatem: quæ odibilis, & à bonis amari non potest.
 Spurium hunc timorem, & adulterinum amorem in suis correxit.
 Timeri deinceps fecit: quod amabatur; amari: quod timebatur.
 Unum Cistercium erexit, & Spiritum Patris in filiis instauravit.
 Sub Cisterciensi nomine & regula Benedicti
 Cistercienses omnes veros fecit Benedictinos.

G

Eandem

XXX
S. ROBERTUS

Eandem familiam suam Cisterciensem dici, & Marianam esse voluit.
 Amari à suis voluit Mariam, ut Matrem:
 Quam ipse, & Benedictus amârunt, ut filii.
 Idem Ordo tria nomina indeptus:
 A vasta densâque Burgundiæ silva dictus Cisterciensis,
 Ab innovata Benedicti regula Benedictinus,
 A Mariæ cultu Marianus.
 Romanum hic audi Lector, Oraculum.
Cisterciensium Ordo, inquit Gregorius X:
Divinis mancipatus obsequiis,
A prima institutione inter ceteras religiones
Gloriosæ Virgini singularitate devotionis adscriptus est.
 Primam Robertus Ecclesiam Cistercii Deiparæ condidit:
 Ut more ad omnia Ordinis cœnobîa derivato,
 Omnes Cistercienses Ecclesiæ Virgineæ Matri sacrarentur.
 Sic Ordinem suum ex asse Mariæ dicavit:
 Qui nondum natus, jam Marianus erat; quia Sponsus Mariæ.
 Ermegardi Matri Robertum in utero gestanti
 Maria in somno adstitit:
 Virginea manu aureum ostentans annulum;
Hoc pronubo pignore, ajebat, filium tuum mihi desponsari volo.
 Bis Marianum reverere Robertum: Sponsum Virginis, & Cistercii Conditorum.
 Ne quære: Cur Cisterciensium Ordo sacer, & exemptus sit.
 Sacer est, quia Sanctissimæ Dei Matri consecratus.
 Eximendus, & singularibus ornandus erat privilegiis:
 Quia tam arctè se ad servandam Sancti Patris sui regulam obstrinxit,
 Sic fulsit in terris Benedicti parelion Robertus:
 Filius sanctus Parenti sancto simillimus,
 Assertor paternæ legis,
 Cisterciensium Conditor.
 Vivus & mortuus claruit miraculis:
 Maximum nôsse cupis, Lector?
 Robertus est, & Roberti institutum.
 Alter ipse Benedictus: qui Benedicti regulam vindicavit.
 Descendit è cælo Benedictus: ut Benedictus revivisceret in Roberto.
 Decessit è vita Robertus:
 Ut in cælo viveret cum Benedicto inter benedictos.
 Meliori sui parte mansit in terris superstes.
 Vivit cum Benedicto in familia Cisterciensi:
 Quam ante mortem
 Spiritu suo & regulâ Benedicti fecit immortalem.



S. AL-



S. ALBERICUS.

*Ex Molismensi Priore, II. Cistercii Abbas, eundem sacrum
Ordinem cum SS. Roberto et Stephano inchoatum, clientelae
Deiparae dicavit: e' cuius manibus candidum cucullum ac-
cepit. Protectionem S. Sedis, et immunitatem Cisterciensis Fa-
milie à Paschale II. A. 1100 impetravit. Dierum plenus, et
miraculis clarus obiit 26. Januar. A. 1107.* 26



S. ALBERICUS.

En alterum Cisterciensis Familiæ Sidus fulgidissimum!
 Robertus Benedicti Parelium:
 Benedicti & Roberti parelium Albericus.
 Cistercii Abbas primus Robertus: Albericus secundus.
 Uterque eandem sacram Religionem condidit:
 Observandæ ad literam Sancti Patris regulæ auctores.
 Uterque Molismense Cœnobium Dei monitu commutârunt Cistercio:
 Ut Cistercii Benedicti regulam instaurarent.
 Quod Robertus feliciter inchoavit: felicius consummavit Albericus.
 Rediit Cistercio Molisimum imperio Pontificis Robertus:
 Ut ex Molismensibus faceret Cistercienses.
 Perstitit Cistercii Albericus:
 Ut juxta leges Benedicti Cistercienses fierent Benedictini.
 Candidi Ordinis Cisterciensis professos,
 Nazaræos olim compellavit Gregorius XI. P. M.
 Vaticanæ sedis oraculo, ut par est, nostrum hodie subscribit elogium:
 Albericum candidissimum veneratur NAZARÆUM.
 Quid nisi candor nitidissimus, & candidissima sanctitas
 In Nazaræi nomine elucet?
 Nil nisi candidum & sanctum in Alberico,
 De patria & genere nequicquam quæris:
 Sacri tantum Alberici natales constant.
 Molismi religioni natus est:
 Cistercii cælo natus, ubi candidus obiit Nazaræus.
 Patrem habuit sanctissimum Patriarcham Benedictum:
 Matrem benedictam inter mulieres, Virgineam Dei Parentem,
 Fortissimi instar Nazaræi multa tulit, fecitque.
 Nunquam Patris, ut filium decuit, violavit leges:
 Dyscolorum ideo fratrum passus calumnias.
 Candor nempe morum, sanctusque regularis vitæ rigor,
 Invidiæ fuit seminarium.
 Abortiit odium invidia apud lividos:
 Cum sui amorem virtus Alberici eniti voluit.
 Verbera, & carceres sustinuit innocens: in hoc reus;
 Quod paternæ legis vindex fuerit, & assertor.
 Senile corpus vigiliis & inediâ macerabat:
 Adeo Spiritui subditum, ætate fractum;
 Ut, quid in eo affligere posset, vix amplius reperiret.
 Alumnis suis nil verbo præcepit:
 Suomet exemplo prævit omnibus, ut nôssent, quid agere debent.
 Labori manuum orationem conjunxit.
 Corpus labore fatigavit: oratione animum relaxavit.
 Quiescentibus aliis vigilabat: somni adeo parcus;
 Ut duro asseri incubans, minimam noctis particulam quieti daret.
 Nec somnum strati durities conciliavit: sed arcuit.
 Ut noctem penè totam Deo sacralet:
 Precibus cum Deo transegit insomnem.
 Psalterium Davidis integrum humi flectens absolvit:
 Priusquam reliqui ad decantandas vigilias lecto consurgerent.
 Mariam, suam, & Familiæ suæ Matrem Præsidentemque delegit:
 Albericum & Cistercienses sibi in filios adoptavit MARIA.
 Fovere adoptivos suos Mater pulchræ dilectionis visa est:
 Cum Augusto suo sub pallio reconditos ostentaret.
 Nesciit Romanus Pontifex Cistercienses sub Mariæ esse præsidio:
 Et Ordinis extinctionem meditabatur.
 Excidium Pontifici minatur MARIA:
 Ni à minis exterminandi Ordinis desisteret.

XXVI
S. ALBERICUS

Psallentem cum suis in Ecclesia Albericum invisit Deipata:
 Et Reginam suam innumeræ cælitum stipabant phalanges.
 Singulare quid moliebatur cæli Domina:
 Ut palàm Cisterciensium Ordo inauguraretur Marianus;
 Albericum candida primùm veste induit:
 Mox omnium psallentium habitus prodigiôsè mutatur.
 Momento uno vestium nigrori evanescenti
 Niveus candor suffectus est.
 In cælum rediit cælorum Regina:
 Abeuntem laudibus prosequitur Albericus;
 Gaudio stuporem miscet, ut vidit:
 Cistercienses suos factos esse albicantes Mariæ filios.
 Audiit Paschalis II. P. M.
 Cisterciensium Ordinem Mariæ sacrum esse,
 Paterno amore familiam prosequitur Christi Vicarius:
 Quam Dei Mater fecerat Marianam.
 Plurimis ideo privilegiis & gratiis ornatam
 Protectione sanctæ Apostolicæ sedis communivit.
 Sic nempe honorari decuit Ordinem hunc candidum,
 Quem sibi Virgo gratiâ plena Nazaræum auctoravit.
 Cælum aspirabat Albericus sanctus Nazaræus,
 Nazaræorum Cisterciensium patriam.
 Ex varia Nazaræi nominis notione
 Totidem Elogii tituli candido huic congruunt Nazaræo.
 Idem ex etymo suo Nazaræus est:
 Quod *Sanctus, consecratus, segregatus, floridus, coronatus,*
 Nunquid hæc omnia uno in Alberico relucent?
 In mundo jam à mundo semotus: cælestia ambiebat;
 Cælestis, & sanctus, Deo sacratus:
 Tot floribus, quot virtutibus comptus.
 Unum Nazaræo Sancto deerat, quod meruit, coronari in cælo.
 Hanc sibi suisque ibidem gloriam paratam moriens vidit.
 Vidit: quò se præcedentem Patrem filii secuturi essent.
 Cygni instar è vita migraturus cecinit.
 Tum sibi exultandum esse ratus, & gaudendum:
 Cùm lacrymarum vallis deserenda erat.
 MARIÆ nomen ut resonare audiit:
 Vultu Divina luce perfuso solis instar coruscavit.
 Sic vivere desiit ad lucem transiturus interminatam.




S. STE-



S. STEPHANUS.

*Genere nobili in Anglia ortus, adolescens monasticam vitam professus,
 Parisius imbutus literis, Romam peregrinatus. Molismi S. Roberto, et B.
 Alberico se junxit. Tertius Abbas Cisterciensis. Ordinem novellum novis
 statutis roboravit, quae a Callisto II. A. 1119 confirmata, ipse chartam du-
 ritatis appellavit. Discipulum habuit S. Bernardum, dein Clare vallis
 Abbatem. A Deipara Zona candida cinctus, horam mortis intellexit.
 Obiit 17 April. A. 1154.*



S. STEPHANUS ABBAS CISTERCIENSIS.

Condendo sacro Cisterciensium Ordini unus non suffecerat.
 Ad consummandum hoc opus Altissimi,
 Quod in cælo Triunus Numinis concepit Providentia:
 Opus erat creata in terris sancta triade,
 Roberto, Alberico, Stephano.
 Tria horum Conditorum sunt nomina: quos virtus unum fecerat.
 Tres Sancti: & trium una sanctitas.
 Primi tres Cistercii Abbates: & trium una dignitas.
 Tres Ordinis institutores, & trium una sacra familia.
 Tres increatae Trinitatis æmulatores:
 Et trium Divinarum Personarum una sancta æmulatio.
 Robertus Patris Potentiam: Sapientiam Filii Albericus,
 Amorem Spiritus Sancti æmulari visus est Stephanus.
 Benedicti regulam Robertus recreavit:
 Albericus præservando ab interitu redemit:
 Novis legibus stabiliendo Stephanus sanctificavit.
 Effigiandus hic Stephanus: & pro Stephano pingendus est Amor.
 Imò ipse sui Imago, & Pictor est.
 Idea Stephani Amor: Stephanus viva AMORIS EFFIGIES.
 Apellem se jam primis ab incunabulis monstravit:
 Cujus totum vivere, fuit pingere.
 Lacte matris pro candore, nobili Majorum sanguine usus pro colore:
 Amorem in se adeò bellè depinxit;
 Ut se Amori similem, dissimilem sibi Amorem fecerit:
 Quem ex profano mutavit in sanctum.
 Videndo Amorem se ipsum inspiciens,
 Amoris reformatum prototypon in se vidit.
 Cæcum tamen, nudum, & armatum in se expressit:
 Quia nisi cæcus, nudus, & armatus;
 Nunquam Sancti Amoris fuisset effigies.
 Patriam habuit Angliam:
 Et Angelum in Stephano enixam se esse lætata est Anglia.
 Imò ut Angelus esset, mundum & Patriam non amavit.
 Nihil in utroque amore dignum vidit: quia cæcus esse voluit.
 A mundo & patria oculos avertit.
 Mundum in vitiis senescentem averfatus, Monasticen adolescens professus est.
 Ex Anglia in Galliam transfretavit: ne in patria naufragaret.
 Parisiis sacris profanisque literis animum imbuit:
 Ut, quid facer, quid profanus amor sit, addisceret.
 Romam peregrinatus, Romam videre noluit; nec à Roma videri.
 Magnes Amor erat: & cæcus, & sanctus;
 Qui Stephanum in retrogrado sanctæ Urbis nomine Romam traxit.
 Nolentem videri suspexit Roma: cæcum vidit, & admirata est.
 Nil aliud in Urbe vidit, aut invisit Stephanus: nisi quod sanctum erat.
 In Gallias reversus, Molismensis Cœnobii hospes,
 Ex hospite domesticus factus.
 Aderat exoptatus, qui Roberto & Alberico,
 Condendo Cisterciensium Ordini tertius deerat:
 Ceu triplici texendo funiculo, nunquam rumpendo,
 Quo innumeri mortaliū aureis charitatis funiculis illigarentur,
 Cum Roberto & Alberico sacram instituit familiam:
 Tertius à morte Alberici Abbas rexit Cistercium.
 Novellum Ordinem, ne vacillaret, firmavit:
 Firmatum vidit in nonaginta cœnobiis;
 Extendentem palmites usque ad mare, & ultra mare propagines suas.
 Ut nudi Amoris imaginem se suis proponeret:
 Amore mundialium rerum se exuit.

XXVII

S. STEPHANUS ABBAS CISTERCIENSIS

C

Ut alumnos suos Christi faceret sectatores:
 Pauperes, nudosque esse voluit.
 Paupertatem amare jussit: amabilem virtutum omnium custodem,
 Ne superfluis inhiarent:
 Defectum etiam necessariorum tolerare docuit:
 Etiam cum deessent omnia, nihil deesse expertus.
 Sæpe panis, omnis cibus in cella penuaria deerat:
 Aderat mox prodigiosè allatus ad famentium levamen.
 Ægrotabat aliquando Stephanus ipse:
 Fors amoris febriculâ correptus;
 Et duplici malo, morbo, ac fame afflictabatur,
 Quam penus domestica esurienti escam negaverat:
 Cælum subministravit.
 Surreptum fluvio piscem avis attulit.
 Bina elementa servo suo famulari voluit cælestis promus condus.
 Aqua cibum cænaturus suppeditavit:
 Aërea volucris piscatoris, & dapiferi munus sustinuit.
 Auri argentique fulgorem oculorum cordiumque fascino esse dixit.
 Ne paupertatis nitor Cistercii vel levissimè obfuscaretur:
 Neutrum metallum vel videri à suis voluit:
 Utrumque à Cœnobiis, Ecclesiis, Aris ipsis removit.
 Inermem denique profanum fecit Amorem, dum exspoliavit.
 Faculam illi, arcum & pharetram abstulit: ut in se consecraret.
 Sacratissimis legibus Cistercium communiit.
 Arma leges erant, & omnis armatura fortium.
 Regulam à se scriptam *Chartam Charitatis* nominavit.
 Dictarat hanc Stephano Deus: qui Charitas, & ignis consumens est.
 Digitus Dei hanc chartæ inarabat, Spiritus Amor Patris & Filii,
 Amari voluit à suis paternæ legis inviolatam custodiam,
 Fraternali invicem custodiri dilectionem,
 Ipsum in custodia legis & charitatis amari amorem.
 Eandem in metam cum Amore collimavit:
 Corda suorum sagittarat.
 Rectè charitatem præcepit: qui se amoris exhibuit effigiem.
 Sic charitate armata Cisterciensis Familia, ut cælitus accepit Stephanus:
 In ævum stabit, terribilis ut castrorum acies ordinata.
 A MARIA Matre pulchræ dilectionis candido balteo cinctus,
 Mortis horam intelligit, & migraturus, ubi immortaliter amaret.
 In cæleste technophylacium hæc Amoris effigies transferenda erat:
 Ut quem in terris dilexit, amaret æternùm in cælis;
 Quò Amor diligentes Deum deducit: unde charitas nunquam excidet.





B. RO-



B. ROBERTUS DE ARBRISSELLO

Arbrisselli in Britannia minori natus. Archipresbyter Rhedonensis, lorica
 sub mitra veste indutus, carnem macerabat. In eremo deum degens plures
 attraxit discipulos. Inde evocatus ab Urbano II. Apostolicus concionator
 creatur. Inter multa condita cenobia sedem fixit in silva Fontis Ebraldi,
 ubi proutroque sexu duo erexit monasteria, ea lege; ut Monialium Antistes
 etiam Viris praesidet, ad exemplum Joannis, quem Christus Matris suae pote-
 stati subiecit. Ordo à Paschali II confirmatus. A. 1106 nomen accepit à dicto fonte.
 Multis illustratus miraculis obiit 25. Febr. A. 1117.



B. ROBERTUS de ARBRISSELLO.

Theologi Elogium nequicquam expectas: quisquis nomen Roberti legis,
 In Sorbona sacras literas didicit: ut easdem doceret.
 Sacratiori in Universitate è crucis cathedra audiit Magistrum,
 Crucifixi maluit esse discipulus: quàm Doctor Sorbonicus.
 Ex crucifixi discipulo verus Theologus,
 Ab increata Sapientia Doctor creatus,
 Ex Ordinis litaneutico ritu hodieum invocatur:
 MAGISTER BONUS.

Quid nî bonus Magister esset, & diceretur,
 Qui optimi Magistri discipulus fuit?
 Ea fecit, quæ Christus docuit: ea docuit, quæ Christus fecit;
 Exemplo & verbo eadem alios docuit, quæ ipse fecerat.
 Ut Virginis Filio se conformaret:
 Virginitatem à puero servavit intaminatam.
 Ut candorem puritatis à carnis illecebris custodiret illibatum:
 Liliï instar se spinis obvallavit.
 Sub nitida veste ferream corpori nudo loricam induit:
 Ut sic armatus inermes redderet castitatis hostes.
 Sponso Virginum inter lilia pascenti placere voluit:
 Christi sponfas coluit, & excoluit.
 Plura Virginum millia diversis Parthenonibus inclusit:
 Quas ad Divini Agni nuptias Paranympus deduxit.
 Eisdem, quibus leges & cœnobia condidit:
 Se suosque subjecit; parère iis, non præesse voluit:
 Quarum legislator extiterat ipse.
 Ne præposterum hunc ordinem, Paulo adversantem, dixeris.
 Voluit Paulus virum caput esse mulieris:
 Mulierem voluit esse viri caput Robertus.
 Nec tamen Apostolo contradixit: qui Deo obaudivit.
 Suspensum te, Lector, volo: audi Roberti vicissitudines;
 Et mirari desines insolitum Conditoris institutum:
 Mira fecit Robertus, mira facere cœlitus edoctus.
 Paucis accipe: quis fuerit: quæ fecerit, & docuerit.
 Fuit Vicarius Episcopi, & Archipresbyter Redonensis:
 Ex Vicario austerus in saltu Credoniensi Eremita:
 Ex Eremicola Concionator Pontificius, post Abbas S. Mariæ de Rota:
 Auctor demum Ordinis Fontis Ebraldi.
 Quot stationes fixit: tot virtutum erexit Academies.
 Gradatim factus Magister bonus: qui Crucifixi discipulus fuit.
 Adjutor Antistitis mores Monachi non exiit.
 In se rigidus, mitis in omnes, in vitia severus.
 Ut Præful Redonensis sponsam haberet sine ruga & macula:
 Deturpatæ Ecclesiæ debitum reddidit nitorem.
 Correxerat ovile: & errantes Pastori suo reduxit oviculas.
 Clericos à famulatu laicorum absolvit:
 Quos fors Domini liberos fecit, Dei servitio addictos.
 Incestas Sacerdotum diremit nuptias:
 Ne sacrilego thalamo immaculati Agni aræ;
 Quin viva Agnum castissimum immolantium templa polluerentur.
 Simoniacam pestem, & sacrorum peculatum extirpavit:
 Dei Ministros Maionæ servire noluit; ne lucri cupido sceneratores faceret;
 Quos quæstum alium facere non decet, quàm animarum.
 In vastam subinde eremum concessit:
 Ab hominum consortio recessit, bestiarum factus contubernalis.
 Nec ut homo hic vixit: corpus suum ut jumentum tractavit.
 Se ipsum crucifixit, ut crucifixi discipulus Magistro suo esset conformior.
 Solitarius diu vivere non potuit:

Quem

Quem solitudo ipsa prodidit, & publico reddidit.
 Fugit mundum: & mundus ad Robertum confugit.
 Advolârunt ad eum urbes, quas ipse non adiit.
 Nec, qui Robertum audiverunt, tales rediére, quales advenère.
 Abiére correctis moribus alii, suisque dissimiles:
 Perstitère plurimi apud Robertum: ut Roberto fierent similes.
 Collectos socios Canonicos esse voluit:
 Horum canonem, quem ipse sectabatur, vitam crucifixi statuit.
 Accitum ad se Urbanus II. prædicantem audiit Andegavi:
 Nec hominem, sed Spiritum Dei per os hominis loqui audiit,
 Apostolicum instituit Concionatorem: sed renitentem.
 Imperanti Christi Vicario acquiescens, honorem exosus, onus muneris suscepit.
 Timuit peccare: si admitteret; quod Pontifex obtulit:
 Admisit obediens Crucifixi discipulus; ne peccaret.
 Resonuit hæc tuba Spiritûs Sancti per Galliaë provincias:
 Innumeras Deo animas lucratus est Robertus;
 Dum cum Apostolo omnibus Christum, & hunc crucifixum prædicavit.
 Ultimum Roberti magisterium novæ familiæ fuit institutum.
 Virorum mulierumque plura in monasteria distinctum Ordinem condidit.
 Princeps Ordinis cœnobium in saltu Fontis Ebraldi erectum.
 Spelæum, quod olim latrones inhabitârunt, in asceterium vertit.
 Vaticinari pridem Turonensis Antistes S. Martinus auditus est:
 Septingentis post annis hoc ipsum prædonum latibulum
 Religioso Numinis cultu illustrandum.
 Suos nominari voluit pauperes Christi: ut sub specioso hoc nomine
 Illi soli placerent; qui, cum dives esset, pro nobis egenus factus est.
 Hæreditatem suis transcripsit Christi paupertatem & humilitatem.
 Magistri sui Crucifixi secuturus exemplum:
 Præesse voluit virorum cœnobiis mulierem.
 Verba Christi è Crucis cathedra loquentis observavit: & à suis servari voluit.
 Præfecerat Christus Matrem Joanni: Joannem Matri subjecit.
 Audiit Robertus Joanni acclamantem: *ecce mater tua;*
 Matri suæ Virginæ ingeminantem: *ecce filius tuus.*
 Magistri boni partes omnes ut impleret:
 Suos Joannem sectari voluit: ut filios Matri subjecit.
 Hoc à Magistro suo didicit Crucifixi discipulus:
 Ex discipulo factus Magister bonus, ad eundem in cælum assumptus:
 Quem in terris Crucifixum imitatus est.
 Habes nunc, Lector, apertum insoliti instituti mysterium.
 Roberto quondam sociari in gloria desideras?
 Joannes esto cum Roberto, & Crucifixi discipulus.







S. JOANNES de MATHERA.

Apulus, Matheræ natus, à pueritia eremum affectans, deserta paterna domo, variis in locis solitariam vitam summa in austeritate duxit. Pulchanensem Ordinem prope montem Garganum, coelitus admonitus, condidit sub regula S. Benedicti, additis novis constitutionibus, eremitica vite, quam suos tenere voluit, arctioriq; discipline congruis. Innumeris claris miraculis. Obiit die 20. Junii Anno. 1139.

29.



S. JOANNES DE MATHERA.

En novum Benedictinæ Vitis palmitem,
 Cui benedixit Dominus!
 Joannes dictus est: & alter Joannes fuit;
 Gratiâ, quam nomen indicat, plenus coram Deo & hominibus.
 Hebronita ille, hic Matherensis.
 Præcurfor ille Domini: hic virtutum Præcurforis æmulator.
 Fuit dignitate Abbas: munere Pulfanensis Familiæ Parens,
 Austeritate vitæ Martyr, Spiritu Propheta,
 Zelo Apostolus, signis innumeris Apuliæ Thaumaturgus,
 Eremita cultor, & Eremitarum Conditor.
 Tot elogiis celebrandus: quot titulis Sanctus admirandus,
 Una eadèmq; vitæ & elogii synopsis esto:
 Joannes totus ipse MIRACULUM.
 Nulla virtuti ætas immatura: jam in prætexta pubescit.
 Adhuc puer pusillus grande sui ipsius erat prodigium.
 Paternæ domus delicias & divitias, quas omnes amant, solus ipse exosus:
 Patriam & parentes deseruit.
 Desertum penè ab omnibus, Deus non dereliquit:
 Cujus amore deseruit omnia.
 Vili lacerna tectus, victum mendicatò quæsit:
 Tantò pretiosior Deo, quantò despiciatur mundo.
 Ovium curam gerere jussus, se neglecto, gregem curabat.
 Moribus innocentissimus, pastoritiam exercuit artium innocentissimam:
 Candidior ipse candidis ovibus agnus.
 Sed dum pascit oves, famebat pastor.
 Porrecto mucido & modico pane esuriem levare non potuit:
 Nec panis erat, qui lapidis instar induruit.
 Luctantem cum fame allapsa è cælo vox refocillavit.
 Divinis pastus deliciis famere desit.
 Cibi immemor, cum Deum sui memorem audiit.
 Cælicum intonuit auribus oraculum: *ne timeas, quia ego tecum sum.*
 Jejunium deinceps pro cibo habuit, abstinentiam pro symposiis,
 Famem, sitimque pro cupediis.
 Dies jejunio, noctes transigebat vigiliis.
 Aquis se collo tenus demersit, corpus trunco fune alligavit.
 Ita stans, & erectus dormiebat: imò somnum arcebat.
 Hoc martyrii genus Dei amor, sui que odium Joanni persuasit.
 Vigilat, quisquis amat: ignis amor est,
 Gelidas etiam inter undas ardens.
 Divino jussu Genusium migrat.
 Biennio amplius juxta parentum ædes moratus:
 A parentibus visus quotidie, nec ab iis agnosci voluit, quos nôrat ipse;
 Deo soli notus, ignotus omnibus: mutus insuper,
 Annos duos, menses sex nulli hominum inter homines verbum locutus:
 Cælesti post sapientia præditus sic loqui auditus est;
 Ut facundissimos oratores, & argutissimos sophistas reddiderit elingues.
 Majusne in silentio, an in eloquentia sua miraculum?
 Ut novum subinde miraculum fieret patientiæ:
 Carcerem sustinuit, tulit compedes, & his graviora vincula calumnias.
 Furti reus proclamatur, qui sua omnia, totumque mundum deseruit.
 Hæreseos accusatur: sanguinem daturus pro fide.
 Innocentiam mox testata sunt: vi Divina diffractæ compedes,
 Cælitus apertus carcer, capti oculis custodes,
 Liber per medium hostium transitus.
 Prophetiæ dono ornatus illustre fuit in vaticinando miraculum.
 Futura cognovit: occulta revelavit.
 Siccitate laborantibus Genusinis pluviam impetrat.

H

Unius

LXX

S. JOANNES DE MATHERA.

Unius peccato cælum clausum fuisse asserit:
 Reo commissum crimen aperit, pœnitentiam suadet;
 Simul clausas cæli fores reserat.
 Prodiga Tironem quendam excæcavit avaritia
 Cucullum is induit: nec rerum amore se exuit.
 Monachus videri voluit, quem captivum tenuit oculorum concupiscentia,
 Loculos sibi retentos humi defodit:
 Inæstimabilem thesaurum animæ prodigè abliguriens,
 Ut cælum venderet, malum suum mercator pessimus emeret.
 Pecuniæ reconditæ locum indicat Joannes,
 Scelus clam patratum, nec silendum, manifestat.
 Respuit exinde depeculator salutis suæ:
 Et odisse cœpit pecuniam, quam perperam adamavit.
 In coërcendis dæmonibus miraculum fuit inauditæ fortitudinis.
 Sæpe terrificæ Stygiæ larvæ Joannem lacefferunt:
 Nec timorem incussere: sibi terrificum sensere,
 Inter ejulatus ex ædibus & energumenis in orcum depulsa.
 Turmam armatorum militum aliquando mentitæ umbræ infernales,
 Laborantes in nemore cœnobitas impetiere.
 Aberat in cella orans Joannes mox periclitantibus adest.
 Virgâ, quam manu gestabat, cæfos verberones propulsat:
 Cælesti lumine coruscans lucifugos tenebriones fugat.
 Charitatis & beneficentiæ Divinum se præbuit miraculum.
 Invocabant Joannem ægroti: & absentem experti sunt medicum.
 Fugavit morbos, & mortem: dum vel morbos aspexit vel pro mortuis oravit.
 Plurimis sanitas cum morte luctantibus rediit:
 Qui vel Joannem viderunt, vel à Joanne visi sunt.
 Ut itinerantes socios in adversam fluminis ripam trajiceret:
 Se ponere sequi, & aquas calcare iussit.
 Imperio Magistri parvè discipuli, & aquæ.
 Siccis pedibus præeunte Joanne omnes fluvium transiere,
 In morte, & post mortem non desit esse miraculum.
 Dæmonem in agone vidit: & risit.
 Facile ridendo Alastorem Stygium à se abegit:
 Qui nihil lacrymis expiandum commisit.
 Adfuerunt dein Angeli morienti: ut victoris animam cælo inferrent.
 Post mortem loqui auditus est.
 Corpus suum exanime nudari, verbis acerbis vetuit:
 Dum jam anima immortalitatis Stola vestita erat.
 E cælo adhuc patrat miracula, hodie dum Thaumaturgus,
 Qui in terris nil fuit, nisi merum miraculum.



S. GUI



S. GUILIELMUS VERCELLENSIS.

Longobardus, Vercellis natus. Compostellam peregrinatus, corpus suum dire afflictavit. Asperrimam vitam in eremo ad Montem Virginis, Avellinae dioecesis, propè Ripaltam vixit. Ordinem ibidem Monachorum instituit, qui à loco fundationis dicti sunt Montis Virginis, sub regula S. Benedicti à Coelestino III. A. 1197. confirmatum. Obiit plurimis miraculis conspicuus die 25. Jun. A. 1142. aet. 57.

30.



S. GUILIELMUS VERCELLENIS.

Vix mundo vivere cœpit Guilielmus, & mundum odit,
 Parùm erat odisse: in quo nihil dignum amore reperit;
 Mori mundo voluit, vitam à morte auspicatus:
 Ne mundum parricidam experiretur,
 Ut soli Deo viveret: vivam mortis imaginem prætulit.
 Quid vita Guilielmi mundo mortui aliud:
 Quàm perpetuum prodigiosæ virtutis MYSTERIUM?
 Secretum de mortuo elogium tibi, Lector, sub rosa communico:
 Vitam mysteriis plenam perlege, & in arcanis habe.
 Nobilibus ortus Majoribus, Christi amore se fecit ignobilem,
 Illustrium Genitorum ceras exosus, probè gnarus:
 Probrosam esse, nobilem nasci, nec virtute fieri nobiliorem;
 Hac ignobilitate, quam suasit humilitas, se nobilitari.
 Dei consilio in pueritia parentibus orbatur:
 Ut de sanctiori vita mortem consuleret.
 Primum hoc virtutis erat mysterium:
 Cujus hortatu infra se posuit omnia; se infra omnia.
 Amabatur ab omnibus in patria: ipse patriam super omnia averfatus.
 Facile patriam, quam oderat, bis orphanus deseruit.
 Compostellam peregrinus abiit, non jam advena:
 Sed civis ipse Sanctorum, & domesticus Dei.
 Jejunium pro viâ comite, pro viatico preces adhibuit.
 Plura sacra loca invisit nudis pedibus, alatum & ignitum fecit amor Dei:
 Nec frigus, nec aspera viarum sentire visus est; foris peregrinus, intus miles.
 Nec alium hostium, quàm carnem suam, acerrimè persecutus:
 Corpus jam ferreis circulis cingebat, jam lorica gravi onerabat.
 Ut hominum oculos falleret, pileum capite gestabat;
 Et sub pileo latitans galea caput premebat.
 Ingeniosum hoc virtutis erat mysterium:
 Sub peregrino miles delituit, armaturâ Dei indutus;
 Mundo, & sibi mortuus: sui & mundi inimicus juratus.
 Hierosolymam meditabatur, quam spiritu, non corpore attigit.
 Aliam Deus Guilielmo in Campania destinavit Hierosolymam.
 Ægrè à proposito Palæstinam adeundi avelli potuit.
 Frustra ab itum dissuasit Joannes Pullanensis: moram suasit, non persuasit;
 Hominem suasisse credidit Guilielmus: & per hominem suasit Deus.
 Vi caelesti à cœpto itinere abstrahendus, in latrones incidit:
 Horridè à flagronibus vapulat vacuus peregrinus;
 Verbera retulit: cui auferri nil poterat.
 Cedit, dum cæditur, & à veteri sententia recedit.
 Quot latronum verbera sensit: tot sibi loquentis Dei verba audire visus.
 En suavis, duræ licèt, Divinæ Providentiæ mysterium!
 Adstat verberato Christus: novum sibi institui Ordinem mandat.
 Eidem nunc paret Guilielmus, cui per Joannem monenti parere renuit.
 Qui Christi vestigia in Palæstinæ collibus videre voluit:
 Jam Christum ipsum in Campaniæ montibus videre, & audire meruit.
 Princeps conditi Ordinis Sedes mons erat Virgilianus:
 Et posthac mons Virginis, & Ordo montis Virginis dictus est.
 Nec montis Ordinisque nomen vacat mysteriis:
 Nec sine prodigiis in monte mysterioso Ecclesiam condit Guilielmus;
 Aquam in fragoso monte quærit, & indicio candidæ columbæ invenit.
 Placuit avis color innocens, & symbolum Sancti Spiritus.
 Candidum suis vestitum præscripsit: quo morum candorem,
 Animi munditiem, Spiritus fervorem præferrent.
 Dæmoni quondam dicatus mons, qui in idolis colebatur:
 Infamis ab hortis & præstigiis magi Virgilio,
 Abolito veteri nomine à Virginea Verbi Parente Parthenius esse cœpit:

XXX

S. GUILIELMUS VERGELLENIS



Ut ibidem hodie augusta in basilica augustissima Dei Mater coleretur;
 Ubi tot seculis ara stetit gentilium Deorum matris.
 Sanctitatem Virginei Montis perpes comprobat prodigium,
 Carnium & lacticiniorum esus perpetuò vetitus est.
 Nec isthæ adferre eò, ulli impunè licet;
 Quin cælum miris pœnis vindicet sanctæ legis violatores.
 Vel una die An. 1601. igne prodigioso 400. absumpti scelus expiârunt:
 Quòd allatis carnibus sacrum locum contaminârint,
 Grande sub his irati cæli suppliciis latet Mysterium.
 Nempe Virgineæ Matri displicet; quidquid carnem sapit.
 Nec Virginis Mons diceretur, nisi sic à carne abhorreret.
 Facilè Guilielmo parebant omnia: qui Deo in omnibus paruit,
 Insigno hoc virtutis mysterium est:
 Ut ex Numini famulantibus faciat rerum Dominos,
 Illæsus inter candentes prunas aliquando jacuit Guilielmus.
 Quid mirum? carnis sensu caruit instar mortui:
 His ignibus propudiosæ pellicis ignes compescuit.
 Allicenti ad scelus scorto annuere visus, lenam ad stratum igneum invitat,
 Renuit illa, & mox Veneris ignes in se extingui sentit.
 Amaris lacrymis lascivos amores deplorat, & exiit.
 Ex meritoria lupa jam agnam factam,
 Agnetem vocat Guilielmus: Parthenoni sacro præficit Antifistitem.
 Abiit inde in cælum hæc Venus Guilielmi beneficio:
 Postquàm in cella sanctè & pœnitens vixit.
 Rarum hoc virtutis est mysterium: patrare miracula, & miracula celare:
 Beneficia indigis præstare, nec beneficium velle videri.
 Quot prodigia edidit Guilielmus, tot recondita voluit esse mysteria.
 Vas aquâ plenum sitientibus discipulis absens vertit in vinum:
 Agnovère præsentem Thaumaturgi Magistri virtutem haurientes:
 Qui miraculum occuluit, miraculi mysterium suâ beneficentiâ prodidit.
 Longè disitus mulieri apparet, ægrotantem de morbo quærit:
 Unica hac quæstione depulsa omnis invaletudo disparet,
 Lupum unum in Monte Virginis cicurem fecit, & clitellarium:
 Cujus universam progeniem jumentis & hominibus hodiedum reddidit innoxiam,
 Cæcum dormire jussit, dormienti benedixit, & bis cæco visum restituit.
 Sibi noluit adscribi lumen redditum oculorum, sed somno:
 Sopito opitulari voluit; ne experrectus de patrato miraculo somniaret,
 Paralyticum laborare jubet; & solo hoc sanat imperio.
 Claudam alloquitur, & alloquio erigit.
 Sic prodigiosæ Virtutis Mysterium mortuus in vita extitit:
 Post mortem innumera inter prodigia etiamnum vivus.



S. NOR-



*Germanus, natus Xanctis, Archiepiscopus Magdeburgensis, in Præmon-
strato candidum, et exemptum ordinem suum instituit sub Regula S. Augu-
stini, dein approbatum, et pro Canonico regulari declaratum ab Hono-
rio II. Anno. 1128. obiit Anno. 1134. die 6. Junii. et. A. 49.
C. Weigel. exc.*



S. NORBERTUS.

Illustri Elogio Candidi Ordinis Conditor ornandus est:
 Cujus natales in Germania, Zelum Apostolicum in Belgio,
 Erecti in Gallia Ordinis primordia;
 Pontificiam Mitram in Saxonia
 Tot ostentis caelestibus Deus illustravit.

Præquam nasceretur: Norberti sanctitati jam caelum præludit.
 Ut caelo pareret, & sanctus fieret: opus erat dexterâ Excelsi.
 Paruit tandem, diu reluctatus: ne caelo diutiùs illuderet;

Quem Ecclesiæ Deus destinavit:

SANCTUM PRÆMONSTRATUM.

Xanctos Cliviæ urbem habuit patriam:

Urbs nominata sic à Sanctis Victore & Sociis,
 Sanctum se genuisse præmonstravit: dum edidit Norbertum.
 Compendiariam Sancti genealogiam tibi, Lector, exhibeo:
 Ut Regum Imperatorumque profapiâ genitum demonstrarem.

Heribertum Patrem nactus est Comitem Palatinum Rheni,

Henrici junioris Cæsaris cognatum:

Hedwigem Matrem, Eudonis Burgundiæ Ducis,

Ex S. Roberto Franciæ Rege oriundi filiam.

Audiisti generis aviti nobilitatem:

Nobiliorem audi sanctitatem caelitus præmonstratam,

Filium Mater ut efflictimpetiit, à Deo impetravit:

Sed quem utero gestaret, ignorabat,

Divina vox gravidæ parenti allapsa prædixit fore

Magnum apud Deum & homines Archiepiscopum.

Sat diu talis non fuit, qualis futurus erat, & præmonstratus,

Aulam cognati Cæsaris sectatus; & aulae vitia.

Imperatori erat ab obsequiis, & sui dominium amisit.

Henrico servierat, mundialium vanitatum mancipium.

Literis pollebat, & opibus: in hoc miser, & insipiens,

Quòd luxu & voluptatibus diffluxerit.

Non hæc Norberti vitia, sed aulici fuere.

Quem aula perverterat: gloriosius caelum convertit.

Aulicum publica in via exiit: qui à recti semita deviavit.

Quanti Deus Norbertum fecit: quem instar Pauli ad se attraxit?

Ex equo in terram allidit: ne terram posthac amaret.

Fulmine, ceu Saulum, percussum dejecit: ut Paulus resurgeret.

Deturbatum fulminea voce alloquitur:

Norberte! quò vadis? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

Percontanti tonantique Deo cum Paulo respondet Norbertus:

Domine! quid me vis facere?

Inter fulmina caelum immugiens hunc gratiæ Divinæ foetum eniti debuit:

Cùm ex Norberto Apostolum formare vellet,

Qui hæreses & scelera fulminaret.

Ignem probandus erat: ut vas electionis fieret.

Hos inter caelestes ignes amor mundi in corde Norberti refrixit:

Et Divino exardescere coepit.

Ex vano aulico & mundi verna, mundi vanitatum osor,

Ex Norberto factus Apostolus, ex lupo agnus.

Cilicio aureas, sericeasque vestes permutavit, Christum indutus,

Christum ore per urbes & provincias prædicavit:

Ut, quem corde gestabat, aliorum animis ingeneraret.

Signis iisdem claruit: quibus primi Ecclesiæ Apostoli.

Valencenis linguâ patriâ ad concionem dixit:

Et Teutonicè loquentem Galli intellexerunt.

Mortem è vitæ poculo se bibere ratus:


Innoxius Sanguinem Domini ad aras cum prægrandi aranea hausit.

S. NORBERTUS

Ægris manus imposuit: & morbos abegit.
 Fugavit Eucharistico Numine ex energumenis dæmones:
 Quin ultrò utrumque ipsi fugerunt.
 Invisum sibi Norbertum Stygius Cerberus canem album vocitavit:
 Horæ, quâ Sanctus iste natus esset, maledicere auditus.
 Latrantem nempe è suggestu sacro audiit Apostolum:
 Et tot morsus, quot verba senserat;
 Innumeras jam laqueis suis irretitas animas orco eripi indoluit,
 Plures mortuos Norbertus resuscitavit: ut melius viverent;
 Vivi bene vivere, & bene mori à mortuis discerent.
 Nefariam Tanchelini hæresin totâ Brabantia profligavit.
 Abolitum Antuerpiæ cultum usumque Eucharistiæ reduxit,
 Depravatos mores prædicato Dei verbo correxit:
 Apostoli Belgarum nomen jure adeptus.
 Eadem egit: quæ Apostoli; eadem cum Apostolis passus.
 Mortuis vitam reddidit: & vitam Norberti servavit Deus.
 Sicarios suos compellavit amicos.
 Mortem, ultrò pati, morique desideranti, intentârunt impii,
 Pati, non mori voluit Deus Norbertum.
 Ordinem instituit à Deo præmonstratum, Sacrum, Candidum, Canonicum.
 Sacrum à Christo in cruce septem radiis coruscante,
 In loco, cui Præmonstrati nomen, designatum,
 Candidum ab habitu candido, quem Deipara præscripsit.
 Canonicum à regula: quam servandam in visu extradidit Augustinus.
 Cameracenses infulas respuit: Magdeburgenses invitus admisit:
 Quas Norberto Deus præmonstravit.
 Orantem cum sociis in Italia vox cælica interpellavit:
 Parthenopolis Archipræsulem annuncians.
 Habuit suo in Antistite Apostolum Parthenopolis:
 Qui Saxones & Vandalos è gentium & hæresum nocte
 Ad admirabile lumen Christi reduxit.
 Disciplinam Ecclesiasticam, & calibatam Clericorum restituit,
 Direpta Ecclesiæ bona malis possessoribus eripuit.
 Innocentium II. represso schismate Vaticanæ Sedi reposuit.
 Quem toties in terris cælum præmonstravit Sanctum:
 Post mortem beatæ æternitati demonstravit assertum.
 Germaniæ quondam Primas, cæli Primatibus adlegendus erat.
 Lillii candidissimi specie ab Angelis in paradysum visus deferri,
 Sat habes, Lector, de Sancto Præmonstrato,
 Si Sanctus præmonstratus esse non potes:
 Viam Norberti ad sanctos sequere, quam tibi præmonstravit.



S. BER-



S. BERNARDUS .

*Burgundus, natus Fontanis, ordinem Cisterciensem à S. Roberto Abbate Molis-
mensi inchoatum cum 5. Fratribus ingressus, recens erecto monasterio Claraval-
lensi primus Abbas datus, ordinem hunc mirè propagavit, 160. monasteriis à
se fundatis, obiit 20 Augu: A. C. 1153, Aetatis 64.*

32.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



S. BER



S. BERNARDUS.

Dulce, floridum simul, ac argutum Elogii genus
De Bernardo condendum.

Melle, non sepiâ scribendum: ceræ virginæ, non chartæ inarandum.

Nardum gestat in nomine: florum ipse pulcherrimus.

Mel ore & calamo fundit: nec aculeo caret,

Ut operosæ virtutis, virginæque pudoris:

Sic & melliti Sancti idem est hieroglyphicum

APICULA.

Quid melle dulcius? virtus.

Quid vita Bernardi? virtutum omnium mellificium.

Lingua illi mellea, mellifluus calamus:

Utrique aculeus; quem in fidei & virtutis hostes exeruit.

Virginitatem à puero amavit: & Virginitas Bernardum.

Ideo Virginæ Dei Parenti, & Virginis Filio fuit in amoribus.

Collactaneus Christi fieri meruit:

Eodem ubere Virginæ, quo olim Filius Dei, à Maria lactatus.

Avere iussit aliquando in icone Virgo Bernardus Virginem Matrem:

Salutem reddidit Deipara; de qua Salus mundi prognata.

Florem Nazaræum natalitia Domini nocte videre gestiit:

Unde mel dulcissimum fugeret.

Voti compos vidit speciosissimum JESUM,

Quasi recens genitum de MARIA infantem.

Vulnera Redemptoris è cruce pendentis,

Ceu alveare incoluit: unde mellificaret.

Ex hoc fasciculo myrrhæ nectar hausit ambrosium.

Amor Bernardi Crucifixus: Crucifixi amor Bernardus.

Sic amantem se Bernardum Christus redamavit:

Ut soluto è cruce brachio arctissimè complecteretur.

Acrius sepe pudicitia Bernardi impugnata: nunquam expugnata fuit.

Lenocinantes Veneres, ut Sirenes, furda semper aure audiit.

Semel formosæ mulieris vultum invitus aspexit:

Mox erubuit, & cohorruit, quasi basiliscum intuitus.

Incautum obtutum sui vindex plectere statuit.

Ut culpam, quam non commisit, elueret:

Collo tenus glaciali stagno se demersit.

Haud opus erat: Veneris ignes, quos non sensit, aquis suffocare.

Casto nempe vel fumus fugiendus: ut ab igne Cyprio securus sit.

Vitam, quam præ pudore amittere maluit, his undis extinxisset.

Nisi aliorum ope exanimis penè extractus esset.

Laureolam hinc meruit Martyr castitatis, & adeptus est.

Fomite carnis cælesti ex munere deinceps caruit.

Ut extra carnem mundus posthac viveret:

Sedem extra mundum quæsit, & Cistercium invenit,

In Cistercio paradisum.

Ne mundum desereret: propinquorum sustinuit insidias;

Resistentibus fortior obstitit.

Ut resistentes mundo valedicerent: mellitâ suâ eloquentiâ effecit:

Hac moti triginta nobiles adolescentes præevantem secuti,

Germani fratres quinque, cum Patruo Parens ipse:

Cisterciense institutum amplexi.

Papæ! quantâ virtus pollet fragrantia.

Nunquam hoc bellum examen apum, nisi duce Bernardo,

In Cisterciensium topiarum avolâset.

Auctæ alumnis sacrae familiae, virtutibus aucto Bernardo,

Angustum se fatebatur Cistercium.

Prima ergo Cisterciensium colonia in Claram Vallem deducta:

Coloniæ antesignanus, & Abbas primus Bernardus.

Nomen

XXX
S. BERNARDI

D

Nomen loco ab adventu Bernardi inditum.
 Vallis olim absinthii dicebatur, ad Albam fluvium sita,
 Cocytus dici meruit flumen, non Alba: ex Cocyto Albam,
 Ex latibulo latronum claram, mellitam ex amara vallem
 Suo incolatu fecit Bernardus.

Quàm fœcundum hic Bernardi fuerit mellificium:
 Ex propagati Ordinis incremento conjice,
 Centum sexaginta crexit cœnobia:
 Totidem fragrantissima virtutum alvearia.
 Septingentis & septuaginta inquilinis claræ vallis præfuit.
 Filiorum è numero fratres habuit & parentem sibi obsequentes.
 Quot naturæ apibus: tot gratiæ prodigia inerant Bernardo.
 Cæli rore illæ pascuntur: Bernardus contemplatione pastus cœlestium,
 Aliis illæ mellificant: Divini verbi pabulo alios Bernardus refecit.
 Ad cibi nomen ingemuit: quem non nisi stomachabundus admisit;
 Imò cibum, continuâ afflictus inediâ, stomachus nauseavit.
 Mel erat, quod Divinâ imbutus sapientiâ scripsit, & dixit,
 E floribus sacrarum scripturarum collectum.
 Cellis suis se se recondunt apiculæ:
 Delicium Bernardi, latere in solitudine.
 Hac boni publici causâ in publicum egressus:
 Ut aculeo suo armatus schisma Ecclesiæ, fideique hostes impeteret,
 Infernum ipsum impugnaret.
 Abailardum hæreticum, Gilbertum Poretanum erronem,
 Henricum apostatam devicit: dæmones de obsessis ejecit.
 Repudiavit infulas: & alumnos suos ad infulas educavit.
 Cathedræ Petri de alveari suo dedit Eugenium III.
 Agnovit discipulus Magistrum suum:
 Pontificiæ mitræ, si voluisset Bernardus,
 Successorem dignissimum habiturus:
 Qui antecessor Eugenii esse merebatur.
 Mellitissimos ad Eugenium scripsit Considerationum libros,
 Consideratum esse voluit Bernardus Eugenium;
 Ne in præcelso fastigio positus præcipiti laboraret vertigine.
 Leges dictare noluit supremo in terris Christi Vicario,
 Considerationes Bernardi pro legibus admisit Legislator.
 E terrestri tandem in cœlestem evolavit paradisum.
 Sanctorum gloriâ donatum innumera loquuntur miracula:
 Admirati sunt hæc in terris homines:
 Eadem Deus admiratus fuisset, nisi ipse prodigiorum auctor
 Miracula per Bernardum edidisset.




S. GUI-



S. GUILLELMUS.

Gallus, ultimus Aquitanicæ Dux, à S. Bernardo ad meliorem vitam conversus, severam egit poenitentiam, variis exantlatis peregrinationibus, tandem ordinem Gualielmularum instituit, confirmatum ab Innocentio. IV. obiit in stabulo Rhodis 10 Febr. A. 1157.

C. Weigel. exc. 33.



Faint, illegible text or a signature located below the large stamp.

Several lines of very faint, illegible text or a signature located below the main stamp area.

S. GUILIELMUS EREMITA.

Fœcunda Sanctorum parens Gallia,
 Dum ultimum Aquitaniæ Ducem animat:
 Rachelis instar penè exanimatur.
 Alterum Benoni in Guilielmo filium doloris enixa:
 Postliminiò obstetricante Divino Brachio
 Filium Dexteræ Omnipotentis Benjaminum futurum.
 Flebili Elogio tibi, Lector, Guilielmum describo:
 In scelerum omnium colluvie prostratum,
 Scelerum ducem, & sceleratorum,
 Suis dein lacrymis innatantem
NOBILEM POENITENTEM:
 Sanctum Eremitam, Eremitarum ducem, & pœnitentium.
 Avitâ Caroli Magni Imperatoris profapiâ natus:
 Augusti generis probrum, & decus;
 Quod primum vitiis suis deturpavit:
 Mox pœnitentiâ & sanctitate sua reddidit illustrissimum.
 Dux Aquitaniæ, & Comes Pictavis imperitavit:
 Cupiditatum suarum mancipium;
 Abdicato dignitatum fastu, olim se Dei servitio mancipaturus.
 Divitiis æquè, ac vitiis abundavit:
 Illas ut quondam pauperibus erogaret; hæc jugiter defleret.
 Sanguinem alienum sitivit, & bibit tyrannus:
 Suum aliquando pœnitens profufurus.
 Lupo erat rapacior: post agno mansuetior, in se solum crudelis.
 Procero corpore gigantem æquabat:
 Majora animo hærebant vitia; gigantomachiam renovavit.
 Alter ceu Enceladus sceleribus cælum impugnavit:
 Ut illud deinde, facinorosam vitam expians, pœnitentiâ expugnaret.
 Ventri, gulæque deditus: quotidie tantum cibi abligurivit;
 Quantum octo validis juvenibus sat esset.
 Ex helluone factus abstemius, veterem ingluviem inediâ castigavit.
 Pauli instar Ecclesiam Dei persecutus: ut Pauli instar resipiscens,
 Eandem defensaret; sacro fœtu novæ prolis fœcundaret.
 Schismatis fautor, pseudo-Papæ adhæsit.
 In legitimi Pontificis sectatores ferro & igne desæviit:
 Qui ejusdem post pedibus advolutus, se Patri filium prodigum stiterat.
 Fratris thorum maculavit, incestu & adulterio Herodem imitatus:
 Impuras corporis voluptates jugi castigatione carnis multaturus.
 Fulmine Apostolico afflatus: à cælo vindice toties fulminandus;
 Nisi hoc insigne pœnitentiæ prodigium Dei gratia præservasset.
 Durum demum Guilielmi animum Bernardi mellita emollivit eloquentia:
 Præ templi foribus opperienti, nec ingredi auso Guilielmo
 Velatum Eucharistico pane Deum objectat:
*En! inquiebat, adest tibi Filius Virginis,
 Ecclesiæ Caput, & Dominus; quem persequeris.
 En judicem tuum! in cujus manus deveniet anima tua:
 Ipsümne eadem, qua servos ejus, impietate contemnes?*
 Audit tonantem Bernardum, & ad conspectum Divinissimi Mysterii,
 Ceu telo fulmineo ictus concidit, obmutuit, contremuit, ingemuit.
 E peccatorum veterno evigilat, è filio tenebrarum filius lucis.
 Ut veterem hominem exueret; Ducem facinosum cum vestibus abjicit.
 Vide jam Nobilis pœnitentis novum amictum.
 Loricâ nudum corpus induit: gravem capiti imponit cassidem.
 Cilicio, ferreisque catenis se stringit.
 Nudis pedibus Romam advolat:
 Positis humi genibus delictorum veniam
 Ab Eugenio III. postulat: plus lacrymis, quàm verbis perorans.

LXXX

S. GUILIELMUS ERMITA

Quem famosum Orbis expavit peccatorem: pœnitentem plûs obstupuit;
 Lacrymanti cælum cum Angelis applausit.
 Vidit è magno Aquitanix Duce loriatum Eremitam
 Gallia, Hetruria, Italia, Hispania, Palæstina?
 Singultientem audit; & flenti collacrymari visâ est.
 Asperas silvas, montes, plures horridas speluncas incoluit.
 Potiorem mundi partem peregrinus excurrit:
 Olim scelera omnia pervagatus.
 Plurimos in eremo habuit discipulos:
 Qui subinde Guilielmitarum nomen sortiti sunt.
 Haud arduum erat rigorem Sancti Magistri æmulari:
 Quibus fulgenti sanctitate Nobilis hic pœnitens præluxit.
 A dæmone, cujus jugum excusserat: acriter tentatus,
 Toties hostem devicit, quoties tentanti aures obturavit.
 Audit semel, & deserta eremo militiam sectari constituit.
 Ne hosti obaudiret: miserentis Dei gratia præpedivit.
 Oculorum cæcitate percutitur: ut animi oculos aperiret,
 His tenebris ad novum lumen initiandus.
 Fortunata nox! in qua rursus inane mundi chaos vidit, & nauseavit.
 Delicti pœnitens, sacrilegii veniam postulat:
 Visum precibus recipit ab exorato lacrymis Numine.
 Firmus deinceps in proposito vitæ instituto,
 Nil nisi Deum præ oculis habuit: ad cætera cæcus.
 Infremuit orcus: se à Guilielmo victum, quem penè vicerat,
 Plagis pœnitentem Stygii verberones cædunt:
 Cædi maluit Guilielmus, quàm Stygi cedere.
 Seminecem, humique abjectum, Virginum choro stipata,
 Invisit Deipara: mæstum solatur;
 Vulnera allato cælesti unguento sanat.
 MARIÆ beneficio donum perseverantiæ indeptus:
 Nobilis in finem usque vitæ Pœnitens perstitit.
 Illustratus à Deo miraculis orbi innotuit.
 Feris, elementis, morbis, morti, dæmonibus imperitavit.
 Prodigis nobilitari meruit nobilissimum pœnitentiæ exemplar.
 Ultima Guilielmi statio Stabulum Rhodis:
 Incultam antea sterilémque solitudinem suo incolatu fertilem fecit.
 Hic metam vitæ, & austeræ pœnitentiæ assecutus:
 E stabulo in cælum ab Eo assumptus evolavit;
 Qui olim in stabulo pro peccatoribus nasci dignatus est.
 Quisquis Guilielmum peccantem secutus, ignobilem te fecisti:
 Sequere pœnitentem; ut idem nobilis pœnitentiæ bravium confecteris.



S. JO-



S. JOANNES OLDRATUS de MEDA.

Longobardus, in oppido Meda nobili genere natus, Ordinem
 Monialium, ab exilibus nobilibus Mediolanensibus in
 patriam A. 1017. imperante Henrico II. dimissis, A. 1019.
 inchoatum, amplexus: eundem ad religiosum coetum ele-
 vavit, primus in eo Sacerdos, et Concionator Zelosissimus;
 ante cujus confirmationem, ab Innocentio III. A. 1201. factam,
 multis claris prodigijs obiit d. 26. Sept. A. 1159. aet. 40. 37

ACTIO DE PITA RIBI - PIZNACI 2



S. JOANNES OLDRATUS de MEDA.

Nemo posthac Adversitatem novercam compellet:
 Quòd non cum Halcyonibus fœtum suum enitatur;
 Sed inter sævientis fortunæ fulmina abortivè videatur.
 Mater fuit felicissima: quæ Humiliatorum Ordinem peperit.
 Inter rudera patriæ is primùm exsurrexit:
 Solo æquatum Mediolanum prima illi incunabula;
 Pro eversa patria novam in exilio patriam invenit.
 Fœcundior sterili felicitate parens communis calamitas
 Copiosam hanc prolem, uno, sed perdifficili partu effudit.
 Relegatis in Germaniam viris plurimis nobilissimis,
 Splendore generis, opibus, libertate exutis,
 Ignobile nomen placuit Humiliatorum:
 Nec animis desière esse nobiles.
 Non luctum de amissis fortunis alium præferebant:
 Quàm quòd assumpto candido habitu palàm sint testati;
 Doloris se quidem partum, simul albæ gallinæ filios esse:
 Qui illudenti fortunæ illuderent.
 Ab exilio in patriam postliminiò reversi,
 In patria ut exules vixère palabundi, & solitarii.
 Humiliati dicti sunt: nondum ad amissim verè humiles;
 Nec semper nobilibus, licèt humiliatis, accepta humilitas.
 Publica illos ærumna ex nobilibus privatos fecit humiliatos:
 Ex humiliatis publicos nobiles humiles Joannes Oldratus.
 Centum post annis & ampliùs Humiliatis se adjunxit:
 Ut religiosi ex regula fierent;
 Laici esse desinerent, sacris deinceps insigniti Ordinibus.
 Joannis Elogium Nobiles Humiliati:
 Elogium Humiliatorum Joannes,
 MAGISTER NOBILIS HUMILITATIS.
 Ut nihil humilitati ignobile inesse demonstraret:
 Semetipsum nobilissima Stirpe genitum humiliavit.
 Nec citiùs humilitatis amorem Humiliatis persuadere poterat:
 Quàm nobili exemplo suo.
 Fluxas esse nobilium ceras, suos docuit:
 Quæ nisi à virtute solidentur;
 Vel arrogantia æstu diffluunt:
 Vel spisso superbiæ fumo nigrescunt.
 Ut sine fuco candidus Humiliatus diceretur: sincerè humilis fuit.
 Ut natalium suorum splendorem ampliùs illustraret:
 Sub umbra humilitatis se recondidit.
 Tantò nobilior factus: quantò humilior;
 Tantò major & excelsior: quantò sibi minor, & vilior;
 Eadem profundissima animi demissione
 Se omnibus subjecit: sibi omnia.
 Dimissis paternis bonis, patriâ excedens, rus petiit:
 Ne inter divitias, & vitia urbana
 Candida mentis integritas vel corrumpetur, vel obfuscaretur.
 Nobilem exiit, ab humilitate nobilitandus.
 Pone Novocomum in deserto loco sedem fixit,
 Cui nomen Arundinetum.
 Congrua hæc statio Humiliatorum Propagatori visa est:
 In qua novum conderet humilitatis Gymnasium.
 Nec levitatis, aut inconstantia symbolum,
 Sed demissi animi, vento agitatam dixerim arundinem.
 Tam humilis est: ut vel levi aëris flatui cedat.
 Stat illæsa: cum se furentibus Euris submittit:
 Quibus superbiæ cedri radicitus evulsæ succumbunt.

Oratorium hic, & ædiculas humiles construxit:
 Quas discipuli humilitatis, ex utroque sexu conflati,
 Bifariam divisi incolerent
 Vocalis hoc in arundineto auditus est Orator:
 De pretio humilitatis verba fecit;
 Id ore diserto prædicans, quo cor abundârat.
 Excurrit ad Urbes & Oppida: Urbes & oppida ad Joannem.
 Cordibus auditorum hæserunt: quæ ab hoc Apostolo auribus exceperant.
 Loquébatur de Deo, Dei Spiritu plenus:
 Et concio universa ad Deum arcana vi rapiebatur.
 Facile cunctis studium virtutis persuasit:
 Quem verbo & exemplo tam facundum humilitatis Magistrum audiére,
 Ut Humiliatos suos nobilitaret:
 Ordinem regularem fecit, & sacrum.
 Ut in humilitate nobiles Dei ministri fierent:
 Sacris Ordinibus initiatos Deo ad aras ministrare voluit.
 Religiosis votis Deo se se obstringere iussit:
 Et hæc vincula sacratioris nobilitatis fuère insignia;
 Ut humiliati nobiliores essent sic vincti in Domino.
 Humiliatos Joannes, humilitatem Joannis Deus exaltavit:
Qui superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.
 Insignibus signis, & miraculis inclaruit Joannes:
 Post tot edita humilitatis magisteria
 Prodigium humilitatis ipse, & prodigiorum thaumaturgus.
 Fames omnem latè regionem depascebat:
 Nec quidquam, quo suos pasceret; Joanni suppetebat.
 Tulit cælum suppetias: ne fames mortem acciret;
 Æs mutuum à propinquis suis Joannes colligere statuit:
 Et itineranti hominem indutus Angelus appropinquans,
 Crumenam numis copiosè fartam obtulit: mox evanuit;
 Ne ab homine id beneficium emanâsse crederetur.
 Vas vacuum petenti oleum pauperi oleo replevit:
 Et fœnus retulit pro impensa eleemofyna, miraculum pro miraculo.
 Pluribus eodem oleo sic succurrit: ut domesticis adhuc superabundaret.
 Cæcæ puellæ visum reddidit: cum ipse nil amplius vidéret in terris;
 Vidit tamen è cælo fidem indigæ: & beneficium contulit;
 Ut ex contactu sacri sui loculi oculorum aciem reciperet.
 Mediolani sanctè decessit: in Oratorio Arundineti tumultatus.
 Ibi quietis locum nactus: ubi tot pro Deo labores exantlavit.
 Humiliatorum Propagatoris, humili elogio laudati, humilitatem,
 In terris exaltatam, in cælis coronatam, si alii silerent:
 Miracula plurima hodiedum proloquuntur.



S. JO-



S. JOANNES DE MATHA.

*Gallus, Falcone in Provincia pius et nobilibus parentibus natus. Parisius
Theologicæ lauream adeptus primam liturgiam Deo offerens. Angelum
sibi astantem videt, in extasi se ad redimendos captivos destinari agno-
vit. Triennio cum S. Felice Nalesio in eremo comoratus. Romam cum eodem
abijt, novum Ordinem instituit, quem Innocentius III. S. Trinitatis redemptio-
nis captivorum dicit voluit. Laboribus Dei et proximi amore exantilla-
tus, fractus, Romæ obiit 17. Dec. A. 1213.*

35



S. JOANNES de MATHA.

Impensum olim orbi universo Redemptionis beneficium
 Uni Hispaniæ, Saracenorum jugo oppressæ,
 Immensa Dei charitas iterare visa est.
 Duos ad novum charitatis opus auctoravit
 Joannem & Felicem,
 Humani generis Redemptoris adjutores.
 In Geminis Divinæ Misericordiæ Sol tum refulserat:
 Cum Castorem & Pollucem pro Hesperia delegit in Gallia.
 Qui sedentibus in tenebris & umbra mortis illucescerent.
 Benefica nautis sidera, Geminos finxere Ethnici:
 Beneficos Redemptores hos geminos Sanctos sensere compeditis;
 Ne inter vincula fidei facerent naufragium.
 Eucharistico hic primum REDEMPTOREM prosequimur elogio,
 Nec, quos Deus conjunxit, separamus, unius Familiæ Conditores,
 Joannes in Felice, Felix in Joanne;
 Castor in Polluce, Pollux in Castore celebrabitur.
 Nobiles habuit, piisque parentes Joannes:
 Nobilem piúmque filium Deus genitoribus dedit.
 Etiam pietati generis nobilitas decori est:
 Imò pietas sola verè quemque nobilitat.
 Nobilem nasci, piúmque Joannem oportuit:
 Qui olim Redemptori Deo cooperaretur
 In nobilissimo piissimoque opere redemptionis.
 Nobilior tantò pietas: quantò literatior.
 Sacratioribus disciplinis nobilitari debuit Joannes:
 Ut redemptioni, Divinæ Sapientiæ invento, aptaretur.
 Theologicâ laureâ Parisiis redimitus,
 Theologum se esse scivit, Redemptorem fore nesciit.
 Cælesti ostento id rescivit in neothesa sua.
 Primam Deo sacram offerens liturgiam:
 In mentis excessu vidit se victimam charitatis destinari.
 Sacrosanctum Missæ tractavit mysterium, Redemptionis Dominicæ memosynon.
 Redemptorem gestavit manibus;
 Incruentam Deo Patri litaturus hostiam:
 Qui de ara Crucis cruentum se se immolavit holocaustum.
 Hoc à Magistro arcanum redemptionis novæ institutum didicit.
 Angelum sibi sacrificanti adstantem conspexit,
 Cancellata brachia geminis captivis imponentem.
 Nunquid condendum à se Ordinem Angelicum fore agnovit?
 Nil enim post Deum sic amant Angeli, quàm hominum salutem.
 Redimendis ergo captivis dicatus Redemptor,
 Se ipsum captivum conjecit in vincula.
 Pro carcere eremum elegit: in solitudinem recessit;
 Ut pro auspiciando hoc opere spiritum solidaret.
 Pollucem hic suum Castor, Joannes reperit Felicem:
 Triennio cum Felice commoratus.
 Quàm brevis amantibus mora:
 Dulcem reddidit perpes oratio, jure virtutum exercitium.
 Romam cælitus moniti abière:
 Ut redemptionis institutum à Deo dictatum
 Dei Vicarius ratum haberet.
 Nec Deo resistere ausus ratum habuit Innocentius III.
 Eundem, quem in primo sacrificio Parisiis Joannes,
 Innocentius Romæ inter Missarum solemnina videre meruit Angelum.
 Viso Angelo initiatos à Deo Redemptores amplexus,
 Candido habitu uti voluit: ut Angelos æmularentur.
 Crucem rubei & carulei coloris in veste gestare jussit:

S JOANNES de MATTHA

In Cruce, salutis symbolo, redemptionis Zelum,
Charitatem ardentem in rubeo, in caeruleo colore curam caelestium indicans.

Ordini nomen SS. Trinitatis indidit:

Ut Orbi innotesceret; redemptionis institutum
Esse opus sanctissimum Triunus Numinis.

Prima hominis redemptio Divinae Charitatis fuit abyssus.

Sic Pater dilexit mundum: ut Filium daret unigenitum;

Sic Pater & Filius dilexerunt: ut donarent Spiritum sanctum.

Secundae redemptionis instituto

Idem Deus unus & trinus nomen suum commodavit:

Redimi miseros per Joannem & Felicem voluit;

Ne semel redempti rursus salutem amitterent, aeternum miseri.

Italiam, Galliam, & Hispaniam percurrit Joannes:

Plura Ordinis excitavit Cœnobia:

Quem hodie è caelo spectat toto orbe propagatum.

Plurimos captivos infidelibus, infideles orco eripuit.

Sæviorem nôrat esse dæmonis captivitatem:

Graviora vincula animæ, quàm corporis.

Sic prodiga Joannis charitas bis perditos ab exitio servavit.

MARIAM operis sui habuit adjutricem:

Quæ pro salute humana Filii sui fuerat corredeptrix.

Deerat Joanni lytrum: quo centum triginta compeditos redimeret;

Supplicat Deiparæ positis genibus coram icone Mariana:

Exorata Mater misericordiæ præstò fuit;

Tantum æris munifica manu è caelo submisit:

Quantum opus erat captivis totidem liberandis.

Pro salute captivorum Joannes victima cadere paratus erat:

Qui pro salvandis captivis, quoad vixit, steterat.

Vitam mucro Saracenus Joanni non abstulit: sed Charitas.

Nec nomen Redemptoris meruisset:

Nisi se holocaustum Charitatis immolâisset.

Consummato in terris redemptionis opere,

Zelo & laboribus fractus: Dei proximique amore extinctus,

Ad Redemptorem suum gloriosus, in cælos ascendit.

Eucharistico Elogio Joannem ornavimus:

Debitæ gratitudinis id fuit monumentum.

Gratiæ dicendæ erant Institutori redemptionis,

Gratias illi debet mundus, per quem secundo redemptus est:

Gratias debet cælum; in quod captivam evexit captivitatem.

Deo Uni & Trino sit laus, honor, & gratiarum actio:

Qui pro salute captivorum hunc mundo dedit Redemptorem.






S. FELIX de VALOIS.

Gallus Regiâ Valesiorum prosapiâ ortus, adolescens jam pauperibus stipem, cibos, sibi detractas vestes erogavit. Sacerdotio initiatus in eremo diu asperam vitam duxit. Ibi cum S. Joanne de Matha cerrum vidit cum cruce intra cornua bicolori. Cum eodem ab Angelo monitus Romam profectus, Ordinem S.S. Trinitatis condidit. Præfuit primo ad cerrum frigidum erecto monasterio. Redimendis captivis strenue intentus, obiit Anno. 1212.

36.



S. FELIX de VALOIS.

Suum Castori Pollucem jungimus, Joanni Felicem:
 De Geminorum Sidere uno, miseris propitio,
 Alterum Eucharistico Elogio veneramur REDEMPTOREM.
 Gratosum & fortunatum erat hoc novum Charitatis opus:
 Cui gratiam Joannes, Felix contulit felicitatem.
 Ter felix Redemptionis institutum,
 Sub auspicio & nomine Divinissimæ Triados!
 Nec à fortuna nomen suum Felix mutuavit.
 Deus Felicem nominari voluit fons omnis felicitatis:
 Per quem vinculati apud infideles fierent felices.
 Felix dictus est: &, ut felix esset, fortunam odit.
 Favorem legis Salicæ respuit: & exlegem se fecit.
 Coronam Galliæ successionis jure sperare ausus est:
 Ne regios fasces procarì videretur;
 Spem regni sibi ademit, regale amplexus sacerdotium.
 Gloriosum erat Felici & fortunatum:
 Regio Valesiorum genere prognatum esse;
 Gloriosius multò, & fortunatius:
 Cælitus destinatum ad obsequia Regum Regis.
 Illustres à regali sanguine natales habuit:
 Et illustrioris sanctitatis indicia jam puer edidit.
 Condendo olim à se Redemptionis Ordini
 Eximia in pauperes charitate ab infantia prælusit.
 Numos, quos nec nôrat, neu ut crepundia amârat:
 Egenis tenella manu dispensavit.
 Quid paupertas esset, nesciit: & jam pauperes dilexit.
 Ignoravit humanas miseras:
 Et jam opera misericordiæ lubens exercuit.
 Crevit cum ætate charitas, quam ab ubere materno hausit:
 Adolescens è mensa sapidiora obsonia pauperibus submisit.
 Selectiores cibos sibi detraxit:
 Ut Christum in famelicis esurientem recrearet.
 Ut eundem in nudis mendicabulis vestiret:
 Sæpius se propriis indumentis exuit.
 Nondum Redemptionis institutum exorsus miserorum fuit Redemptor.
 Ab avunculo Theobaldo Xamphanæ & Blessi Comite,
 Reo mortis sicario vitam exoravit.
 Eundem latronem postliminiò famigeratum sanctum fore prædixit:
 Et Vaticinium eventus comprobavit.
 Sic Felicem Charitas Redemptorem:
 Spiritus Dei in præmium exercitiæ charitatis fecit Prophetam.
 Nauseare post cœpit res mundi fugaces, & fugere mundum.
 Diu solitarius in eremo delituit:
 Solitudine pro virtutum palæstra usus;
 E qua ad curandam salutem publicam egrederetur.
 Misit Deus Joannem ad Felicem:
 Ut geminos mitteret ad Redemptionem captivorum.
 Quæsit Dei monitu Joannes Felicem:
 Et suum Castor invenit Pollucem.
 Dum de Deo loquuntur, cælesti ostento Deus utrumque alloquitur,
 Sitientem fontes aquarum prægrandem cervum utrique ostentat:
 Ut sitire salutem captivorum addiscerent.
 Crucis simulacrum inter cervi cornua vident:
 Ut viso hoc salutis humanæ pignore
 Insigne Redemptionis opus auspicerentur.
 Utrumque Angelus Dei nomine Romam abire jubet:
 Ut ibidem Redemptores à Vicario Redemptoris insignirentur.

Stabilitus

S. FELIX DE VALLOIS

Stabilitus in Urbe Ordo mox per orbem dilatatur.
 Angustiore sibi charitas orbem arbitrata,
 Ad Antipodes se se extendit.
 Promoto ubique gentium Redemptionis instituto,
 Romæ ceu in specula substitit Joannes:
 Ut Ordini, & saluti redimendorum prospiceret.
 In Gallia primo ad Cervum Frigidum monasterio Felix præfuit:
 Afferendis in libertatem compeditis intentus.
 Amavit Felix MARIAM Virgineam Redemptoris Parentem:
 Miserorum Redemptorem Mater Salvatoris redamavit.
 Cum Felice in choro pridie sui natalis Divinas laudes cecinit,
 Habitum Ordinis induta Virgo.
 Psallebant cum Virgine Cælites eadem veste amicti:
 Psallebat cum Virgine & Cælitibus Felix.
 Sopore gravi reliquos omnes Deus tum opprimi voluit:
 Ne ad psallendum nocte media confurgerent;
 Ut soli Felici hic cælicus favor à MARIA impertiretur.
 Eucharistico Elogio Felicem celebravimus,
 Gratia debentur Redemptori:
 Gratia Triuni Numini captivorum Redemptionis auctori:
 Gratia Ordini, per quem Deus Ecclesiam suam illustravit.
 Tria in hoc admiranda numerum mysticum indicant:
 Vitæ asperitas, charitas immensa, doctrina excellens.
 Instituti hujus sequaces næ ego dixero
 Rigore Martyres, Seraphinos amore, Sapientiâ Cherubinos.
 Ut Redemptoris promeritam in cælis gloriam Felix capefferet:
 Ab Angelo de hora mortis admonetur.
 Felicissimum id Felici nuncium erat.
 Gaudens mundum deserit: qui in mundo nil nisi salutem proximi amavit.
 Paupertatem in terris coluit: & dives cælum ingredi voluit,
 Olympo se indignum ratus, si solus sine comitatu veniret.
 Triumphanti similis ascendit: cælo dignus, & maturus meritis, ac annis.
 Tot inferno fideique hostibus abstulit manubias:
 Quot vinculis strictos barbaræ servituti eripuit;
 Quot ab Ethnica superstitione in libertatem transtulit filiorum Dei.
 Age nunc, Lector, & ex benefico hoc Geminorum signo
 Felicitatis tuæ deprome augurium.
 Scire aves: an de numero salvandorum & redimendorum sis?
 Si aliorum redemptor esse nequeas: esto redemptus.
 Imò tuusmet redemptor esse potes:
 Si tuarum nolis esse captivus cupiditatum.





S. GUI-



S. GUILIELMUS.

Gallus, natus Parisiis, Canonicus Regularis S. Genovefæ, à Waldemaro Danicæ Rege evocatus, per 40. annos Abbatiam Roschildensem regens, Canonici Ordinis disciplinam ad primarium splendorem reduxit in Dania. obiit die 6. April. A.C. 1202. ætat. suæ. 98.
C. Weigel. exc.



S. GUILIELMUS ABBAS.

En fulgidissimum Divi Augustini Familiæ Sidus!
 Ex Galliæ Horizonte ad Parrhasiam Arcton translatum:
 Ut occidentem in Septentrione Canonici Ordinis disciplinam
 Ad pristinum splendorem revocaret.
 Felix Gallia: quæ Guilielmum vitales in auras edidit,
 Felicior Dania: cui Gallia Guilielmum commodavit;
 Ut à Guilielmo sancta fieret Dania: Gallia famigerata.
 Mirabilis æquè hic Sanctus, quòd pro Deo egerit maxima:
 Ac plurima pati non detrectârit.
 Ingentia patravit miracula: jure sibi Thaumaturgî nomen vindicat.
 Asperrima pro Deo tulit: dici promeritus
 PATIENTIÆ PRODIGIUM.
 Primum doctrinæ Christianæ theorema in schola Crucis didicit:
 Non quanta agere, sed quanta pati, se oporteat.
 Jussus Christum è Cruce pendentem aspicere:
 A Christo amabilissimè respectus fuit.
 Unicus hic aspectus Guilielmo suffecerat:
 Ut mundum despiceret, opes, honores, dignitates dimitteret.
 Patiendi desiderio exæstuarè cœpit:
 Dum Servatorem patientem contemplaretur;
Qui in Cruce Divinitatis suæ famam periclitari maluit, quàm patientiæ:
 Imò qui ex patientia sola Divinitatem suam agnosci voluit.
 Crucifixum oculis vidit: & sibi ad cor loquentem audivit.
 Haud voce opus erat: obtutu Crucifixi vocatus,
 Non ut Apostoli retia; domos, prædia, familiam, se ipsum reliquit.
 Cruci sacramentum dixit, Divi Augustini institutum professus:
 In Cœnobio S. Virginis Genovesæ Canonicus Regularis.
 Crux Christi regula fuit Guilielmi.
 Ut artem patiendi ritè addisceret: abstinentiâ, & oratione perpeti,
 Zelo observantiæ regularis sibi comparavit.
 Nec patiendi seges inter commilitones suos Guilielmo defuit.
 Intruso laica potestate Priori restitit:
 Nec Priori, sed Ordinis obstitit prævaricatori.
 Ad pœnam innocens raptatur, jejunio, silentio, flagris multatur.
 Dulce erat Guilielmo injusta pati pro justitia.
 Vindicem mox suum habuit Dei Vicarium Alexandrum III.
 Dilaudavit Pontifex Zelum vindicatæ Canonice disciplinæ:
 Nescius, plûsne Guilielmi innocentiam, an patientiam admiretur.
 Divam Genovesam singulari cultu profecutus,
 Amorem suum heroicâ patientiâ contestatus est.
 Palam in Ecclesia Aurelianensis Antistes
 Guilielmum petulantem & lascivum hominem compellat.
 De veritate lipsanorum S. Virginis temere disceptans,
 Vetulæ, non Sanctæ caput ostentatum esse vociferatur.
 Impactum sibi convicium, non Genovesæ, sustinuit Guilielmus.
 Vetulæ, quia octogenariæ, sed Sanctæ & immaculatæ Virginis caput:
 Se servum Genovesæ esse affirmat.
 Paratum insuper ait: cum hoc ardentem clibanum ingredi;
 Nec ab igne meritis Tutelaris suæ lædendum.
 Eandem subinde Virginem sospitam suam expertus est:
 Cujus honorem invictâ patientiâ defenderat.
 Reddidit illa vices: dum ægotantem è cælo invisit, & sanat.
 Proroganda Guilielmo vita erat:
 Cui adhuc majora supererant pro Deo agere, & pati.
 Spectandum se aliquando Christus Guilielmo dederat:
 Formâ juvenis speciosi amabilem, sed tristia vaticinantem.
In insulam quandam, ajebat, abibis Guilielme, mecum itineris comite.

S. GUILIELMUS ABBAS

Pro toleratis ærumnis caelestem paradifum recipies.
 Exfolvit promiffi fidem Vates hic idem, qui Veritas æterna.
 Evocatus in Daniam à Waldemaro Rege Guilielmus,
 Novam patientiæ palæstram ingreditur.
 Abbas Roschildenfis Canonicis Regularibus præficitur:
 Dum ftatuta Ordinis, vitæque religiofæ rigorem urget;
 De vita periclitatur, dira à fuis perpeffus.
 Violentas fæpe manus fibi illatas Deo protegente evafit.
 Jam facco impositus, mari demergendus, modò telis confodiendus,
 Nunc impactis capiti securibus enecandus,
 Iterum Slavis Gentilibus ceu mancipium vendendus.
 Paricidas fufiinuit difcipulos fuos Magifter optimus:
 Minasque paricidii infractâ tulit patientiâ.
 Pro delinquentibus flebat, à Deo veniam exorabat.
 Errantes filios precibus, & exemplo fuo reducebat.
 Quid mirum: quòd exinde prodigiorum factus fit Thaumaturgus!
 Heroicæ, quoad vixit, patientiæ fuit prodigium.
 Synopfin accipe miraculorum, quæ vivus, & mortuus edidit.
 Cibi, potûsque reliquiis à Guilielmo delibati,
 Morbidi ac moribundi ceu pharmacis actutum fanabantur.
 Sæpius Guilielmo Stygius hostis mortem intentavit:
 Quem de plurimis energumenis ejecit.
 Invocato Guilielmi nomine molâ contritus puer, alter aquis haufus revixit,
 Surdis auditum, vifum cæcis, claudis grefsum,
 Mutis loquelam, fanam furentibus mentem reddidit.
 Mortem fuam feptem annis priùs è cælo intellexit.
 Præparatam ibi Guilielmo gloriam ejusdem difcipulus vidit.
 Raptus hic in Spiritu cæleſtes genios fpectavit,
 Coronam auream pretiofis lapidibus comptam plectentes.
 Hoc diademate coronandum audiit Magiftrum fuum,
 Ob toleratas tribulationes pro Canonici fui Ordinis inſtauratione.
 Ut hanc indipifceretur, lethali morbo correptus,
 Ceu aurum in fornace fupremùm tentandus fuit.
 Totum corpus ulcus unum videbatur: & Jobi patientiam imitabatur.
 Cum Jobo exultans Deum benedicebat.
 Diem folemnem Paſchæ acturus, vitæ mortalis ultimum habuit.
 Novo tunc cilicio indui, humi in cinere mori voluit.
 Sic Phaſe Domini celebravit, & tranſiit ad Dominum.
 Mutata in candidiffimam Stulam veſte pœnitentiæ:
 In cælum ab Angelis deportari viſus eſt;
 Coronam patientiæ fuæ prodigioſæ debitam recepturus.





Italus nobilissimo Comitum Signie genere natus, inter plurima pietatis monumenta, Divino instinctu ad tollenda clandestina infantocidia Congregationem regularium Sacerdotum S. Spiritus in Saxia Romae A. 1204 instituit: quibus educatio pauperum et orphanorum infantum incumbit, quarto voto ad aegrotantium obsequia adstrictis. Maximis in ecclesiam meritis, vitae integritate, et sapientia conspicuus, obiit d. 16 Jul. A. C. 1216 pontif. A. 19.

38.



INNOCENTIUS III. P. M.

Quidquid de Innocentio dicitur : infra Innocentium est.
 Ac primùm Petri solium conscendit :
 Cælum infra se habuit ; omne transcendit elogium :
 Nec alium supra se vidit, nisi solum Christum.
 Non minùs temerarium : laudare Innocentium ;
 Quàm grande nefas : Innocentii laudes tacere.
 Silentium vindicarent lapides & colossi Romani :
Qui gloriosa Innocentii facinora hodieum proloquuntur.
 Ora infantium & lactentium referaret Deus :
 Ut laudes illius disertè enarrarent ;
Qui pauperum & orphanorum extitit Pater.
 Ades dum Fama ! silentium tibi indico.
 Sile omnia de Innocentio : elogium solo ex nomine adorna.
 Unicum orbi crepante are divulga encomium,
 Quòd fuerit INNOCENTIÆ VINDEX.
 Sile nobilissimos natales : vix quidquam illis debet,
 Suum splendorem debet Innocentio genus Comitum Signiæ & Anagninæ,
 A quo ad supremum honoris fastigium evectum est.
 Sile Doctrinam : ore & calamo sapientiæ oracula profudit,
 Lutetiæ Parisiorum, quas didicit docilis discipulus,
 Sacras literas docuit Magister obtupescendus.
 Ornabant scientiæ Innocentium :
 Et scientiarum Innocentius fuit ornamentum,
 Ut scientias sacras profanasque illustraret :
 Ingenii sui liberos, typis libros edidit doctissimos.
 Sile pietatem : jam sanctus dictus est, priusquam fieret Sanctissimus.
 Virtutis & doctrinæ suffragio à Clemente III. Purpuram accepit :
 Erubisset Patrum Senatus ; nisi Purpuratum hunc nactus esset Collegam.
 Sile Pontificii Summi adeptionem : captum humanum excedit.
 Cælestinus III. morti proximus, congregatos Patres hortabatur :
 Ut sibi defuncto Lotharium de Comitibus, doctum & sanctum subrogarent.
 Nec hortantis hæ voces erant : sed Prophetæ.
 Præsciit Cælestinus III. secuturum Innocentium III.
 Ideo moriens Lotharium laudavit : ut in Innocentio revivisceret.
 Jam Pontifex penè erat Lotharius : antequam diceretur Innocentius.
 Electus jam à cælo Vicarius Christi : priusquam ab hominibus eligeretur.
 A teneris Lotharium Divus Petrus singulari amore complexus,
 Cælesti in viso pio cuidam Sacerdoti prædixit :
 Hunc suum aliquando in Vaticana Sede fore Successorem,
 Ante hominum vota jam illi suum Deus contulit suffragium,
 Misit in sacrum conclave columbam candidissimam :
 Dexteræ Lotharii ut illa infedit :
 Agnovère illico Electores Purpurati ;
 Quem Spiritus Divinissimus in cathedra Petri confidere velit.
 Sile acta Innocentii Papæ : Tertius dictus est ; nulli secundus.
 Gessit innumera : se mājora, Pontifice Maximo dignissima.
 Primum erat : quòd Pontificium fens, & ejulans admiserit.
 Renitebatur Innocentius : & exultabat orbis christianus ;
 Plus iste lacrymatus esset : nisi hunc Pastorem Ecclesiæ à Deo accepisset.
 Præfuit Concilio Lateranensi IV. quod ab Innocentio *Magnum* dici meruit.
 Variæ in illo Apostolico fulmine damnatæ hæreses :
 Saluberrimi reformandis moribus statuti canones,
 Sedente ad clavum Ecclesiæ Innocentio :
 Regna Arragoniæ, Angliæ, Hiberniæ, Bulgarorum
 Romanæ Sedis se tributaria subjecere.
 Livonia ejusdem curâ & Zelo fidem Christi suscepit,
 Ut munere suo Dei Vicarius rite fungeretur :

INNOCENTII P. M.

Divinis sæpe visionibus instruebatur.
 Pauperum fuit Pater, & Pastor:
 Plura mendicorum millia famis tempore sua de penu quotidie aluit.
 Munificus aliis: sibi durus, & parcus.
 Luxum & prodigalitem ut in aliis corrigeret:
 In se ipso detestatus, exemplo suo alios dedocuit.
 Frugalem mensam suam tribus duntaxat ferculis definivit.
 Aureis & argenteis vasis lignea & vitrea substituit.
 Pastorem se esse nôrat: agnitis pellibus pro pretiosis indui voluit.
 Quotidie coronâ precatoriâ Deiparam veneratus:
 Ejusdem cultum, rosariisque usum aliis instillavit;
 Ne minùs aptè diceretur Innocentius: si non esset Pontifex Marianus.
 Agè nunc Fama! fat diu siluisti:
 Pro coronide Elogii paucis Elogium maximum Innocentii promulga.
 Dic, ut pridem iustâ es, vindicem innocentia; ;
 Et omnia de Innocentio dixisti.
 Ordines plures auctoritate Apostolica approbavit ut Pontifex:
 Novum ipse condidit ut Innocentius.
 Infames mulierculæ clam in Urbe constupratæ,
 Ut clandestinum scelus homines celarent:
 Grandi in Deum flagitio editas proles Tyberî injectas præfocabant.
 Occulta infanticidia fluvius Dei jussu publicavit:
 Dum pro piscibus infantes mortuos, reti clausos, piscatores extraxere.
 Deum consulit Innocentius: ut malo huic mederetur.
 Post supplicationem solemnem Angeli monitu
 Expositis infantibus excipiendis, & educandis
 Locum in veteri Saxonum schola assignat;
 Hospitium, ceu Christianæ charitatis gymnasium,
 Spiritui sancto, inexhausto Amoris fonti consecrat:
 Sacerdotibus regularibus orphanorum curæ præfectis concredit.
 En parvulorum innocentiam ab Innocentio vindicatam!
 Ne Tyberis post vorticibus sacro latice nondum abluti mergerentur,
 Originalem ob labem æternum Dei visione privandi:
 Instituto hoc Charitatis eximie opere,
 Saluti innocentium consuluit: quos aliena solum noxa nocentes fecit.
 Sepone jam Fama tubam: psalterium arripe.
 Eucharisticum cum Davide carmen intona:
Laudate Pueri Dominum, laudate nomen Domini.
 Primæ Deo: secundæ Innocentio laudes debentur;
 Nisi laudari in terris recuset Innocentia; vindex:
 Qui cum innocentibus suis in cælum translatus,
 Deum videt, & laudat in secula.



S. AL-





S. ALBERTUS PATRIARCHA HIEROS.

Italus, in Castro Gualterii, Parmensis diœcesis, nobili genere natus. Canoniorum Regularium in Mortariensi S. Crucis Monasterio Prior. Episcopus Vercellensis annis 20. Legatus Apostolicus, et Patriarcha Hierosolymitanus annis 8. Legislator Ordinis Carmelitici, cui primam regulam præscripsit A. C. 1209. approbatam ab Honorio III. A. 1226. Accone Martyr obiit die 14. Septemb. A. 1214. æt. 67.



S. ALBERTUS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS.

Eliam Ordo Carmelitanus suum veneratur Parentem :

Habet in eo filios Elias : qui suum spiritum, & virtutem æmulantur.

Europæ diu erat incognitus : Deo auspice tum innotuit ;

Cùm primas illi Asia colonias submitteret,

Regularis seculo decimo tertio fieri cœpit

A regula primùm scripta, & accepta.

Ab Elia dudum conceptus, & natus :

Regeneratus ab Alberto Hierosolymarum Antistite.

Quod anima corpori ; hoc leges cœtui religioso.

Laudatus alibi Propheta Carmeli incola :

Hic Patriarcha, Carmelitanæ regulæ laudandus est Conditor,

Albertus Sancti Ordinis SANCTUS LEGISLATOR.

Quot nominibus, toto orbe diffusus,

In Ecclesia militante fulgeat sanctus Ordo :

Quæri potest ; nemo effari.

Sanctus : in quo filii sunt Prophetarum, & Sanctorum progenitores.

Sanctus à clientela Eliæ, & Elianæ virtutis sequela.

Sanctus à cultu Virginis Sanctissimæ, & Marianus :

MARIÆ nomine, & singulari ejusdem præsidio insignitus.

Sanctus à lege sancta, & Sancto Legis Institutore.

Finge titulos reliquos deficere, qui deficere non possunt :

Perstabit Sanctus sanctitate sui Legislatoris.

Honor Carmeli Albertus : gloria Alberti Carmelus.

Habet Legislatorem nobilem :

Genere illustrem, virtute illustriorem ;

Ut duplici splendore instituta legibus familia nobilitaretur.

Habet Legislatorem doctum :

Disciplinis omnibus imbutum, juris utriusque peritissimum,

Nec jus aliis dicere, aut dictare leges poterat :

Nisi Spiritu Sapientiæ, & Scientiæ præditus.

Habet Legislatorem Canonicum, imò Canonici Ordinis Præpositum Generalem.

Bene alios regere novit Albertus : qui bene aliis subesse nôrat.

Canonem Carmelitanæ regulæ statuit :

In solitudine vacare religiosæ perfectioni.

Habet Legislatorem Sanctum, virtutibus omnibus coruscantem.

Fuit inter honores humilis, in carne Angelus,

Jugi precandi studio Deo conjunctissimus :

Sibi ereptus, semper in cælestia absorptus.

Zelusus Divini verbi præco, nil nisi Deum loquebatur :

Quo plenus erat.

Fuit pacis cultor, & dissidentium pacificator.

Jejuniis se afflixit, esurientium famem saturavit.

Profusus in pauperes, in se asper & durus.

Nec aliam condidit legem, ac ipse vixerit :

Scriptis regulam, virtutum omnium compendium.

Habet Legislatorem Episcopum : vicennio Ecclesiam Vercellensem rexit :

Gregem suum pastor bonus verbo & exemplo pavit.

Providum speculatorem decet esse legis Conditorum,

Talem sanxit Albertus : quâ omnibus affatim in Spiritu provisum esset.

Sic ex regula instructi sunt vivere Carmeli institutum Professi :

Ut austeri in cellis latitarent Eremitæ ;

Digni subinde : quibus virtutis suffragio sacræ tiaræ imponerentur.

Habet Legislatorem, Eliæ Zelo æstuantem.

Jura Ecclesiæ sibi concredita illibata fortiter defendit.

Placentinos & Parmenses, totam Longobardiam ad arma provocantes,

Ad pacem & concordiam suaviter reduxit.

Dissolutos Cleri & populi mores ad frugem revocavit.

XXXIX
 S. ALBERTUS PATRIARCHA
 HIEROSOLYMITANUS

Quod Elifæus quondam sibi à Magistro suo expetiit:
 Alberto concessum videtur; duplici Eliæ spiritu redundavit,
 Quo Carmeli regulam animavit.
 Habet Legislatorem Thaumaturgum: ut cælo acceptum, sic Stygi invisum.
 Quinque dæmoniis obsessam Principem Parmensem liberavit.
 Ad incestum reversam rursus maligni hospites invasere:
 Iterum pœnitentem energumenam ab immundis spiritibus absolvit.
 Inter signa, quibus claruit, maximum erat: scripsisse regulam;
 Cujus observantiâ portæ inferni contremiscunt, cæli januæ referantur,
 Tot Thaumaturgi fiunt, quot sanctæ legis custodes.
 Habet Legislatorem, à Pontificibus & Cæsaribus honoratum,
 Fridericus Ænobarbus, & Henricus filius Cæsares
 Romani Imperii Principem nominârunt.
 Urbanus III. Clemens III. Cælestinus III. singularibus privilegiis ornârunt.
 Honorari meruit Albertus à summis mundi induperatoribus:
 Etiam cum invitus honores, quos summè averfabatur, admitteret.
 Honorem Alberti in Carmeli regulam derivatam quis inficiabitur?
 Honores docet fugere, humilitatem sectari:
 Regibus quemque majorem fieri;
 Si depresso dominandi fastu sui imperium possideat.
 Habet Legislatorem Patriarcham Hierosolymitanum.
 Ut in sancta civitate, à Saracenis occupata,
 Afflictis Christianis consulere, opemque ferret:
 Pallio induit, Legatum Apostolicum creat Innocentius III.
 Næ ego Legislatoris calamum præ Pallio Patriarchæ veneror:
 Sacræ hoc quidem dignitatis insigne;
 Legem ille dictante Sanctissimo Spiritu scripsit: quæ sanctos facit.
 Habet denique Legislatorem Martyrem.
 In supplicatione publica Pontificio habitu indutus,
 Dei & virtutis vindex ab impio sicario percussus occubuit.
 En signatam pretioso Alberti sanguine regulam Carmeli!
 Quid legis religiosæ accurata observantia,
 Nisi jure, incruentum licet, martyrium?
 Nec decrant, quibus legem condidit,
 Quin postliminio plurimi Alberti cruenta legerent vestigia,
 Pro fide Christi purpurati Martyres.
 Sic quot prærogativis Legislator decoratus erat:
 Tot quoque nominibus honorata, & illustri evasit Carmeli Familia.
 Occidit Albertus Martyr die anniversaria,
 Qua solemnitas exaltatæ S. Crucis reolebatur.
 Nunquid tum exaltari Sanctus Legislator Sanctæ Regulæ,
 Sanctus Hierosolymarum Antistes in cælum meruit:
 Cùm Sacrosancti hujus mysterii festiva in terris memoria agebatur?



S. FRAN.





S. FRANCISCUS.

*Oraber, natus Assisius, Fratribus minoribus de suo nomine compellatis
tradidit regulam approbatam ab Innocentio III. Anno 1210. et rursus ab He-
norio III. Anno 1223. impressis sacris Christi signatibus decoratus A. 1224.
Pauper et humilis, coelum dives ingreditur 4. Octobr. Anno 1226.
aetat. 45.*

40.



S. FRANCISCUS.

Huc alate Seraphim! agè, pennam commoda:
 Crucifixi Regis tui olim imaginem indutus,
 Sacra Domini Stigmata Francisco inarasti;
 Nunc eidem Seraphicum pange Elogium.
 Ostenta orbi vivum Crucifixi Prototypi ECTYPON.
 Qui pro salute mundi nasciturus in præsepi Bethlemítico reclinari,
 Moriturus in Golgothæo colle Crucis affigi voluit;
 Conformari sibi statuit Franciscum;
 Natum Assisiis in stabulo: in Alverniæ monte crucifixum,
 Priusquam paupertatem Christi sectaretur:
 Mercaturam exercuit; dimisso temporali lucro,
 Immensum animarum quæstum facturus.
 Nondum Crucis initiatus, pauperes & infirmos, ut Christus, amavit.
 A pueritia Seraphica exæstuavit in Deum & proximum charitate.
 Vel audito Amoris Divini nomine totus exarsit:
 Mirum se toties in corde jubilum sentire confessus,
 Semel egeno stipem, quam petiit, negavit:
 Christo se negasse stipem ratus; pœnitentiâ ductus, abeuntem insequitur.
 Largo ære remuneratur, edito voto:
 Nulli deinceps pauperum eleemosynam se negaturum.
 Splendidum aliquando vestitum sibi detraxit, & lacernâ mendici permutavit.
 Ratum id Christus habuit: dormienti cæleste visum objicit;
 Palatium pulcherrimum pretiosis armis cruce insignitis ornatum exhibet.
Hæc tibi, inquiebat, tuisque debentur militibus: si sub cruce militaveritis.
 Hoc schemate Seraphici Ordinis institutum Divinus Morpheus effigiavit.
 Ut Christum aliquando in paupere veneraretur:
 Leprosi manum tenerimo affectu deosculabatur.
 Disparuit ulcerosus mendicus:
 Et Christo se dedisse basium Franciscus agnovit.
 Sæpe Christum vidit, nunc ut recens natum infantem amabilem:
 Nunc in Virgineo Matris gremio confidentem.
 Deliciabatur cum Francisco Divinus Pusio: suo cum JESULO Franciscus.
 Ut sibi mundum crucifigeret, & se mundo:
 Crucifixi formâ se Christus dedit Francisco spectandum.
 Nunquam deinceps Franciscus pendentem in Cruce Dominum inspexit:
 Quin Seraphici amoris lacrymis difflueret.
 Ne his lumen oculorum extingueret: sibi à fletu temperare jubetur.
 Ast indignabundus suadenti Medico reponit:
 Malle se oculis carere, quàm Amorem suum Crucifixum non intueri.
 Ut Crucifixo similior fieret: crucem rubeam humero impressam gessit.
 Vestibus se exuit, paternis bonis abdicavit:
 Nudum pauperemque Dei filium imitaturus.
 Paupertatem reginam virtutum omnium nominavit:
 Quam Rex Regum, Augusta cæli Regina tantopere adamârunt.
 Huic Fundamento Seraphicæ Familiæ suæ fabricam inædificavit,
 In finem usque mundi firmissimè perstituram.
 Paupertati junxit humilitatem, illius amore:
 Qui se ad mortem Crucis humiliavit.
 Ordini suo Fratrum Minorum nomen imposuit:
 Maximus dici meruit; vix ortus, mundum replevit universum.
 Bonis caret: Christianorum bonis dominatur, dum eleemosynis victitat.
 Paupertate sui Conditoris ditatus:
 Patrimoniis Christi locuples, nil habet, & omnia possidet.
 Quàm profunda, tam exaltata fuit Patris & filiorum humilitas:
 Cælo dedit innumeros Martyres, Doctores, Confessores, Virgines:
 In Ecclesia militante plurimos ad infulas,
 Ad Purpuratorum Patrum Senatam, ad ipsum Petri Solium evexit.

Peccatorum

S. FRANCISCUS

Peccatorum se maximum compellavit Franciscus,
Qui peccatores maximos ad Deum convertit.
Pro alienis peccatis sanguinem paratus fundere, & fudit:
Ut Agno Divino, in Cruce pro salute animarum immolato,
Se propitiationis holocaustum pro peccatoribus victimaret.
Ne Sacerdotio unquam initiaretur: vetuit humilitas;
Sacerdotes præ cælitibus honorandos dixit.
Indignum se censuit: qui Christi Corpus manibus contrectaret;
Dignum reperit Christus, qui se corpori Francisci imprimeret:
Ut Crucifixi Sacerdotis Summi fieret imago.
Regulam suis præscripsit, fallor: non scripsit;
Omnia in ea contenta Francisco Christus suggessit.
Ex libro vitæ descripta fuit: in qua elucet
Francisci idea Crucifixus; Crucifixi effigies Franciscus.
Quid de miraculis Francisci? maxima & plurima patravit,
Spectatissimum ipse Crucifixi miraculum.
Famem, sitim, nuditatem, convicia, verbera
Cum Christo, & pro Christo sustinuit.
Biennio à Deo quasi derelictus, mærore contabuit.
Alienis manibus Christus cædebatur: suis se cruentavit Franciscus.
Spinoso diademate Christum vidit redimitum:
Ipse ultro se denudatum in sentibus & vepribus volutavit.
Quinque demum Christi vulnera supererant:
His insignitus, Crucifixi Prototypi factus est Ectypum.
Ne oculorum ludibrium arbitrare, Lector:
Exue Franciscum cilicinâ cucullâ; & Christum spectabis:
Indue Francisci exuviis Christum; & Franciscum videbis.
Quâ gloriâ in cælo potiatur: è statione collige.
Locum Francisci sibi à Deo ostendi enixè nonnemo petiit:
Et lateri Christi insidentem, solisque instar refulgentem conspexit.
Assisii hodie dum sacrum Francisci corpus prodigioso situ servatur.
Semel illud videre licuit Nicolao IV. P. M.
Vidit in pedes erectum, non inclinatum, vividum, incorruptum,
Oculis apertis, in cælum sublatis.
Vidit anno post Francisci obitum vicesimo sexto
Sacra manuum, pedum, laterisque stigmata, sanguine manantia,
Ter felix Ordo Seraphicus! hoc cæteris præeminet:
Quòd Francisci Filii soli ter Christum habeant;
Semel in Christo, iterum in Francisco, rursus in se ipsis.
Ter habent Franciscum:
Semel in Francisco, iterum in Christo, tertium in se ipsis,
Cum Christo & Francisco Cruci confixi.




S. DC



S. DOMINICUS.

Hispanus, natus Calarogæ è nobili Guzmannorum familia. Ex Canonicò Regulari Fundator Ordinis P.P. Prædicatorum sub Regula S^t. Augustini, ab Honorio III. confirmati. A. 1216. instituit et Ordinem tertie Regule. Mortuus Bononiæ A. 1221. die 6. Augusti. Ætatis sue 51.

41.



S. DOMINICUS.

Vifus est mundo Dominicus, antequam ipse videret mundum.
 Filium raræ virtutis nasciturum oranti matri Cælitum quispiam indicavit.
 Gestans in utero Dominicum, eniti sibi videbatur catellum,

Ore faculam accensam gestantem,
 In lustrico fonte abluti fronte stella corusca spectata fuit.

Vagienti in cunis examen apum advolavit,
 In ore mellei pupuli mellificaturum.

Signa hæc cælica sanctitatem Dominici portendebant:
 Qui olim sui avi hæreticos, stygiósque laverniones allatraret,
 Dulci eloquentia corda hominum ad Deum attraheret,
 Fulgidissimo doctrinæ lumine mundum illustraret.

Quis sacræ Prædicatorum Familiæ Conditorem dignè celebret?
 Is solus prædicare potest: qui jam Sanctum è cælo præsignavit.
 Unum superest elogii genus: ut pro Dominico virtus laudetur.

Omnes possidet: laudentur in uno omnes.

Elogium Dominici sit virtutum omnium HYPOTIPOSIS.

Prima debentur charitati virtutum maximæ.

In Dominico charitas: Dominicus in charitate elucet, totus ipse charitas,

Hæc Deum corde complexus, ore prædicavit.

Condidit Ordinem Prædicatorum: qui nil nisi Deum prædicarent.

Imò Conditor Ordinis Deus erat:

Qui binos Apostolorum Principes ad Dominicum ablegavit.
 Petrus scipionem, librum obtulit Paulus, insignia Prædicationis.
 Uterque Dominico Dei nomine concionandi ministerium imposuit.

Facundum fecit Dei amor: disertè de Deo prædicavit;
 Centum millia hæreticorum ad orthodoxam fidem reduxit:

Innumeros è vitiorum cæno extraxit peccatores.

Mediis se ingessit ærumnis, his, ceu deliciis pasci visus.
 Nil charitati impossibile: ideo vel impossibilia in votis habuit.

Optabat: ut homines omnes, etiam lapides, ipsi damnati,
 Deum agnoscerent, & quem amaret ipse, amarent.

Deflevit amarè aliorum peccata:

Ut ipsi tandem sua delicta propriis lacrymis deflerent.

Corpus suum flagris concidit, dicere auditus:

Paratum se esse ad profundendum sanguinem omnem;
 Si vel unicum Dei offensam eo extingueret.

Martyr pro fide apud infideles occumbere gestiebat:
 Aureolam martyrii non à Tyranno, sed à charitate adeptus.

Mancipii instar in lytrum Mauris divendi voluit:

Ut viduæ filius è barbara servitute redimeretur.

De Deo, vel cum Deo semper locutus.

Sæpe inter preces è terra elevatus pendebat in aëre:

Fors terræ cælum invadebat, & ad se abripuisset;

Nisi adhuc Dominico mundus indignisset.

Nil unquam petiisse se à Deo fassus, quod non impetrasset:

Armatae erant preces Dominici, quibus expugnavit Omnipotentem.

Et quid dilectus dilecto suo negare posset?

Amicum Christus compellavit, morti proximum ad cælum evocans.

Sic amari à Deo meruit: qui sic Deum amavit.

Ut sic amaret, & amaretur: charitate se dignum fecit.

Virginitatem illibatam tumulo intulit.

Virgo ut viveret, & moreretur: tres hostes fugit, & fugiendos docuit:

Otium, feminarum familiaritatem, cibi potúsque intemperantiam,

Albigensium hæresis Galliam depasta Zelo Dominici interiit,

Tria erant errorum horum capita.

Christum Redemptorem, Corporis ejusdem in Eucharistia præsentiam,
 Immaculatum Deiparæ conceptum negabant.

L

Audi,

Audi, Lector, Sophistarum consequentiam, ne concesso antecedente cum iisdem sentias.

MARIA, ajebant Albigenfes, fuit in macula concepta:

Ergò Chriflus de ea natus, Chriflus non fuit.

Duos in fide errores, feveritatem in Virginem prodigio refutavit Dominicus.

Oppofita de Chrifto, & immaculata Dei Parente fenfa

Libello fuo contenta exhibet.

Hunc igni injicit: illæfum recipit; infremente Orco, cælo plaudente,

Nil fic post Deum amavit Dominicus, ut MARIAM.

Unum pietatis Marianæ monumentum fufficiat famigeratum.

Rofarii ufum in orbem invexit: his precatoriis globis docuit,

Cælum expugnari, animas defunctorum piacularibus flammis eximi.

Suasit Blanchæ improli Galliarum Regina:

Ut Deiparæ opem hac sacrâ corollâ imploraret.

Exaudita à Virgine regni hæredem fufcepit S. Ludovicum.

Humilitas Dominici tanta fuit, quanta fanctitas: utraque prodigiofa.

Tres mortuos fufcitavit: ne chaumaturgus promulgaretur;

Ad ultimum mundi angulum fe priùs fugiturum minitabatur.

Ambiebant infulæ Dominicum, non infulas Dominicus.

Tres oblatos Epifcopatus repudiavit: indignum fe iis dictitans,

Quem omnibus digniffimum profunda animi demiffio fecerat.

Eleemofynam oftiam mendicavit, oblatam flexis genibus fufcepit:

Grates offerenti retulit, quafi non ab homine, fed à Deo, eam accepiffet.

Virtutes Dominici cælum & homines fufpexere.

Vix in publico comparere aufus est: ne veftibus fpoliaretur.

Piam rapinam effe arbitrabatur populus:

Si mutilato ejus facro habitu malè coopertum domum remitteret.

Periiffet mundus: nifi mundi excidium virtus Dominici avertiffet.

Chrifto fulmina excuffuro vifa Deipara objicere Dominicum cum Francisco.

Placavit Filii iram Mater Mifericordiæ:

Dum duobus his perditis mundi reparatoribus vadimonium præftitit.

Virtute Dominici hodiedum orbis ftat:

Qui, cum Romæ Ordinis fui jaceret fundamenta,

Collabentem Laterani Ecclefiam fufcultare vifus est Innocentio III.

Quis virtutes Dominici affatim prædicet?

Nifi Prædicatorum facra Familia, paternarum virtutum hæres,

Ecclefie decus, columen, & ornamentum.

Alii Ordinum Conditores Ecclefie dedere Doctores:

Dominicus Thomam Doctorem Doctorum;

Illi dedere homines: ifte Angelum.

Numeret ftellas, qui volet, in firmamento:

Par illi labor; quifquis vocarit in numerum filios Dominici:

Qui post Sancti Patris in cælum abitum, virtute & fapientia

Ecclefiam Dei quinque jam feculis illustrarunt.






S. PETRUS NOLASCUS.

*Gallus, natus Reaudi, exhausto patrimonio in liberandos captivos e
servitute paganorum, se pro his in vincula volens suffici, cum S. Ray-
mundo de Pennafort, et Jacobo Rege Arragonie erexit ordinem B. V. de
Mercede, confirmatum A. 1235. à Gregorio IX. obiit. 25 Decemb. A. 1256. Æta. 59.*

42.



S. PETRUS NOLASCUS.

Novum misericordiae opus molita Dei Providentia
Per salutis humanae Mediaticem feliciter exequi visa est.

Qui in Virgineae Matris utero olim incarnatus,
Liberaturus hominem è servitute dæmonis in terras advenerat:
E Barbarorum captivitate fideles redimi voluit per MARIAM.

Petrum Nolascum Conditoem Deipara elegit:

Ut pro redimendis captivis sacer sibi Ordo erigeretur.
Perpetuitatem Marianae huic Familiae primo ab ortu licuit augurari:
Sub auspiciis MARLÆ nata est: Petro, ceu petræ firmissimæ, innixa.

Suum illi nomen MARIA dedit:

De Mercede Redemptionis dici iussit.

Petri Merces MARIA: MARLÆ MERCENARIUS Petrus.

Infantis adhuc dexteræ apes infederant,
Favum mellis felici omine construentes.

Mellificium hoc Petri munificentiam portendit:

Qui olim liberali manu tot miseris subveniret.

Jam puer vir misericordiarum appellari meruit.

Auroram, strato consurgens, prævenire, domo exire,

Primo occurrenti egeno stipem dare, in more habuit.

Celabat solem hoc charitatis opus: ne elemosynam proderet;

Quam absconditam, soli Deo cognitam esse voluit.

Nocte media Ecclesiam adire solebat:

Eorum se choro ut infereret,

Qui cum astris matutinis sacras Deo laudes concinebant.

Eximia corporis pollebat pulchritudine:

Hanc elegantior animi candor & integritas superabat.

Hymenæi tædas averfatus, castitatis amore exæstuans,

Perpetuam Deo vovit virginitatem.

Primum hoc erat homagium, quo se Virginum Virgini mercenarium obstrinxit,

Stipendia deinceps à Deipara meriturus,

MARIAM suam esse voluit mercedem.

Galliam Albigenfium hæresis depopulabatur:

Patriam ideo execratus in Hispaniam abiit, hæresim ut pestem fugit;

Ut afflictæ à Saracenis Hispaniæ succurreret:

Fœcundus novi Ordinis Parens futurus.

Ut hic conderetur: tribus se videndam dedit Deipara:

Jacobo Aragonum Regi, Raymundo de Pennafort, Petro Nolasco.

Ordinem redemptionis captivorum à Petro suscitari iussit:

Petrum à Rege subsidio; consilio à Raymundo juvari.

Felix discipulus, qui MARIAM nactus est Magistram:

Cui Mater Dei Filium suum Crucifixum in exemplum proposuit.

Voluit Petrum cum alumnis suis pro iisdem animabus,

Quas in cruce jugo diaboli Christus suo sanguine exemerat:

Se, sua omnia, vitam ipsam, si opus foret, immolare.

Ut crucem albam rubeo scuto insertam in pectore ferret, Christus imperavit.

Hac tessera Redemptionis Conditor initiandus erat.

Crux insigne Mercenarii MARLÆ esse debuit:

Quæ merces fuit æternæ salutis.

Divendito Patrimonio divite innumeros captivos Saracenis eripuit.

Si lytrum aliquando deficeret: voto se suosque devinxit;

Qui se se Barbaris in pignus offerrent.

Valentiam à Mauris occupatam Jacobus Rex obsederat:

Priusquam expugnaret: victoriæ vaticinium à Petro accepit,

Victori prælusit MARIA ostento cælesti.

Septem micantibus stellis illustratus est locus:

In quo defossam amœnissimam Deiparæ iconem.

Mira cælici odoris fragrantia prodidit.

XIII

S. PETRUS NOBILISSIMUS

Hæc Petri consilio eruta: in erecta Mariano honori basilica
 Aræ imposita hodiecum innumeris ibi claret miraculis:
 Ubi Veneri olim dicatum à gentilibus steterat odeum,
 Excitatum in eodem loco Ordinis cœnobium,
 A Conditrice nomen accepit S. MARIÆ de Mercede,
 Ut gratiam Matris Misericordiæ aucuparetur:
 Miseris succurrit, è Machometanorum vinculis Christianos liberavit.
 MARIAM amavit ut matrem: ut Dominae servivit,
 Ab eadem filius & Mercenarius auctoratus.
 Pusillanimum ob rei domesticæ angustias
 Augusta Dei Mater his verbis consolari audita est:
*Ne dubites, ajebat, Fili mi,
 Non de deseram in paupertate:
 Filio meo, mibique servias.*
 Felix mercenarius: cujus merces MARIA.
 Sic Christo, & Matri ejus servire: regnare est.
 Favorem Deiparæ toties sensit, quoties expetiit.
 Ad concionem dicturus, cum raucus esset:
 A Divini Verbi Matre sonoram vocem prodigiosè recepit.
 Forti MARIÆ subsidio Aulicorum invidiam,
 Maledicorum obloquia, hostium & demonum insidias superavit.
 Eidem amplificationem Ordinis retulit in acceptis,
 Cujus ope adjutus, regna & provincias plurimis cœnobiis,
 Cœnobia viris præstantissimis implevit.
 Sape vidit Angelos, & Angelorum Reginam.
 Videre hos meruit, qua exellebat, Petri Virginitas, Angelis cognata.
 Vidit Angelos habitu Ordinis conspicuos,
 Deo & Deiparæ laudes matutinas in choro psallentes.
 Deiparam vidit noctu conclavia cœnobia circummeuntem,
 Filios sibi dicatos sollicitè Matris instar protegentem.
 Flens mori voluit, ut illum imitaretur:
 Qui cum clamore valido, & lacrymis
 Consummato redemptionis humanæ opere exspiravit in Cruce.
 Lacrymans è valle lacrymarum ad gaudia æterna discessit,
 Cum suprema Davidici psalmi verba recitare audiret:
Redemptionem misit Dominus populo suo.
 Mercedem amplissimam pro instituto Redemptionis Ordine
 Servus bonus & fidelis à Domino recepit in cælis,
 Qui ejusdem Matris vixit in terris Mercenarius.



B. BON-



B. BONFILIUS CUM SEX SOCIIS.

etruscus, Florentiae arto Monaldiorum genere ortus, cum Sociis sex Nobilibus Florentibus, Bonajuncta Maneto, Amideo, Uggucione, Sosterico, et B. Alexio Falconerio Ordini Serrorum B. M. V. quem atro sub habitu, et S. Augustini regula Dei para calico ostento, et recatione instituit, A. 1255. initia fecit: confirmato à Benedicto XI. A. 1304. Primus Prior Generalis, et dictorum Septemvirorum Patriarcha, allapsa caelitus voce ad aeterna gaudia evocatus, sanctè obiit i. Jan. A. 1262.



[Faint, illegible text, likely a title or description of the illustration above.]

B. BONFILIUS cum SEX SOCIIS.

Florentissima Servorum **MARIÆ** Familia Florentiæ orta:
 Conditricem habuit, quæ Rosa Mystica, Florum Regina, Hortus Conclusus:
 Cujus Virgineus uterus Nazaræi Floris Paradisus.
 Natalem in terris sortita est: quo Dei Mater in cælum assumpta,
 Fausto mystici numeri omine, Virgo, septemplici S. Spiritûs gratiâ plena,
 Septem Florentinos Nobiles, ceu septem Flores sibi delegit:
 Lilia fuere caudentia, Flores Mariani;
 Totidem Deiparæ offerri cælico ostento vidit Divus Petrus,
 Illustrissimum Prædicatorum decus, purpuratus Christi Martyr.
 Septenis his Institutoribus suum nomen Virgo indidit:
MARIÆ Servos per ora infantium voluit promulgari.
 Pullum indumenti genus die Parasceves Familiæ suæ obtulit:
 Insignia Matris Dolorosæ, Filio suo compatientis.
 Ut augustiorem redderet: S. Augustini regulam servandam dedit.
 Falleris Lector, si de Magnæ Ancillæ Domini Servis Elogium expectes.
 Ipsa cælorum Augusta Domina: Servorum suorum Elogium est.
 Singulorum nomina, titulûmque Elogii damus: **SEPTEMVIRI MARIÆ.**
 Septemvirorum Patriarcha **BONFILIUS**, prognatus genere,
 Ex Angioninis Galliæ Principibus orto.
 Ut vocanti Deiparæ pareret: mundo, honorum titulis nuncium misit.
 Magistratum invitus admisit: invitis, quibus præerat, dimisit.
 Ordinem, & Fidem latè propagavit, **MARIÆ** fultus præsidio:
 Quæ cunctas hæreses interemit in universo mundo.
 Plurimos ab errorum tenebris ad lucem veritatis traduxit.
 Anathematizatos vinculis absolvit: novis innexuit; dum Servos Mariæ fecit.
 Calendis Januarii ad Dominam Servus transit, annos æternos auspicatorus,
 Florem hunc Marianum Paradiso illatum testata sunt
 Exanimis corporis fragrantia, vultus solis instar coruscans,
 Vox Matris cælo allapsa, Filium Bonum ad se evocantis.
BONA **JUNCTA** II. Ordinis Generalis: primus è Septemviris cælo adscriptus.
 Venenatum panem ab Usurario submissum cruce signavit:
 Dum innoxius sumit; funus paricidalis fœnerator concidit,
 Benefactorum memoriam suis efflictim commendavit:
 Sæpe pro iis inter suspiria & lacrymas Deum orare visus.
 Gratissimum Largitori bonorum omnium hunc gratitudinis censum esse ratus:
 Reddere gratias pro beneficiis, & gratiis nova beneficia fœnerari.
 Post finitam sacram liturgiam ministerii Mariani metam attigit.
 De Passionis Dominicæ mysteriis suos alloquens, expansis brachiis obiit:
 Ut in morte Crucifixo Dei Filio similis, ad regnantem in cælis abiret.
 Immortalitatis coronâ redimiri meruit:
 Qui in terris oblatas infulas respuit, admittere purpuram erubuit.
 Septemvirorum III. **MANETTUS**, clarissima Antellorum stirpe editus,
 Ordinis præfecturâ claruit: cui quarto loco Generalis præfuit.
 Illustrior, dum fascibus cessit: ut his humilitatem præferret.
 Thaumaturgum fecit humilitas: sacris operans, mutum, surdum, & claudum sanavit;
 Unico crucis signo vocem, auditum, & gressum ægroto contulit:
 E cujus prototypo salus omnium promanavit.
 Summâ in gubernio prudentiâ pollebat, *norma regendi dictus.*
 Sed facile est imperare Servis **MARIÆ**, qui ultrâ ad imperia currunt.
 In Gallia Verbum Dei disseminavit, & uberrimam animarum messem legit.
 Corporis infirmitatibus fractus, firmus, infractusque animo:
 Consumptus laboribus pro Ordine exantlatis; post itinera plurima,
 Æternitatis iter aggressus invictum Deo Spiritum reddidit.
AMIDEUS è Septemviris quartus dici debuit: ut **MARIÆ** Servus esset,
 Rectè Deum amare novit: quisquis Deiparenti novit servire.
 Amorem Dei nomine præfetulit: plus corde:
 Sæpe nudandum ei erat pectus, ut æstum temperaret:

XIX

B. BONIFILIUS cum SEX SOCIIS


Celare ignem non poterat, quo præcordia flagrabant.
 Ægris manus imposuit: & sanitatem reddidit,
 Ipse inter morbos suos patientiæ prodigium.
 Mortuo vitam restituit: suam jugi castigatione sibi penè eripuit.
 Vixit ut Seraphinus, & vivere desit: imò cum Seraphinis vivere cœpit,
 Ad Seraphinos assumptum fuisse mons Sanarius prodidit.
 Ardere sub mortem visus est, odorem suavissimum exhalans:
 Amorem Seraphicum ignis, sanctitatem Angelis supparem fragrantia indicavit.
 UGGUCIO, & SOSTENEUS gemini Septemviri sejungi non possunt,
 Quos mors conjunxit, dies & hora una cælo transmisit.
 Vicarius ille Generalis Germaniæ: hic Galliarum.
 Uterque expugnata hæresi fidem Orthodoxam propugnavit,
 Lucerna ille Theologiæ compellatus: hic ardens Mariophilus.
 Audit Sosteneum ipsa nuptiarum die de virginitate perorantem
 Donatus filius Comitis Bonafidis de Silva Consentini:
 Et relictâ sponsâ in familia Servorum MARIÆ se Virginum Virgini desponsavit.
 Abdicatâ præfecturâ uterque senio graves, cum Christo esse anhelantes,
 Sanarium repetunt: ibi vitam terminaturi; ubi Deo vivere cœperant.
 Angelorum voce ad quietem æternam evocati,
 Consummato Mariani Servitii cursu simul decesserunt.
 B. ALEXIUS FALCONERIUS Septemvirorum novissimus:
 Primus fuisset; nisi oblatum Ordinis magistratum repudiâisset,
 Alexius dictus: & Alexii Romani æmulator fuit.
 Generis nobilitati aureum Servi MARIÆ titulum præposuit.
 Laici forte contentus: indignum se ratus, qui ad aras consisteret;
 Dignus à morte inventus, cui aræ extruerentur.
 Pacem cum omnibus coluit: non secum; sensibus, quidquid arriserat, negavit.
 Non sat ei erat, sibi vilem esse: ab omnibus despici gestiebat;
 Tum genuinus MARIÆ Servus: cum humili Ancillæ Domini conformior.
 Moriens à Divino Pusione corollâ è floribus contextâ redimitus:
 Seculum integrum cum lustris duobus in terris emensus,
 Immarcescibili gloriæ diademate coronandus in cælum evolavit.
 Nunquid in nuce Iliadem tibi, Lector, exhibui:
 Cum uno Elogio Marianos Septemviros celebrari audiisti,
 Quorum singuli vel solo glorioso suo Nomine volumina implerent?
 Avaris chartæ limitibus piè mecum indignare.
 Extimo illius limbo suprema verba inarata sunt:
His Septem Columnis Ordo Servorum MARIÆ innixus;
Ab increata Sapientiæ Matre Florentiæ conditus,
Seculis quinque floruit, sapientiâ, & sanctitate toti orbi famigeratus:
Æternum staret, sine cariturus, nisi seculum finiretur.
In terris Servi MARIÆ esse desinent: cum desinent omnia;
Ut Materni regni cohæredes, æternum dominantur in calis.





S. PHILIPPUS BENITIUS.

Uetruscus, Florentiae illustri prosapia ortus, infans 5. mensium matrem allocutus: ut Serris S. M. V. elemosinam impertiret. In eundem Serrorum Ordinem à Deipara vocatus, quem per Europam et Asiam mirifice propagavit. Concionator Apostolicus à Clemente IV. Ordinis V. Generalis reluctans creatus, Oblatam Pontificiam thiarum repudiavit. Domo propheticæ, et miraculis conspicuus obiit 27. Aug. A. 1285. æt. 52.



S. PHILIPPUS BENITIUS.

Ne ex me scitère, Lector, quis hic Philippus?
 Ab ipso quære, qui ea ætate loqui cœpit, qua omnes silent.
 Griphum me tibi loqui autumas? falleris.
 Elogium Philippi lege: fallor; audi Philippum è cælo.
 Servi Mariani est PROSOPOPOEJA.
 Sterilem habui matrem, fertilem florum patriam.
 Natus Florentiæ in terrestri Sanctorum paradiso:
 In quo tot Sancti germinarunt ad cæleste topiarium transplantati.
 Lilio si me compares: non aberraveris.
 Flos hic virgineus Sponso Virginum, & Matri Virgini facer est.
 Illibatam virginitatem tumulo intuli: quæ nec inter cineres contabuit,
 Vix tibi natales meos recensui: & ad urnam provoco;
 Ut me virginem in morte fuisse scires, qui virgo natus sum.
 Nondum fasciis ligabar: & jam voto obstrictus eram;
 Lacrymis ac precibus parentum à Deo & Deipara impetratus.
 Ortum meum gravidæ Matri cælum præfagiit.
 Flammam sibi parere visa est: ut filius lucis essem;
 Beneficio illius in mundi lucem edendus: quæ Stella est Matutina.
 Benitiæ stirpis sum illustris palmes:
 Illustrior Familiæ Marianæ propago factus.
 Hæc profana genealogia mihi: nobilior sacra.
 Septem in spiritu habui patres: unam cum iisdem Matrem;
 MARIÆ Servos Septemviros, & MARIAM Ordinis Servorum Conditricem.
 MARIAM prius nominavi, quàm nomen meum dicere nõssem.
 Infans quinque mensum locutus sum, & quid loquerer, nescii.
 Rupi vincula linguæ, intellectu adhuc ligato.
 Intra Matris brachia vagiebam, & Matrem disertè monui:
 Ut Servis MARIÆ eleemosynam impertiret.
 Rationis adhuc inops, & jam in inopes munificus.
 Loquendi copiam dedit: qui linguas infantium disertas facit.
 Idem me adolescentem postliminio à cruce allocutus:
 Ut Servis Matris suæ me adlegerem.
 Bis MARIAM vidi, & quod Filius suasit, suadentem audivi.
 Utrique vocanti parui, Familiam Servorum MARIÆ amplexus:
 Ut Matris servus Filio, & Matri æternum famularer.
 Philosophiæ & Medicinæ laureâ insignito
 Præ Aristotele, & Galeno placuit studium virtutis.
 Solum Christum sapere saluberrimam censui esse Philosophiam.
 Sanare novi corpora: plus animabus curandis studui.
 A me ipso duxi initium: dum meum nihilum agnovi.
 Laicorum sortem in Ordine elegi, contemptis honorum insignibus:
 Ut quantò humilior, tantò verior Ancillæ Domini servus essem.
 E tirocinio humilitatis Tironum factus Magister,
 Docendo alios humilitatem, didici: & mansi tiro.
 Sacerdotio initiatus Majorum jussu, humilitati junxi obedientiam.
 Hæc reluctantem ad aras traxit:
 Ut voluntatem meam primam hostiam sacerdos idem, & victima immolarem.
 Eadem animi demissionem firmavit, ne in sacerdotio laicum exuerem.
 Annis pluribus Sanarii montis antrum incolui.
 Austerè corpus tractavi: ut Spiritu deliciarer.
 Una mentis voluptas erat in vulneribus Crucifixi commorari.
 Aspera multa pati volui: ut olim multa bene agerem.
 Diu in solitudine latui: ut me publico aptarem.
 Silui multum: ut rectè loquendi artem addiscerem.
 Concionator Apostolicus imperio Clementis IV. creatus,
 Tuba fui: per quam locutus est Spiritus Dei.
 Europam penè totam peragravi: sed angustior mihi erat;


In Asiam trajeci, ut barbaras gentes Christi jugo subjicerem.
Ut numerum Servorum **MARIÆ** augerem, Ordinem meum diffitis plagis invexi.
 Confraternitates Deiparæ sacras tertii Ordinis institui:
 Ut **MARIAM** plures filii tanquam Matrem amarent.
 Servorum habitum de manu mea suscepere
Rudolphus I. Romanorum Imperator, & **Augusta** Consors:
 Servus ille, hæc ancilla **MARIÆ** dici gestiære;
 Plus lacernâ Marianâ, quam purpurâ suâ gloriantes.
 Fugi miracula: & me miracula sequebantur.
Interulam meam, cum aliud non suppeteret, leproso largitus sum:
 Et indutum veste mea Deus à lepra mundavit.
 In eremo, quam incolui, è petra fontem elieui:
 Ubi olim in siti & fame vixi;
 Hodie saxum aquis scaturit: ne accolæ unquam sitirent.
 Ne in cathedram Petri eveherer: in latebras me abdidi.
Delitui ad montem Tuniatum: ne Septicollis Urbi præficerer.
 Placuit Deo hæc servi sui dimissio:
 Et beneficium duplex humilitati meæ rependit.
 Metu tiaræ Pontificiæ laborantem absolvit:
 Et balneis latibuli virtutem medicam sanandi morbos indidit.
Ut Pontificatum, Purpuratorum Patrum votis decretum, admitterem:
 Nequicquam me oravit **Ottobonus** Cardinalis;
 Eundem honorem olim oratori meo obventurum prædixi:
 Brevissimi tamen ævi fore Papam.
 Prophetam me Deus, **Ottobonum** Vicarium suum fecit.
 Sedit in folio Pontifex **Ottobonus**, dictus **Hadrianus V.**
 Quadragesimo post die jacuit in tumulo.
 Ne Ordo meus, sæva tempestate jactatus, aboleretur:
 Deiparæ me supplicem stiti; Deipara se mihi propitiam.
 Familiæ suæ nunquam antiquandæ incrementa Mater spondit:
 Vidi præcipiti morte sublato exterminii auctores,
 Video hodie dum Servos **MARIÆ** superstites.
 Multos cælo transmissi: hos ut sequerer, me cælum monuit.
Ut **MARIÆ** Servus, Crucifixum Filium Matris in morte amplexus sum.
 Hunc librum meum, cum viverem, appellare consuevi:
 Et morienti fuit liber vitæ.
 Ab unico hoc in carne abbreviato Verbo, in cruce descripto,
 Bene vivere, bene mori, bona omnia didici.
 Vivo nunc in cælis: nec in terris vivere desi;
 Ibi gloriosus, hic etiamnum omnibus beneficus:
 Cæcis visum, claudis gressum, indigis opem,
 Vitam mortuis, omnibus omnia è tumulo meo impertior.





S. SILVESTER ABBAS.

Picenus Auximi nobili genere ortus, Dei monitu à Jurisprudencia ad studia sacrarum literarum transfuit. Visò propinquè tetra funere commotus in eremum montis Tani secessit: ubi A. 1234. Congregationem Silvestrinorum sub regula et habitu à S. Benedicto sibi ostensis instituit, ab Innocentio IV. A. 1258. confirmatam. Miris prodigijs clarus obiit 26. Nov. A. 1267. etat. 90. 45.



S. SILVESTER ABBAS.

Cultum, politumque Silvestro debetur Elogium:
 Nil præter nomen, in eo silvestre; nec id incultum.
 Hoc ipso Sanctitati suæ prælusit:

Quod silvas, & nemora suo incolatu consecrabit,
 In patria mundo mortuus: in qua vivere cœpit.
 Natales habuit illustres:

Illustrior, cum moreretur; quam cum nasceretur.
 Nobilem nactus est melioris vitæ pædagogum,
 Mundo condito cœvum, Doctorum Doctorem,
 Sed surdum, mutum, & cæcum:

Cum MORTIS factus est DISCIPULUS.

Vidit exanime propinqui sui funus:

Nec vidit, quem novit; nec novit, quem vidit.

Propinquum heri formosum vidit, & novit:

Hodie non propinquum, sed propinqui deformis umbram,

Vidit è propinqui cadavere suam sibi propinquare mortem.

Mortuum elinguem sensit se alloqui:

Sed verbis, quæ corde, non aure audiuntur.

Audi Lector: quæ vivo mortuus tacite dixerit:

Quàm mihi nunc sum dissimilis: tam mihi eris simillimus.

Fui: quod es; eris, quod sum. Hodie mihi, cras tibi.

Mors aliàs Echo vitæ dicta: hic vita mortis fuit Echo.

Argumentum insolubile, & infallibile resumpsit Silvester:

In se retorquens, sic sibi ingeminat:

Quàm tibi nunc es dissimilis: tam tibi ero simillimus,

Fuisti: quod sum; ero, quod es. Hodie tibi, cras mihi.

Nec contra Dialecticam deliquit:

Ex antecedenti particulari legitimam pro se intulit consequentiam,

Novit dictum Apostoli: *Statutum est hominibus semel mori.*

Hominem se esse nequaquam ignoravit:

Ex duabus præmissis, unâ de fide: alterâ evidente,

In forma conspecti tetri cadaveris

Conclusionem fecit Theologicam: se funus fore.

Ne ergo exlegem vitam, quam mundus hætenus suasit, viveret:

Mori ante tempus; vitam novam, quam mors docuit, auspiciari voluit.

Vivorum fugit consortium: ne inter vivos mortis oblivisceretur.

In desertum se abdidit: ut mortem jugiter meditaretur.

Nec aptior animum virtutibus excolendi locus, solitudine.

Hic orationi vacavit: ut extra mundum Dei consuetudine frueretur.

Vigiliæ illi quies, jejunium cibus fuit.

Hæc nempe esca, hic somnus mortuorum.

Crudis herbis vesci solitus: omne aliud edulium sibi interdixit;

Ut, carne mortificata, pabulum vermibus post mortem subtraheret.

In Fani Montis eremo diu delituit: & profana esse desiit.

Divo Benedicto Sacram ibidem extruxit ædem,

Factus in Solitudine novæ religiosæ Familiæ Conditor.

Dicta Silvestrinorum ab Auctoris nomine:

Benedictina fuit ex regula & habitu à S. Benedicto extraditis.

Solitarios & mortuos filios educavit Parens mortuus, & solitarius.

Crucis signo maxima patravit prodigia:

Parebant hoc viso elementa mortuo; quæ in vivos militant.

Crux Silvestrum fecit Thaumaturgum:

Se ipsum Silvester mortuum, & crucifixum.

Nil mirum, Cruci Servatoris obsequi omnia:

Prima habes in Cruce vitæ immortalis incunabula,

Mortis jugulatae tumulum.

Cruce aquam in vinum vertit, saxum loco movit, leprosum mundavit.

M

Sensu

S. SILVESTER ABBAS

Sensu carentis imperia insensibilia sensere:
 Par erat, in virtute Crucis imperanti obtemperare.
 Lupum vivis mortuisque noxium animal cicuravit:
 Cædibus aliàs inhiantem, vigilem cellæ suæ habuit custodem;
 Sæpe homo homini lupus: hic fidelior homine servus
 Dei servo omnem ad nutum famulabatur.
 Virtuti infestus dæmon Silvestrum morti destinavit:
 Num mori possit; quem mortui instar vivere vidit, explorat,
 E sublimi præcipitem agit invidia Pater:
 Qui cum ipse in veritate non stetisset;
 Lapsu suo distantiam cæli & inferni dimensus fuit.
 Sed frustra in mortuum sæviit.
 Præsto adfuit Silvestro MARIA Mater viventium:
 Desperatam ex casu salutem attritis artibus reddidit.
 Nempe cum ceciderit justus: Cæli Domina supponit manum suam,
 Sic Stygii hostis elisit ausus,
 Quæ ejusdem veternosi serpentis caput
 Primo conceptus sui purissimi momento contrivit,
 Supremum mortis & inferni dominium post Filium adepta.
 Respiravit beneficio Deiparæ Silvester:
 Et quoad inter vivos spiravit, beneficium gratus recoluit.
 Hoc unum, cætera mortuus, vitæ superstitis edidit indicium:
 Quòd MARIAM ceu animæ suæ animam adamavit.
 A morte Deo vivere, & mundo mori didicit:
 A MARIA ad cælestem vitam aspirare edoctus,
 Auctorem vitæ à Virginea Matre accepit JESUM:
 Simeonis instar ulnis suis Divinum strinxit Pusionem.
 Felicior Simeone: hic mortali in carne passibilem Dei Filium;
 Ipse immortalem ad dexteram Patris confidentem amplexus.
 Nec senex implexum brachiis Infantem cælestem dimisisset:
 Nisi ad eundem in cælis regnantem transire anhelasset.
 His cæli deliciis in terra perfruitus,
 Cæli gaudia prægustans: terram nauseavit.
 Vitæ terminum attingit grandævus Mortis discipulus.
 Mortem læto vultu aspexit, quam semper ante oculos habuit.
 Dissolvi de corpore mortis, & esse cum Christo petiit:
 Diu ante mortem suâ sponte mortuus,
 Nonaginta annos in terris vixit
 Mortuo similis:
 Exacta longa ætate obiit:
 Ex Mortuo factus immortalis,
 Vivere cœpit in cælo secula aternitatis,





S. PETRUS DE MORONO.

*Italus, natus Aferniæ ex eremo montis Moroni in montem Magellum se
abdens; ibi instituit congregationem S. Damiani, confirmatam A. 1274. à
Gregorio X. quæ ipso sub Celestini V. nomine in Pontificatum execto Cele-
stinorum dicta: spontè abdicato Papatu, obiit 19. Maji A. C. 1296. ætatis 75.*

C. 2869d. exc.

46.



S. PETRUS de MORONO.

Difficile Elogii genus, uno præconio laudare
Nominibus plurimis Sanctum.

Priusquam Petrus Cælestinus diceretur: homo cælestis fuit.
Nec cælestis esse desit: postquam Cælestini nomen deposuit.

Ter Sanctus in triplici vitæ statu:

In solitudine, in Papatu, in vinculis.

Sanctus Eremita, Sanctus Pontifex, Sanctus captivus.

Ter Thaumaturgum fecit, maximis coruscantem miraculis

HUMILITAS PRODIGIOSA:

Latentem in eremo, sedentem in Cathedra Petri, compeditum in carcere.

Ex utero matris, religiosa quasi veste indutus, prodiit.

Pellicula parvulum obvolvens, cucullam referebat variegatam,

Albo nigroque colore Cælestinorum habitum indicabat:

Quo olim donandus erat Ordo à Petro nasciturus.

Primum hoc erat de nato Thaumaturgo sanctitatis prælagium.

Humilitati sexennis puer sacramentum dixit.

Matri crebrò ingeminabat: *se velle bonum servum Dei esse.*

Sic nempe Spiritus Dei, spirans: ubi vult,

Hanc tenello infanti Servitatem Domini inspirabat.

Miris cæli consolationibus prima in prætexta perfruitus:

Ea divinitus didicit, quæ abscondita à sapientibus, parvulis revelantur.

Psalterio addiscendo insudabat coram icone Crucifixi:

Cruci adstantes Virginem & Joannem sæpe ad se descendere vidit;

Secum psalmos amœnissimè decantare solitos.

Angelos in literis & moribus habuit pædagogos:

Insuper erratorum censores; siquid leve ætatis vitio commiserat.

Qualis olim futurus esset: mater cælesti ostento didicit.

Vidit filium pro grege candidarum ovium excubantem.

Turbata mulier ob vilem filii conditionem ingemuit:

Sed mox afflictum parentis suæ animum serenavit Petrus;

Cùm Divino afflatus Spiritu, adhuc puer, & jam Propheta:

Multarum se animarum pastorem fore matri prædixit.

Eremum subinde petiit, & in fossa subterranea triennio humilitatis posuit tirocinium

Nunquam alta sapuit: excelsa tamen montium sectabatur.

Diversis in speluncis & cryptis delituit:

Ubi corpus jejuniis, summa austeræ vitæ asperitate humiliabat,

Animum cælestium contemplatione ad Deum usque exaltabat.

Solitudinem amavit, & aliis amorem solitudinis instillavit.

Brevi tot instituti sui numeravit sequaces:

Ut iisdem triginta sex cœnobia prodigiôsæ humilitatis Magister impleret,

Binis in montibus Murono & Magello incultam eremum incoluit,

Utramque stationem incolatu suo sacravit:

Septicollis olim in Urbe Sanctissimi nomine insigniendus.

Sacerdotio initiatus, indignum se tractandis sacris mysteriis judicavit.

Ut sacrificio Missæ abstineret: profunda suasit humilitas.

Dignum Deus declaravit: quem summo Pontificio destinavit;

Signis cælicis monitum sacrificare jussit.

Placuit Numini hæc animi demissio: & Petrum fecit thaumaturgum,

Nullum morbi genus erat: quod virtute sua non fugasset.

Vasa vacua vino & oleo replevit, panes multiplicavit.

Immundos de energumenum corporibus ejecit Spiritus.

Plures à morte ad vitam revocavit.

Columbæ indicio, triennio sibi suisque familiaris, monitus,

Honori Divinissimi Spiritus extruxit odeum.

Locum divinitus consecrari suis conspexit oculis.

Vidit sacris ad aram operantem Divum Joannem Evangelistam:

Vidit Christum cum Virginea Matre, & Cælitum corona

IV

S. PETRUS DE MONTANA

Dedicationis munus persolvere, loco benedictionem impertiri.
 Vidit tres Angelos Ecclesiam circumeuntes, audiit eas voces concinentes:
Quod factum est, consecratum est, testimonio Angeli confirmatum est.
 His signis illustrata Petri humilitas amplius honorari meruit.
 Nicolao IV. P. M. defuncto subrogatur: ut Solium Petri conscenderet;
 Non tam Patrum suffragiis, & precibus: quam vi, minisque adigendus erat.
 Cælestini nomen assumpsit: semper cælo vivere affuetus.
 Suos discipulos Cælestinos dici voluit, & homines esse cælestes.
 Pontificium sic admisit: ut rigorem vitæ non dimiserit;
 Prius Pontificem depositurus, quam Eremitam.
 Ex eremo ad Vaticanum translatus, in aulam eremum transtulit,
 Ligneam angustamque cellam in augusta aula inhabitavit.
 Quanto altior: tanto humilior; vixit inter turbas solitarius,
 Inter divitias pauper, in palatio Eremita, & Sanctus Pontifex.
 Sex mensibus ad clavum Ecclesiæ sedit.
 Plura Pontifex obstupescenda patravit miracula:
 Quam Pontificii sui dies numeraret.
 Omnium maximum fuit Cælestini humilitas:
 Hanc clavibus Petri præposuit, Papatu se abdicavit.
 Dimisso supremo Magistratu veterem repetit solitudinem,
 Pro eremo in carcerem rapitur: castro Fumonis includitur.
 Nempe ut prodigiosior esset Petri humilitas, vinciri debuit Petrus.
 Idem inter vincula mansit thaumaturgus.
 Prodigii Petrum vel tum inclarescere voluit Deus:
 Ne victus obscuro in carcere latitaret,
 Coronanda demum erat Petri humilitas,
 Qui repudiato tiaræ Pontificiæ honore compedibus onerabatur.
 Cæleste diadema debebatur Cælestino:
 Quod virtutibus suis tot inter ærumnas sibi fabricavit.
 Defuit Petro persecutoris gladius: nec tamen Martyrii palmam amisit.
 Martyrem se fecit spontanea vitæ austeritate:
 Martyri supparem fecit squalor arctissimæ custodiæ,
 Martyrem declarasse Deus ipse videtur.
 Ipso beatissimi obitus die
 Ante conclave Petri in aëre pendens crux aurea visa est:
 Patientiæ invictæ insigne, & amplissimum humilitatis præmium.
 Miraculis in mundo refulsit Petrus:
 Novis è cælo editis prodigiis regnare se cum Christo contestatus est,
 Ideo septimo decimo à morte anno Sanctorum fastis adscriptus,
 Sic honorari meruit prodigiosa Petri humilitas,
 In terris adorata, in cælis coronata,





TOBIAS.

Congregationi Fratrum Laicorum, qui à patrocinio S. Alexii Alexiani, à cellis suis Cellitæ vocantur, mortuis, furiosis, et pestiferis inferrentium initium dedit A. 1300. Jussu Pii II. religiosi votis se A. 1461 obstrinxerunt Mechliniæ. Iisdem Sixtus IV. regulam S. Augustini servandam tradidit, variâque privilegia contulit, quæ Julius II. et Urbanus VIII. confirmarunt.



XLVII,
TOBIAS.

Censorem te, Lector, hoc anomalum Elogium expectat,
Discordat ab omnibus, & cum omnibus concordat.
Silet de Conditor: & institutum Conditoris dilaudat.
Imò disertissimè instituti Auctorem celebrat:
Dum opera illius commemorat;
De cujus genere, patria, natalibus, obitu omnia ignorantur.
Penè anonymum laudaret, nisi nomen Tobiae innotuisset.
Num Tobias dictus sit, incertum: id certum, quòd Tobias fuerit;
Quem Ninivico Tobiae charitas fecit similem.
Quis fuerit: nescitur; scitur, quid fecerit.
Institutor fuit Fratrum Laicorum in Belgio & Germania,
Qui se mortuorum, furiosorum, & pestiferorum obsequiis dicarent.
Fuit mundo ignotus, Deo intimè cognitus.
Nec dubium, nomen Tobiae libro vitæ insertum fuisse:
Qui totus erat VIR MISERICORDIARUM.
Parallelum Tobiam dicerem Sancti Patriarchæ sui cognominis:
Nisi hic ad tempus cæcus: ille semper oculatus fuisset.
Oculatum esse voluit charitas: ut miseris nunquam non prospiceret;
Cæterà Tobias Tobiae simillimus.
Eadem uterque exercuit opera misericordiæ:
Uterque famentes pascebat, afflictos solabatur,
Nudos vestiebat, mortuos sepeliebat.
Ex condita Familia Institutoris celsitudinem metiri licebit.
Laicorum Congregationem instituit:
Ut humilia derelictis obsequia impenderet,
Humilem parentem filii humiles imitarentur.
Voluit abstinere sacris, quos gratiâ suâ unxit, sibi que Spiritus S. consecravit.
Nullis votis ultra sesqui seculum obstricti erant:
Ante vota se totos ministerio calamitosorum devoverunt.
Centum septuaginta annos sine regula vixerunt:
Et legem charitatis ad amissim observârunt.
Ab emissis votis religiosi, regulares facti à regula S. Augustini:
Id esse cœperunt, quod semper fuere.
Præceperat suis Tobias: ut humanis mortuis operam suam addicerent.
Voluit curari corpora defunctorum:
Ut suæmet animæ singuli consulerent jugi inter cadavera mortis memoria.
Ne à terribilium omnium terribilissimo abhorrerent,
Aut ipsi aliquando mori timerent:
Otium omne & negotium cum mortuis habere jussit.
Arduum alterum obsequii genus suis imposuit:
Quo ampliùs in magis calamitosos suorum misericordia eluceret.
Ministrare voluit infaniâ furentibus.
Quæ major homini calamitas: ac nobiliori sui parte carere?
Emoti cerebri homo, non homo: sed hominis simulacrum.
Acerbius mentis est deliquium: quàm corporis.
Durius morte dementiae malum:
Hoc vivo in corpore animæ est cadaver;
Cadaver illud corporis exanime, & innoxium.
Nec à feris amentes differunt: nisi quòd illis sæviùs ferociant.
Naturæ timore ingenito quisque mortuos horret:
Infaniâ rabidos plùs fugit ratione præditus,
Cicurari citiùs fera animantia ars coëgit:
Rariùs vesaniâ correpti domari possunt.
Tantò igitur major misericordia: quantò ampliùs miseris erogata,
Tertium miserorum genus suis curandum præscripsit,
Qui lue epidemica affecti mortem inter viscera gestant:
Aliisque vel levi oris halitu mortem afflant.

T O B I A S


Heroicæ charitatis argumentum: sic morituris inservire;
 Ut vel peste infectum minister morti eripiat:
 Vel pro eo, & cum eo eundem in tumulum concidat.
 Sic nempe viri misericordiarum mortis pericula non sentiunt.
 Imperterritos facit proximi amor:
 Ut vel morti ultrò se se objiciant,
 Ipsi sæpius mortem fugant:
 Et ideo mortem non fugiunt.
 Incruenti martyrii genus nemo esse inficiabitur:
 Semet Deo pro salute proximi victimam charitatis immolare.
 Hic vitæ tenor Sociorum Tobiaë fuit:
 Ut vitæ suæ essent prodigi; & alienæ consulerent,
 Sic ille suos vivere voluit:
 Ut in momenta singula vitam suam pro aliis ponerent.
 Ideo totum eorum commercium cum mortuis & morituris:
 Ut suæ vitæ immemores,
 Se semper morti crederent obnoxios.
 Duplex in Germania nomen adepti sunt,
 In nominibus Germaniam habebant:
 Plurimis honorum titulis digni;
 Quos ob Germaniæ data beneficia promerebantur.
 Cellitæ dicti sunt à cellis, quas incolebant:
 In his cælo intenti, humilésque latitabant;
 Nisi Zelus miseris opitulandi in publicum evocaret.
 Alexiani nominabantur à cultu, & imitatione Divi Alexii.
 Syriæ iste Xenodochia pietatis suæ obsequiis:
 Illi Germaniæ Belgique nosocomia charitate sua illustrârunt.
 Hoc misericordiæ studium remunerati sunt
 Amplis privilegiis, Ordini indultis, Romani Pontifices,
 Amplissimam meruit mercedem
 Charitas non mercenaria, gratuitò indigis collata.
 Quod præmium in cælo Tobias receperit: ne quære.
 Misericordiam Deus misericordibus pollicitus est.
 Coronam justitiæ Viro misericordi
 Pater reddidit misericordiarum.
 Christo ministravit in terris:
 Ad Christum sublimârunt ministeria charitatis Christi ministrum.
 Da veniam, Lector, anomalo Elogio.
 Institutum Tobiaë, non Tobiam celebravimus,
 Nihil de Tobia diximus: affatim tamen laudavimus;
 Cùm Virum diximus Misericordiarum.





S. NICOLAUS TOLENTINAS.

*Picenus, natus in oppido S. Angeli, ex Canonico S. Salvatoris institutum
 I. E. Eremitarum S. Augustini amplexus, Ordinem suum virtutibus omni-
 bus, propriis mirâ abſtinentiâ, et corporis afflictatione illustravit, Au-
 gustiniane Regule Aſſertor, prodigiis maximis à Deo decoratus, obiit To-
 lentini coenobii longærus incolæ, à quo nomen traxit, die 10. Sept. A. 1306.*



Faint, illegible text or a signature located below the central frame.

S. NICOLAUS TOLENTINAS.

Felici omine Piceno oppido nomen S. Angeli inditum;
 A cunis Nicolai tum sic dici meruit;
 Cùm incarnati hujus Angeli natale solum fieret,
 E cælo in terras delapsum Nicolaum nemo dubitavit.
 Parentum precibus à Deo exoratus fuit,
Voto ad Divum Nicolaum Angelicum Antistitem nuncupato impetratus.
 Stitère se voti reos parentes ad Sancti Præsulis tumulum;
 Et Orantibus è cælo attractus se stitit Nicolaus.
Vaticinium de filii nascituri sanctitate attoniti excipiunt:
 Sanctus sanctum æmulatorem suum fore prædixit.
 Ideo suo de nomine Nicolaum dici jussit:
 Ut ejusdem nominis hæres, & virtutis esset sectator.
 Nondum nato clienti suo Elogium concinnavit:
 Ne posteris labor incumberet;
 Quo encomio Nicolaum celebrarent.
 Paucis multa de eo dixit:
 Dum talem, qualis futurus erat, compellaret:
POENITENTIÆ SPECULUM.
 Sed quid pœnitentiâ Angelo opus,
 Qui nil unquam egit pœnitendum?
Fors ideo pœnitentiæ deditus esse debuit: ut esset Angelus;
 Aut ne aliquid aliquando ageret,
 Quod pœnitentiâ expiandum foret.
 Vide Nicolaum in icone:
 Angelorum Regem è Cruce pendulum intuetur;
 Et, quot vulnera in Redemptore suo conspiciatur:
 Tot sibi stimulos pœnitentiæ indi sentit.
 Sic nempe Crucifixus Nicolai erat speculum:
Ut aliis se visendum daret Nicolaus speculum pœnitentiæ.
 Prima in pueritia Deo jugi oratione familiaris factus,
 Christum corporeis oculis usurpare promeruit.
 Hinc Christi amore exarsit:
 Perenne cum Cruce amicitiaæ fœdus,
 Secum odium sancivit internecinum.
 A tenera ætate jejuniis innutritus,
 Ut citò pœnitentiæ assuesceret:
Ter in hebdomade septennis adhuc puer jejunavit,
 Divum suum cognominem strenuè æmulatus:
 Qui infans toties à nutricis lacte abstinuit.
 Adultus abstinentiam auxit:
 Tot dies penè jejunii habuit, quot dies hebdomas numerat,
 Esu carniùm, piscium, ovorum, lacticiniorum, fructuum
 Omni dein vita, vel infirmus, sibi interdixit.
 Ne quære: quo edulio reliquo vitam sustentârit?
Pœnitentiùm cibo victitavit: vel nullo; vel stricto jejunio.
 Abstinentiæ perpes orandi studium conjunxit.
 Noctes totas vel corpus cædendo, vel precando insumpsit.
 Ne dormiens à pœnitentiâ minimùm remitteret;
 Duro in strato brevissimum somnum carpebat.
 Hic tenor vivendi erat Nicolao:
Sic annos triginta Cœnobiùm Tolentinum pœnitens incoluit.
 Audiit semel sacro ex umbone declamantem
 E Divi Augustini familia Divini verbi præconem;
 Sat erant auribus allapsa paucula illa verba:
Nolite diligere mundum;
 Ab homine prolatas voces excepit:
 Sed cordi hæserant; & vocantem Deum sensit.

Ut

S. NICOLAUS TOLENTINUS

Ut mundum desereret: desertum extra mundum quæsit:
 Et in eremo Divi Augustini invenit.
 Regulari ejusdem Eremitarum Ordini nomen dedit.
 Ut ad mentem Sanctissimi Parentis sui viveret:
 Regulam Magni Legislatoris in se & aliis assertam voluit.
 Ne degener à Patre semper pœnitente videretur filius:
 Omnibus se illustrissimum pœnitentiæ speculum objecit.
 Invisum hoc orco erat pœnitentiæ insolitæ genus.
 Oratione & jejunio totum in se concitavit Nicolaus infernum:
 Iisdem tamen armis hostem inermem reddidit, & debellavit.
 Sæpe à dæmone crudeliter vapulavit:
 Cùm ante Crucis simulacrum contemplationi vacaret.
 Sensit verbera in corpore: in quod ipse desævire solebat.
 Sed dulce erat pro Dei gloria verberari:
 Patiendo Crucifixo Regi dolorum conformari.
 Validè aliquando ab infernali genio in terram dejectus:
 Dei quidem virtute roboratus assurrexit;
 Claudus tamen per omnem vitam permanfit.
 Nunquam rectiùs ambulavit:
 Quàm dum sic claudicando pœnitentiæ stadium decurrens,
 Ad cæleste bravium contendit.
 Imbellem se & devictum ingemuit Stygius hostis:
 Incassum à pœnitentiæ studio Nicolaum dimovere voluit;
 Qui pœnitentiæ opera vel ideo odit:
 Quòd ipse spe omni pœnitentiæ & veniæ æternùm exciderit.
 Quàm immitis in se, tam benignus in vivos & defunctos extitit.
 Animarum in piacularibus flammis pœnas vidit:
 Et eodem se igne, miseris compassus, uri credidit.
 Opem indigæ à Nicolao postulabant:
 Et indigis opem tulit: dum opera pœnitentiæ in se cumulavit.
 Plurimas cælo transmisit: quas olim secuturus erat;
 Sibi & illis eandem gloriam iisdem pœnitentiæ exercitiis promeritus.
 Mercedem suam cælestem adhuc in terris intellexit.
 Semper Angelis chara pœnitentia, semper Angeli pœnitentium amici:
 Sex ante obitum mensibus quotidie Angelorum cantus audit.
 Pœnitentiæ hic plausus rigidæ debebatur.
 Vitam totam amaras inter lacrymas pœnitens transegit:
 In morte ridere, & lætitiâ gestire visus est.
 Vidit Christum, Matri suæ Virginæ, & Divo Augustino innixum:
 Servus bonus à Domino compellatus, ad æterna gaudia invitatus.
 Crucifixum ergo supremùm amplexus, & dissuavians:
 Ad Angelos, & capeffendam coronam pœnitentibus debitam abiit.



B. RO-



B. ROBERTUS SALENTINUS.

Apruntinus, Salensi in oppido Regni Neapolitani piissimis parentibus natus, S. Petri de Morono discipulus, Ordinem Coelestinorum ample- xus, assumptum in initio conversionis suae rigorem austeræ vitæ nun- quam dimisit. Cella angustæ inclusus vixit annos 12. Religiosam Famili- am suam erectis 14. monasteriis, et 7. xenodochiis mirè propagavit. Mul- tis miraculis à Deo ornatus obiit 18. Jul. A. 1341. æt. 69.

49



B. ROBERTUS SALENTINUS.

Ut terram sibi Robertus in cælum verteret:
 Cælestem in mundo vitam vixit, Cælestinorum Ordinem ingressus,
 Crucem, quæ cæli arrha est, à pueritia amplexus,
 Factus CRUCIS AMASIUS.
 Roberti sculptum eçtypon, viva amoris est effigies.
 Crucem oculis intuetur: ibi nempe oculus; ubi amor.
 Amare se Crucem corde flagranti contestatur.
 Ardet: & clavis transfixum est; ut amorem suum firmaret.
 Emblema in eo habes austeræ vitæ, quam Crucis amore vixit.
 Cordi suo Crucem infixit, se Cruci:
 Ut Christum Crucifixum Crucifixus ipse in corde gestaret.
 Sanctis piissimisque parentibus ortus,
 Sanguinis & pietatis utriusque hæres.
 Sanctum sibi nasciturum filium mater prænovit:
 Eniti se vidit sphæram, quæ totum orbem cingeret.
 Excellentiæ & sanctitatis hoc fuit prælagium:
 Quâ mundum olim Robertus impleturus erat.
 Si cui virtutis magnitudinem, quâ pollebat, metiri libeat,
 Decempeda Crux erit:
 Et Crucem, & virtutem Roberti mundo majorem reperiet.
 Nondum ephebos egressus, virili claruit pietate.
 Inimico clam gravem injuriam inferenti
 Palam in templo pacis osculum detulit.
 Minus Crucem amasset: si non inimicum propter Crucem amasset.
 Hac ex ara propitiationis ab eo inimicos diligere didicit:
 Qui inter Crucis amplexus Patrem oravit pro Crucifixoribus.
 Crucem ligneam nudo pectori appensam jugiter gestavit:
 Ut Thesaurum suum cordi semper proximum haberet,
 Quid non audet amor? mira & dira.
 In se sevit: dilecti causâ etiam in furorem vertitur.
 Sæpe nullum inter amantem & amentem discrimen.
 Bifurca arbor Crucis formam exhibens,
 Roberti equuleus, & catasta fuit.
 De hac quotidie Crucifixi instar liber & vinculus pependit,
 Corpore toto per aërem pendulo: brachiis expansis intra funes immixtis.
 Lacrymis tum oculi, sudore membra omnia diffluebant.
 Has nempe amoris undas ignis corde latitans eliquabat.
 Furor ne hic, an amor fuit? & amor, & furor:
 Eadem pietas Robertum amare, & insanire,
 Idem Crucis amor amantem fecit, & sanctè amentem.
 Sic Crucis amasus suismet in omnibus esse solet tyrannus.
 Amoris immensitatem rursus cibi potusque parsimonia indicat.
 Sitim aquâ, pane famem non sedavit: sed irritavit.
 Utroque usus in numero, pondere, & mensura exili.
 Vidit aliquando in mentis excessu Christum cum discipulis cœnantem,
 Panem singulis, qui octo uncias appendebat,
 Pauxillum frigidæ pro haustu porrigentem.
 Hanc victus sui ideam, à cælesti promocondo exhibitam,
 Omni deinde vita observavit.
 A vitæ auctore didicit: servandæ vitæ sufficere modicum;
 Paucis naturam contentam: multis vel onerari, vel extingui;
 Escam corpori subtrahendam: ut spiritus invalescat.
 Cellam angustam annos duodecim solitarius incoluit:
 Deo soli vacanti brevis mora cum dilecto visa est.
 Petro Cælestino individuus comes adhæsit:
 Vaticanæ tamen aulæ cellam suam præposuit.
 Ejectum ad Pontificium solium sequi noluit:

N


Uc

B. ROBERTUS SALENTINUS

Ut in cella cum Cruce sua deliciaretur.
 Suspexit in discipulo Crucis amorem Petrus :
 Et sanctum Sanctus appellavit.
 Mortalitate exutum, candida immortalitatis indutum stolâ,
 Eâ, quâ obiit, horâ in cælum ascendere vidit Petrum.
 Viam cæli, quæ Crux est, Magister præmonstravit;
 Quâ præcedentem discipulus olim sequeretur.
 Quingenties diebus singulis Deum genu flexus adoravit.
 Consule, Lector, arithmeticam:
 Horas diei quater fenas, horarum quadrantes nonaginta sex computa;
 Et Roberti vitam, vel perpetem orationem:
 Vel oratione diem fatebere fuisse brevior.
 Hæc Crucis amantium exercitatio solita est:
 Corpus omni afflictionum genere crucifigere,
 Animam jugi precandi studio unire Deo.
 Placere hæc pietas Roberti cælo visa est:
 Audiit in mentis raptu hunc Crucis amorem
 A Christo in Cælitum corona facundè dilaudari.
 Ne ergo se Deus beneficiis à Roberto vinci pateretur:
 Robertum donis plurimis remuneratus,
 Cælestinae Familiæ Propagatorem, & prodigiorum fecit Thaumaturgum.
 Complura erexit cœnobîa, & nosocomia:
 Nec se horum Fundatorem agnovit: sed Deum;
 Qui opem tulit, bonorum omnium Largitorem.
 Basilicam cum Monasterio S. Crucis condidit:
 Ut perenne amoris sui extaret monumentum.
 Eadem hic Crucis amans edidit prodigia,
 Quæ olim Crux ipsa Servatoris patravit miracula.
 Crucis signo ægris salutem, mortuis vitam reddidit.
 Nil amanti difficile: *fortis, ut mors, dilectio.*
 Omnia morti & amori cedunt: mors ipsa amori.
 Crucis amori immortalis Robertus, de morte triumphavit.
 Nec alio morbi, mortisque genere obiit: quàm æstu amoris.
 Mors mundo eripuit Robertum: amor cælo intulit.
 Post dulcissimos amatae Crucis amplexus,
 Crucem expansis brachiis effigians exspiravit.
 Agè Lector, & cordi tuo Crucem fige.
 Hic solus amor Zelotypus non est: corrivales admittit.
 Vis olim in cælo conjungi Roberto:
 Crucis esto in terris amans.
 Crux triumphale erit essedum:
 Quo in cælestem gloriam inveharis.



S. BE







S. BERNARDUS PTOLOMEUS.

*Iuscus, ex illustri Ptolomeorum gente Senis natus. Jurium et Philosophiæ
Doctor, amissum oculorum lumen voto ad Desiparam edito recepit. Mox in
eremum secessit. Orationi vacans scalam in coelum extensam, ascendentes
in ea alba veste indutos Monachos vidit, quo viso monitus Congregationem
S. Marice Montis Oliveti instituit: approbatam à Joanne XXI. A. 1319.
à Gregorio XI. confirmatam A. 1371. In obsequio peste affectorum eadem
lue afflatus, sancte obiit 24. Aug. A. 1548.*

50



S. BERNARDUS PTOLOMEUS.

MARIA auspice, cujus nomen oleum effusum,
 Novus Ordo Marianus, Deiparæ facer,
 In Senensi Oliveti monte germinare cœpit.
 Ut perpetim vireret: inter oleas nasci, & adolescere debuit.
 Insignia puritatis virginæ, candidam vestem à Virgine matre accepit,
 Ut à Deo benediceretur: Divi Benedicti regulam profiteri jussus est.
 Ab oliveto illi nomen datum: ut oleæ mysteria in se exprimeret.
 Conditorum habuit Bernardum Ptolomeum:
 Quem symbolico illustramus Elogio, mutuatis ex Ecclesiastico verbis:
 QUASI OLIVA SPECIOSA.
 Oleam à Pallade inventam,
 Scientiarum, pacis, ac belli Deam esse Palladem: Poëtarum commentum.
 Nequaquam tamen fabulis accensendum:
 Oleam scientiarum, pacis, bellique tesseram esse.
 Pretium oleæ ex fructu conjice.
 Oleo sacerdotes, & Reges unguuntur.
 Nec in vanum Minervæ gentiles oleam consecrârunt:
 Prognata illa ex Jovis cerebro gratis fingitur;
 Digni oleâ redimiri vertices: qui se artium Præsidi desponsant.
 Speciosum est nasci nobilem: pulchrius; scientiis nobilitari.
 Satis nobilem dico Bernardum: dum Ptolomeum nomino.
 Qui Ptolomeos nescit: illustres Tusciæ profapias ignorat;
 Has probè callet: quisquis genus Ptolomeorum novit.
 Senis natus: ab incunabulis collactaneus virtutis,
 Palladi prima in prætexta subarrhatus.
 In patria liberales artes, severioresque disciplinas didicit:
 Mox ipse patriam ingenio suo replevit.
 Jurisprudentiâ publico in Lyceo discipulos imbuit:
 Dum alios, cuique, quod suum est, dare docuit;
 Divino fato, ut se ipsum Deo daret, edocetur.
 Ut à justitiæ tramite nunquam deflecteret:
 Cùm sacras, profanasque leges servandas aliis exponeret;
 Cæcitate repentina percutitur.
 Fors ne scientiâ inflati mentis oculi creparent: visum corporis amisit.
 Multum animo hac in nocte vidit.
 Agnovit cæcus inanissimam mundi vanitatem,
 Quam apertis oculis agnoscere noluit.
 Nunquam oculatior, quàm in hac caligine:
 Cùm cælitus illustratus clarè intueretur;
 Omnem mundi hujus sapientiam, stultitiam esse coram Deo.
 Mundo ergo nuncium mittere, scientiam Sanctorum sectari,
 A profana ad sacratiorem Palladem transire statuit.
 Vix votum Deiparæ nuncupat:
 Sospitam sensit Sapientiæ increatæ & Misericordiæ Matrem,
 MARIE beneficio lumen oculorum extemplo recipit.
 Ex noctua factus aquila: in montem Oliveti avolavit.
 Hac in solitudine speciosæ instar olivæ florere coepit.
 Nil posthac, nisi Deum, & cælestia sapere voluit:
 Tum se verè sapientem, oleâque dignum fecit;
 Cùm nesciret omnia: quæ Deus non essent.
 Nil virtute speciosius, nil amabilius:
 Etsi non ab omnibus colatur, & ametur.
 Lippientis oculi vitium est: si quid asperum in ea videas.
 Improbi amaritudinem corticis horrent: ne dulcedinem nuclei degustent:
 Aversantur vitæ austeritatem voluptatum mancipia:
 Qua Servi Dei æterna cæli gaudia nundinantur.
 Viperam in sinu nutrit, quisquis cuticulam suam fovet.

Ideo carni suæ perpetuum Bernardus bellum indixit:
 Æternum cum virtutibus pacis fœdus sancivit.
 Exemplum Magistri rigorémque vitæ plures secuti discipuli:
 Hos inter nobilissimi Ambrosius Picolomineus, & Patritius de Partritiis
 Iisdem armis Deo militare cœperunt.
 Virtutum palæstra mons erat oliveti:
 Inter oleas bellabant, & palmas metebant.
 Ideam Ordinis condendi Deus Bernardo oranti ostendit.
 In extasim raptus scalam vidit ad cælum usque extensam.
 Ascendentes per eam alba veste indutos Monachos Angeli comitabantur:
 Sic nempe candor animi, nivéque candidior virtus
 Hos cæli candidatos, & Angelorum albicantes esse declaravit.
 Ratum habuit institutum novum Gregorius XI. quod cælum approbavit:
 Etiam tum; cùm apud se Bernardus hypocrisis insimularetur.
 Monstrôsa calumnia: integerrimæ virtuti larvam vitii appingere.
 Ut Bernardum vidit Pontifex: Sanctum mutato cælitus animo agnovit:
 Aretino Episcopo Guidoni negotium promovendi Ordinis transcribit.
 Guidonem in visu, novellæ hujus familiæ Præses, monet Deipara:
 Qua veste, qua regula Bernardus insigniendus foret.
 Utrâque de manu Antistitis receptâ:
 Nomen gestare jussit Fratrum S. MARIE Montis Oliveti.
 Rediit Bernardus cum suis veterem in eremum:
 Novisque virtutum fructibus florescere, ceu oliva, visus est.
 Humilitas & charitas cæteris uberiùs protuberavit.
 Supremum Ordinis magistratum diu repudiavit.
 Tribus Præpositis Conditor ipse subesse voluit,
 His piè defunctis Ordini reluctans præficitur.
 Annis viginti septem subditos rexit, quasi unus ex ipsis, forma factus gregis.
 Suis peste afflatis mediastini instar inserviit:
 Pro filiis Pater mori paratus.
 Ut charitatis victimam se Deo sacrificaret:
 Eadem lue correptus gloriosè occubuit.
 Cælo jam matura Oliva speciosa in paradysum transplantanda erat.
 Ex terrestri oliveto Bernardus cælesti topiario illatus est.
 Gratulare, Lector, Bernardo in cælis triumphanti, & disce:
 In cælum tendenti iter esse per ardua montium.
 Exorsus est Christus passionem suam in monte oliveti:
 Ex eodem triumphans ad dexteram Patris ascendit.
 Ne tu posthac in schola Christi causeris Crucis amaritudinem:
 Quando ipse inter oleas calicem bibit, & sanguinem fudit.
 Hanc viam tibi ad cælum indicavit:
 Fecit ex oliveto sibi palmetum: ut præeuntem sequaris.






S. JOANNES COLUMBINUS .

*Italus, natus Senis: anno 1354. instituit ordinem Clericorum Regularium Jesu-
atorum, sic dictorum, quod nomen Jesu crebro ore volserent, ordo hic sub regu-
la S. Benedicti approbationem obtinuit ab Urbano V. ipse tricesima septima ab hac
obtentæ die obiit 31. Julii Anno. 1367.*



UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK FREIBURG



S. JOANNES COLUMBINUS.

Soli Deo, qui omnia, quæcunque voluit, fecit: triumphum canere licet ante victoriam.

Facile vinci nescius de imbelli homine, vinci volente, triumphat.

Sic tamen volentem vincit: ut nolentem non vinceret.

Dei opus est: de homine referre victoriam; hominis: quod velit vinci.

Nec devictus homo victoris Dei, nec victor Deus devicti hominis est hostis:

Sic ille vincitur, sic iste vincit; ut mutuum amicitiae fœdus inter se sanciant.

En de Joanne triumphantem Omnipotentis Dei gratiam!

En Joannem GRATIÆ Dei Omnipotentis TRIUMPHUM!

Certa illa ab æterno de triumpho ante partam in tempore victoriam,

Sibi triumphanti, & Joanni applausit triumphando.

Debeatur hic triumphus Gratiae, vinci debuit à Gratia Joannes,

Qui Gratiam nomine prætulit, & se Gratiae lubens subjecit.

Discordabat moribus à pulcherrimo aviti sui generis cognomine:

Diu hoc illi alienum erat; donec fieret proprium.

Columbinus dictus: vulturis instar cadavera sectatus, mundi illecebris inhiabat.

Tum columbae candorem induit: cum à Gratia super nivem dealbatus esset.

Ne quære: quibus armis Gratia cor Joannis expugnârit?

Armis opus non erat omnipotenti: sancto vicit lenocinio.

Imbellem sexum elegit: inermem mulierem pro ariete adhibuit;

Ut per feminam ad meliorem vitam regeneraretur: quæ omnium mortem evixa est.

Voluit per feminam resipiscere Joannem, per quam Adæ filii despuere.

Nec gladio Judithæ, nec Jahelis clavo indiguit:

Quo vel Holofernis, vel Sifaræ instar jugularetur.

Abigaëlis novæ usæ blanditiis est: quæ hunc ferocientem placaret Davidem.

Famentem aggressa est: ut famem sitimque terrenarum rerum in eo extingueret.

Vacuum vas reperit: ut vas electionis faceret;

In quod omnem plenitudinem suam infunderet.

Prandii tempus prævertere voluit: nec, quæ mensæ apponerentur, parata erant.

Ipsa hæc hora erat: à qua Gratiae pependit triumphus.

Ut tempus, famemque falleret: evolvendas Sanctorum vitas pia conjunx offert:

Nescia, maritum suum Sanctorum fastis olim inferendum.

Non hæc tam cibi, quam auri fames erat: illa exsaturari, non ista potuit.

Prandere citius constituit: ut à mensa ad mensam numariam rediret;

Ignarus adhuc, quod mox mensam utramque fastidiet.

Allisum terræ librum respuit: rursus facti pœnitens abjectum recipit.

Ni recepisset: fors à Deo projiciendus, è libro vitæ delendus erat;

Quod oblatam cum libro Dei Gratiam abjecisset.

Sorte volumen aperit: nec fato, sed Numinis consilio in vitam S. Mariæ Ægyptiacæ incidit.

Hac sub esca hamus Gratiae latitabat, qua erat capiendus.

Nec appositæ mensæ epulas jam delibare libuit Joanni:

Donec à capite ad calcem decursâ historiâ animum satiâisset;

Nova ipse triumphantis Gratiae futurus historia.

Cum aliena legeret peccata: sua se legere existimabat.

Vidit se Mariæ similem & dissimilem: quod peccantem, non pœnitentem secutus esset.

Ut illi se redderet simillimum, factus est sibi dissimillimus.

Tanto illico Dei amore exarsit: qui omnem mundi amorem momento suffocaret.

E Mammonæ mancipio Christi extemporalis auctoratur discipulus.

Ut hujus paupertatem & humilitatem propius sectaretur:

Divitias, quas adeò deperibat: odisse cœpit; ne per eas periret.

Ut iisdem sibi cælum cum fœnore mercaretur:

Bona omnia pauperibus erogavit: nec passus dispendium;

Dum ditando Christi pauperes, se ipsum locupletavit.

Minus Christum & Christi paupertatem amare visus esset:

Nisi Christum in pauperibus, & pauperes in Christo amâisset.

Ulcerosum aliquando, humeris sublatum, in domum suam detulit:

Et portantem omnia portare se nesciit;

Nec onus sensit, quod amor allevavit.

Leprosum pauperemque se gestare opinabatur:
 Cùm Dominum Dominantium, speciosum præ filiis hominum bajularet,
 Christo se in paupere servire ratus: qui Christus erat.
 Ulcera leprosi suaviabat: totidem Christi vulnera exosculatus.
 Molli strato impositum purulentum mendicabulum videri ut desiit:
 Vacuus suo hospite lectus, plena cælesti odore domus,
 Evanuisse cum leproso Christum commonstravit.
 Zelo suo plurimos Deo, & cælo lucratus est:
 Qui olim terrenis lucris intentus, post omnia sua Dei amore prodegit.
 Annuente thori consorte votum castitatis edidit.
 Ut iisdem se, sacris vinculis obstringeret; castitatem suæ conjugii persuasit.
 Semel de Joanne triumphavit Gratia: cùm pia illum lectione illaquearet;
 Plures cum Gratia Joannes retulit triumphos:
 Centum millia animarum in Tuscia ad Christum convertit.
 Novam in Ecclesia militante condidit Familiam:
 Nomen illi & sociis Joannis Deus suum indidit,
 Quos per innocentium puerorum acclamationem Jesuatos dici voluit.
 Jesuati rectè ab eo dicti sunt: quem corde & ore semper versabant;
 Nec alia Jesuatorum etymologia, quàm ab amore JESU.
 Pauciores Paulo scripsit epistolas Joannes: unus idemque utrique inerat amor JESU
 In hoc Apostolum superare visus est Joannes:
 Quodd sanctissimum nomen JESU calamo millies quingenties chartæ inarârît.
 Consobrinam habuit beatam Catharinam Columbinam:
 Ut pietate sibi redderet cognatam, quam sanguine junctam nactus est;
 Conditricem effecit Jesuatorum Sanctimonialium.
 Sacri hujus Parthenonis architecti fuere Angeli:
 Celsère eodem de loco Cælestibus geniis infernales spiritus;
 Quos inde avolare suis oculis conspexit Joannes.
 Vaticinium de dicatis his Christo sponsis edere auditus est:
 Virgines sanctiores nusquam gentium, quàm illic futuras, prædixit.
 Angelos Propheta scivit æmulaturas, quæ Angelos habuerunt ædiles.
 Miraculorum famâ inclaruit: quamprimùm factus est Gratia miraculum.
 Terram herbas producere jussit: quibus repentè prognatis agros sanavit.
 Cuidam è sociis, ut caput rogo immitteret, imperavit.
 Lingua delictum igne expiari voluit: paruit reus; & illæsus mansit.
 Obedientiæ hoc præmium erat: quod virtus imperantis impetravit.
 Vel vestem Joannis tangere languentibus sat erat: quæ morbos fugaret.
 Omnia Thaumaturgo Gratia parebant: qui tam promptè Gratia obedivit.
 Finem vitæ à JESU suo intellexit:
 Et columbæ instar ingemuit: ut dilecto suo conjungeretur.
 Hunc sub Eucharistico pane flexis genibus, fune collum circumdans, suscepit:
 Pœnitentis habitum indutus, triumphalis agonis insignia.
 Historiam patientis Domini sibi prælegi voluit:
 Audiit suprema morientis in Cruce Servatoris verba, & ad JESUM suum abiit:
 Æternùm in cælis cum eo triumphaturus, de quo in terris victrix Gratia triumphavit.






PETRUS FERDINANDUS.

*Hispanus, è nobili genere, Lupiane prope Toletum excitavit monasteriū:
ubi cum sociis aliquot novum religioſe vite genus A. 1366. inſtituit, quod
A. 1373. Gregorius XI. confirmavit ſub regula S. Auguſtini, nomēnque
Eremitarum S. Hieronymi impoſuit. Obiit. A. 1402.*

C. Weigel. exc.

52.



PETRUS FERDINANDUS.


Falleris munde! sæpius tibi imponis: cum alios fallis.
 Impostor es: pœnâ talionis mulctandus.
 Decepisti Petrum Ferdinandum: plus ille te decepit;
 Tu te ipsum quàm maximè.
 Quem in aulam traxisti, ut tuum faceres mancipium:
 Dominium tui indeptus est; dum te deseruit,
 Et deserto aulam commutavit.
 Aulâ te ille pellere voluit: ut aulam verteret in eremum;
 Statione tua cum nolles cedere: tibi cessit,
 Aulâ excessit, in solitudinem secessit.
 Fallor: in desertum transtulit aulam, cum deseruit,
 Factus ex aulico Eremita, & mansit in eremo aulicus.
 Sic tibi illudit, cum fieret: quod non erat; maneret: quod erat;
 Simul AULICUS, & EREMITA.
 Ut mundi, aulæ, sui que penitus oblivisceretur,
 Illustrissimo Familiæ de Pecha nomine abdicato,
 Ferdinandus de Quadalajara dici voluit.
 Petro Castelli Regi ab obsequiis erat,
 Cubiculi Regii summus Magister.
 In spelæum ferarum aulam verterat Rex impius,
 Dum fuso innocentium sanguine purpuram suam conspurcavit.
 Ideo vulgò, qualis erat, crudelis cognominatus est.
 Plus tyranni vitia, quàm efferi nomen abhorruit Ferdinandus:
 Erubuit sanguinariam aulam, timuitque;
 Ne barbari Regis scelera in mores aulicorum transfrent.
 Feris in solitudine cohabitare maluit, quàm Regi feris nocentiori.
 O mirum Divinæ Providentiæ consilium!
 Impietas Regia primos sanctitatis igniculos Ferdinando iniecit.
 Nempe venenum etiam saluberrimis parandis pharmacis deservit.
 Ergo spreto terrestris Regis famulatu,
 Cælesti Regum Regi servire statuit.
 Desertum Lupianæ Oppido vicinum elegit:
 Ut deserti incola cælo esset propinquior.
 Ne in solitudine solus esset, & aulico comitatu careret:
 Binos nobilissimos comites sibi adscivit, quos solitarios fecit:
 Fratrem Germanum Alphonsum de Pecha,
 Ferdinandum Yanez de Figuera.
 Admirata eremus novos hospites, ceu aulicos Dei suscepit:
 Generosos à contemptu mundi Triumviros,
 Alphonsum ab abdicata Giennensi insula,
 Figueram à dimisso Canonicatu Toletano,
 Utriusque ducem Ferdinandum à spreta regia præfectura conspicuum.
 En prodigiosam, sanctamque Ferdinandi metamorphosin!
 Aulicum non exiit, dum Eremitam induit:
 Correxit aulicum, cum in eremo tanquam in aula viveret.
 Dominum, & obsequium mutavit: terreno æternum suffecit.
 Quid eremus, nisi virtutum regia, aula Dei?
 Compara, si lubet, profanæ aulæ eremum:
 Et in aula eremum squalidam, in eremo aulam nobilem videbis.
 Illa à tot naufragiis infame mare: hæc portus tranquillus.
 Ibi vitia fluunt; ut refluant:
 Hic virtus illimi à fonte scaturit.
 Ibi veritas exulat: hic addiscitur.
 Illa litium, jurgiorum, tumultuum, invidiæ officina:
 Hæc pacis & securitatis quieta sedes.
 In illa sæpe homines in feras migrant:
 In hac feræ mansuescunt, & hominibus famulantur.

Ibi

LII
PETRUS FERDINANDUS

Ibi fortunæ ludibria inanum rerum spe lætantur:
 Hic servi Dei torrente voluptatum cælestium potantur.
 Pluribus aula infernus visa est,
 Quos desperatio in abyssum infelicitatis egit præcipites:
 In solitudine Deo conjuncti cæli gaudia prælibant;
 In terris jam beati, eremum ut cælum incolunt.
 Hæc porro in eremo Ferdinandus, novus aulicus Deo auctoratus,
 Initia religiosæ suæ Familiæ jecit, nunquam interitura.
 Sol fuit fulgidissimus celeberrimi Ordinis per Hispaniam diffusi,
 In Occidente exortus, & occasum nesciens.
 Nomen illi indidit Sancti Hieronymi:
 Ut cum nomine Bethlemiticæ eremi Incolæ virtutes æmularetur,
 Regulam S. Augustini à Sede Apostolica accepit:
 Ut sub auspiciis utriusque Sancti Doctoris
 Ferdinandi Ordo ab illo eremiticus, ab hoc fieret regularis.
 Nec ab Hieronymo sejungendus erat Augustinus:
 Quos in terris par scientia & virtus intima necessitudine conjunxit.
 Prima solemnia vota in manus Pontificis Gregorii XI. emisit:
 Hæc vincula esse solent libertatis aulicæ insignia,
 Quibus se filii Dei sponte innectunt.
 Omnis denique vitæ tenor Ferdinando talis: qualis aulicorum Dei,
 Pro fumo honorum, quo pseudo - Aulici pascuntur,
 Humilitati in omnibus studuit.
 Sacris initiari abnuit: ne minus demissè de se sentire videretur,
 Maluit sui ipsius sacrificium esse & victima: quàm sacerdos.
 Magistratu Ordinis jussu Pontificis assumpto,
 Ultrò de ejusdem consensu se abdicavit:
 Ne vel umbram dignitatum in eremo sectaretur;
 Quas in aula dimisit.
 Molliciem luxumque aulicorum in victu, lecto, & vestitu detestatus,
 Continuum jejunium sibi indixit.
 Humi cubare, stramine pro culcitra uti solitus.
 Cilicium, quo Virginitatis liliam sepe serat, semel induit, nunquam exiit.
 Ne infœcundus sterili in solitudine esset novæ Familiæ Auctor,
 Sobolem copiosam post se reliquit:
 Tria millia Eremitarum in centum cœnobiis congregata.
 Post impensa supremo Domino aulicæ obsequia laborum præmium attigit.
 Senio & infirmitatibus pressus, servus tamen semper alacer:
 Transiit ex eremo in paradisum;
 Cujus, ceu sancti aulici, scopus unicus erat:
 Sic Deo servire in terris;
 Ut cum eo æternum regnare in cælesti aula promereretur.





GERARDUS MAGNUS.

Belga, Daventriae natus, cognomento Magnus, vulgo Groot, Parisiis Theologica laurea insignitus, post Aquensis Canonici: à Monichusensi Carthusiano mire ad Deum conversus, abdicatis dignitatibus, bonisque paternis, predicando Verbo Dei, et lucro animarum intentus Congregationem Clericorum sitze Communis erexit, sub regula S. Augustini à Gregorio XI. confirmatam. Obiit 20. Aug. A. 1387. aet. 44.

53.



GERARDUS MAGNUS.

Facunde olim Gerardi Encomiaſtes,
 Canonici Ordinis illuſtre decus,
 Aſcetarum gemma, Thoma Kempenſis!
 Huc pennam commoda elogio Gerardi adornando.
 Illius quondam vitam diſertè ſcripſiſti,
 Quam æmulatus, in te expreſſiſti:
 Fidelis ejuſdem virtutum, & inſtituti ſectator.
 Nunquid pro elogio unicum ſuggeris agnomen?
 Magnus dictus eſt: & proprium nomen MAGNI
 Sibi à facinorum glorioſorum magnitudine vendicavit.
 Imò in Gerardi prænomine Magni cognomen:
 In cognomine Magni prænomen Gerardi elucet.
 Bis Magnus: omnigenâ ſcientiâ, & ſublimi virtute.
Ardua gerendo Gerardus fuit: ut Magnus diceretur, & eſſet.
 In arduis nempe ſedem figit excelsa virtus:
 Sociata virtuti ſapientia magnos efficit.
 Sic nominis utriuſque meſuram implevit.
 Gerardus vocari non potuiſſet: niſi Magnus fuiſſet;
 Nec Magnus compellatus eſſet: niſi fuiſſet Gerardus.
 In Belgio natus: ubi Magnorum incunabula,
 Parentes illuſtres habuit, & locupletes:
 Sed ſanguinis nobilitate, opumque abundantia
 Nondum ſibi ſat magnus eſſe viſus;
 Niſi Magni nomen à ſcientiis indipiſceretur.
 Primas bonarum artium Academiâs, Pariſios & Coloniam adiit:
 Futurus ipſe ſcientiarum omnium Academia.
 Anno ætatis decimo octavo Magiſterii laureâ ornatus.
 Diſciplinas ſacras, & profanas promptè addidicit,
 Vix diſcipuli prætextam geſtavit:
 Eaſdem jam Magiſter togatus docuit.
 Magni fecit literas Gerardus: & Gerardum literæ.
 Amplum ſcientiis obtulit ingenium:
 Inſudère ſe Gerardi ingenio ſcientiæ,
 Sibiſque omnes æquale reperère hoſpitiũ.
 Virtus ſcientiæ jungenda ſupererat:
 Ne ſcientiâ inflatus, Magnus diceretur; & Magnus non eſſet.
 Spectaculo profano aliquando intentus,
 Ab internuncio incognito, cælitus ſubmiſſo, jubetur
 Ludo ſpectando diſſinere, ne ſibi illudat;
 Futurus ipſe novum Deo, mundo, & Angelis ſpectaculum.
 Amicum ſubinde veteranum, Familiæ Carthuſienſis alumnum,
 De mundi vanitate ſecum colloquentem audiit:
 Et Deum ſibi per os amici ad cor loqui perſenſit.
 Ut ergo animum ſcientiis excultum poſthac ornaret virtutibus,
 Mundi, ſuique amore ſe penitè exiit:
 Odiſſe, quæ perperam amoverat; amare cœpit, quæ fatuè oderat.
 Umbras hæcenus ſectatus, à tenebris ad lucem tranſiit.
 Ut verè Magnus fieret: Magnus, qui hæcenus non erat, eſſe deſiit;
 Tum Magnus effectus: cum parvi mundum fecit.
 Abdicata Aquenſis Canonicatus dignitate,
 Humilem Clericum victu, habitu, moribus induit.
 Ædes paternas, opulenti patrimoniĩ facultates
 Clericis in commune viventibus ſuſtentandis expoſuit,
 Novi inſtituti Zelotiſſimus Auctor.
 Sed fato præmature, meritis cælo maturus, terris ereptus,
 Florentio hoc conſummandum tranſcripſit:
 Vel in diſcipulo ſancto ſanctus Magiſter ſuperſtes, vel redivivus.

III
GERARDUS MAGNUS

Ac primùm generosus mundi contemptus fecit magnanimum:
Secularium fugit consortium; ne inter homines se minor homo fieret.

Religiosorum contubernium adamavit:

Ut majora spiritûs sumeret incrementa.

Ardua deinceps gessit: quæ virtutis amor levia reddidit.

Carnem, quam foverat, mancipii instar dirè tractavit:

Ut hac austeritate liberum sui dominium nancisceretur.

Veteri homini renunciâns novum induit.

Somno vigilias, lautis epulis longam inediam,

Vestium luxui cilicium asperum, castitatis loricam,

Sensuum deliciis sævos flagrorum ictus substituit.

Licita corpori negavit: ne unquam illicita appeteret.

Parvus in oculis hominum esse voluit; ut magnus coram Deo esset.

Magna pro Deo egit, & tulit.

Animarum lucro avidissimè inhiavit.

Verbum Dominicum in Belgio & Hollandia seminavit,

Et centuplum fructum mesluit Apostolicus Prædicator.

Usurarios, adulteros, concubinarios

È magnis peccatoribus magnos fecit pœnitentes.

Magnetem peccatorum Gerardum Magnum fuisse dixerim:

Qui ferrea etiam corda ad Deum traxit.

Juventutis utriusque sexus moderator fuit sagacissimus:

Ne hæc venti instar pro genii levitate in sequiora abriperetur;

Plurimis mundani luxus contemptum, virginitatis amorem persuasit.

Divinarum Scripturarum lectioni jugiter vacavit:

Ut ex inexhausto hoc fonte scientiam Sanctorum hauriret.

Nihil denique in Gerardo: nisi magnum.

Magnæ fuit sapientiæ: nil nisi Deum sapere,

Nescire, quæ infra Deum: imò pro Deo desipere voluit.

Magnæ vir erat orationis, magnæ mortificationis:

Illâ ceu gradibus ad immensum Deum in cælum usque ascendit;

Hac carnem emaciâns: Deum, qui spiritus est, sibi univit.

Magni vir Zeli: omnes Christo lucrifacere studuit:

Vitam & sanguinem pro salute animarum daturus.

In morte, quam sanctè appetiit, ut propheta loqui auditus est:

Qui magni instar Prophetæ vixit.

Regularium cænobiorum structuram discipulis prædixit, & demandavit:

Quæ Gerardo auctore, & propitio è cælis fautore secuta est.

Agè nunc Lector, & Gerardum venerare.

Si magnus esse gestias: Magnum æmulare.

Omnia de eo magna audiisti:

Sed parvum & exile Gerardi Magni Elogium legisti.



B, PI



*Ætruscus, Disis nobili genere ortus. A. 1380. Congregationem
 Eremitarum in Monte Bello prope Urbinum erexit: qui à singulari
 cultu S. Hieronymi dicti sunt Hieronymitani: à Martino V. A. 1421.
 ab Eugenio IV. A. 1446. approbatam, à Pio V. sub regula S. Augustini
 A. 1569. confirmatam. Insignibus miraculis à Deo decoratus, post plura
 Ordinis propagati condita monasteria Venetiis obiit die 17. Jun:
 A. 1455. ætat. 80.*

54.



B. PETRUS GAMBACURTA.

Virtutis Echo nusquam facundiùs, ac in solitudine resonat:

Uti ipsa in montium cavernis latitare amat.

Silentii amicus Deus solitariis ad cor loquitur.

Quid virtus sit: eremum consule; & respondebit tibi.

Imò nec interrogatus hic Deus audiri solet.

Invitos sæpe ad solitudinem Divina vocat Providentia,
Ut voce illius arcana eruditi vitam discant vivere homine majorem,

Audiunt ibi: quæ priùs ignorabant;

Ignorare feliciter incipiunt: quæ infeliciter sciverunt.

Ut sublimem Petrus addisceret virtutem:

Magistram auscultare debuit solitudinem.

Doctorem in eremo Deum: Athenæum virtutum habuit eremum

SOLITUDINIS VETERANUS DISCIPULUS.

Virtutem ut amaret Petrus, mundum amare desineret:

Per anfractus Dei manu in solitudinem rapiendus erat.

Aliena infortunia incus & malleus fuere:

Sub quibus propriæ fortunæ faber sibi fieret.

Exilium parentum, mors trium patruorum, germanique fratris,

Adversa fors afflictæ nobilissimæ prosapiæ

Sanctioris vitæ stimulos, generisque aviti contemptum suggestere.

Sororem Claram è Parthenone sacro violentus abstraxit:

Ejusdem in domestico sex mensium carcere visâ constantiâ,

Trahi se sensit ad Dei famulatum: turpe ratus, virum à femina vincî.

Redit Clara à compedibus libera ad claustrî vincula:

Vitâ & miraculis claruit; Beatarum Virginum syllabo adscripta.

Sororis Beatæ exemplo motus Frater: ipse olim Beatis accensendus,

Celeberrimas ævi sui solitudines perlustrans,

Vitæ solitariæ desiderio exæstuarè cepit.

Peregrinus in latrones incidit: suo & grassatorum felici infortunio.

Eisdem sua in vincula cepit, à quibus vincendus erat.

Ex captivo factus extemporalis pœnitentiæ præco,

Sicarios, viatoribus hætenus infestos, viam docet, quæ ducit ad vitam.

Ab eodem, cui vitam eripere constituerant:

Æternæ morti erepti, Petrum ducem in eremum sequuntur,

Quàm bella hæc metamorphosis!

In Monte Bello primum Ordinis condit cœnobium:

Primos religiosi instituti sui socios nactus latrones;

Latronum præda Petrus, Petri felicior præda latrones:

Omnes jam sibi dissimiles, similes omnes fecit solitudo.

Jam latronum pœnitentium Magister Petrus,

Quos imbuit: qua arte calum violentè prædentur;

Idem docilis solitudinis discipulus:

In qua cælitus hausit virtutis prodigiôsæ documenta.

Silentium plùs quàm Pythagoricum eremus sibi exposcit.

Silenti Petro solus Deus loquitur.

Audi, Lector: quàm mira hic didicerit.

Didicit primùm silere: ut Deum solum loquentem audiret.

Didicit latere: pretium solitudinis docuit Deus;

Qui ubique solus, & unus: in quo omnia habent solitarii.

Didicit nôsse mundum, mundi que fallacias:

Fugere impostorem, & impostori imponere.

Didicit divitias vitiis cognatas spernere:

Esse spinas, quæ cruentè pungunt;

Laqueos dæmonis: quibus animæ irretiuntur.

Ideo abdicatis rebus omnibus,

Pauperem Christi vitam sectatus est:

Ut promissum in cælis thesaurum indeficientem olim reciperet.

LV

B. PETRUS CAMBRACIENSIS

Professos instituti sui tales dici, & esse voluit:
 Qualis Christus fuit, & quem ipse imitari studuit.
 Fratres pauperes Christi, vel pro Christo, vocitari iussit:
 Gloriosum hunc titulum pluribus Pontificiis oraculis comprobantibus,
 Didicit eremum incolere ut paradysum.
 Hinc, quem summa devotione coluit, Divum Hieronymum,
 Illustrissimum Anachoretarum decus,
 Sibi suisque in exemplar proposuit:
 Ordini suo nomen Eremitarum S. Hieronymi imposuit.
 Didicit perpete sui odio Dei amorem comparare:
 Carnem jugi castigatione spiritui subicere;
 Ideo cibum, somnum, corporis commoda neglexit:
 Orationem continuam, vigiliis, jejunium, flagella in deliciis habuit.
 Didicit amare proximum: quem Deus propter se amari præcepit:
 Imò sine quo Deus amari nec vult, nec potest.
 Oratione pro pharmacis usus, ægrotos sanavit.
 Preces Petro arma erant: quibus à dæmoniis oppressos liberavit.
 Deo, ut suorum penuriam sublevaret, quoties supplicavit:
 Toties cellam penuariam & vinariam pane vinoque implevit.
 Didicit in tempore æternitati se aptare:
 Nil inanius esse, quàm fugacia lubrici temporis momenta,
 Transisse præterita: nunquam reditura.
 Præsentia puncto unico definiri: quæ illico evanescent.
 Futura, prout incerta: sic, cùm aderint, mox in nihilum abitura.
 Ideo cum Præstite suo Hieronymo mortem jugiter meditabatur:
 Ut artem sanctè vivendi & moriendi assequeretur.
 Aliis ventura prædixit: sibi diem mortis.
 Propheta aliis: non sibi fuit,
 Quotidie mortem suam oculis intuitus,
 Præscire potuit: non prædicere.
 Ætate gravis, gravior meritis:
 Annis quinque supra quinquaginta in solitudine vixit.
 Longo quidem, sed suavi studio virtutem addidit.
 Post propagatam latè familiam, & erecta plurima cœnobiaz
 Ex eremi paradiso in cælum abire gestiit, & abiit.
 Magistrali ibi laurea ornandus erat Veteranus Discipulus:
 Pauperum Eremitarum S. Hieronymi Conditor
 Sociandus Hieronymo, quem in terris imitatus est.
 Adire denique debuit regni cælestis hæreditatem,
 Testamento æternæ Veritatis nuncupativo
 Pauperibus legatam.




CARO



CAROLUS GRANELLUS, RHEDONUS, et GUALTERUS.

*Nobiles Tusci, eremum simul ad montes Vesulanos prope Florentiam pe-
 tiere: Congregationem Eremitarum S. Hieronymi, Vesulanam dictam auspi-
 cati A. 1406. approbatam à Gregorio XII. A. 1415. confirmatam sub regu-
 la S. Augustini ab Eugenio IV. A. 1441. Congregationi S. Georgii in Alga à
 Clemente IX. A. 1668. adunatam.*



CAROLUS GRANELLUS, RHEDONUS,
ET GUALTERUS.

Divus Bethlehemiticæ Specus Cultor, & incola Hieronymus,
 Mundum Doctor Maximus scriptis eruditissimis,
 Mundi solitudines Anachoreta Sanctissimus Eremitis implevit.
 Id nempe ab omnibus amari voluit:
 Quod præ omnibus amavit ipse, & amorem omnium meretur.
 Ne quære, curioso Lector: immunem te à curis esse cupio,
 Id unum curare, quod unicè curavit Hieronymus;
 Ne quære, quis insolitum solitariae vitæ amorem Hieronymo ingesserit?
 Dei amor, ipse Deus-Homo,
 Qui cælum deseruit, vastum hujus mundi desertum ingressus:
 Pauper & humilis, primus Bethlehemi Eremita natus est.
 Ignobile par ille animalium,
 Matrem Virginem humilem, Fabrum pauperem Nutritium sibi elegit:
 Aptissimum solitudinis suæ contubernium,
 In solo paupertatis & humilitatis confortio solitarius, nec solus.
 Eadem Servatoris incunabula magnæ amoris erant:
 Quo tractus Hieronymus, alter Bethlehemiticus Eremita,
 Et sœcundus Eremitarum factus est Parens.
 Ter Beata Fesulana Solitudo!
 Suppar Eremo Bethlehemiticæ,
 Quam Carolus, Rhedonus, & Gualterus consecrârunt,
 NOBILES TRIUMVIRI HIERONYMITÆ.
 Prodigium! Dei Filium mundi amor fecit solitarium in Bethlehem:
 Amor Dei Hieronymum Bethlehemitam;
 Hos mundi contemptus, & amor Dei Hieronymitas, cultus Hieronymi Eremitas,
 Ut mundus salvaretur, Eremita factus est mundi Salvator:
 Fugere mundum Hieronymitani hi Triumviri;
 Ut ipsi extra mundum salvarentur, & alios salvarent in mundo.
 Faceffe dudum antiquate Romane Triumviratus!
 Nil tibi splendoris hodie superest, quàm nominis fumus:
 Primo penè in exortu passus es occasum.
 Ut orbi securius dominaretur Augustus Octavianus,
 Te Urbi Orbis Dominae invexit.
 Trifariam divisit Imperium, ut licentiùs omnibus imperaret.
 Ut solus imperaret: non solus videri voluit imperare.
 Dissimulavit arrogans Imperatoris nomen, non arrogantiam.
 Simulavit unam Triumviris esse potestatem:
 Ut audentiùs sibi uni Dominium omne vendicaret.
 Næ ego hunc veterum Romanorum Triumviratum
 Probrosam & ignobilem sœtum dixerim,
 Quem callida dominandi libido concepit, & abortiit.
 En genere nobiles, virtute nobiliores Triumviros,
 Novæ Hieronymitanæ Familiæ in Hetruria Conditores!
 Quos Paupertas & humilitas, sui rerumque omnium fecit Dominos.
 Rebus omnibus se abdicârunt: ut verè divites fierent.
 Nihil possederunt: quia nihili fecerunt divitias,
 Tantò locupletiores; quantò pro Christo egentiores.
 Desit paupertas esse ignobilis, quam Dei Filius nobilitavit:
 Ideo in terras descendit, ut pauperes secum in cælum ascenderent.
 Idem Regni cælestis hæredes scripsit pauperes,
 Et proscriptis inde divitibus æternum væ ingeminavit.
 Vel mundus fallitur, vel Deus errat:
 Nescit errare Veritas æterna;
 Fallit ergo, & fallitur mundus, jam pridem mendaciis infenescens.
 Paupertatem, ceu spinas, abhorrent mendaces filii hominum:
 Spinis divitias Dei Filius comparavit, quæ pungunt, non delectant.
 Num hodiedum errare pergat mundus,
 O ;

Postquam

LX

CAROLUS GRANELLUS, RHEODOMUS
ET CANTUENSIS

Postquam hunc mundi errorem Deus corripuit, & correxit?
 Ut paupertatem omnibus amabilem redderet, factus est homo:
 Pauper esse voluit; ut homo fieret filius Dei,
 Laudavit nobile Hieronymitani Triumviratus Institutum
 Benedictus XII. P. M.
 Pauperes & humiles Dei servos compellavit.
 Audiisti, Lector, Vaticanum Christi Vicarii oraculum:
 Idem est Veritatis Æternæ effatum.
 Bene dixit, bene sensit de his Triumviris Benedictus:
 Tu ne pauper & humile Elogii nostri genus despicias.
 Nunquam melius dicere, aut sentire potuit optimus & Supremus rerum Arbiter:
 Ac cum sic paupertatem & humilitatem suorum Hieronymitarum suspexit.
 Pluribus titulis fuere nobiles: nec unus Triumviris suffecerat.
 Fumosum natalium suorum splendorem averfati,
 Hieronymitæ facti sunt: ut fierent nobiles.
 Ipsi incolatu suo solitudinem nobilitarunt,
 Quos solitudo fecerat sanctos.
 Nec probrosa nobilibus summa animi demissio est:
 Postquam illustre nobilitatis decus esse cœpit humilitas,
 Adamavit nobilissimam hanc virtutem Deus-Homo,
 Ad ignominiosæ Crucis mortem usque humiliatus:
 Exaltatus postliminid super omnes cælos ad dexteram usque Patris.
 Extorrem paradisi fecit primum hominem affectata Divinitas:
 Humilitate Filii Dei referandæ erant Cæli fores,
 Quas homini clauferat superbia.
 Angusta beatitatis æternæ porta solis parvulis patet:
 Fastuosos arcet gigantes.
 Næ ego ter beatos Triumviros hos Hieronymitas dixerim:
 Nôrant perbene cælestis paradisi typum esse eremum,
 Eremitas Hieronymi pauperes & humiles,
 Divites cæli institui municipes.
 Ideo mundi res omnes, ceu vilissima vitivilitia reputabant:
 Ut calcato mundo facilius in cælum sublimarentur.
 Quàm Sancta nobilisque pauperum, & humilium ambitio!
 Omnia pro Christo arbitrari tanquam stercora,
 Ut hæredes Dei, cohæredes fiant Christi.
 Opes, honores, ut retrimenta aspernari:
 Et immensum cælorum regnum prensare,
 Omnia pro abjecto inani nihilo ambire.
 Fœnebrem hanc artem Triumviros hos docuit Hieronymi Eremus.
 Felices paupertas & humilitas fecit cæli sceneratores.
 Christum pauperem & humilem ex Hieronymi instituto imitati in terris,
 Ad perennis beatitudinis Triumviratum in cælum assumpti sunt.




LUPUS




LUPUS de OLMEDO.

Hispanus Nobilis, relictâ aulâ Ferdinandi Aragonum Regis, Lupiensibus Hieronymitis in Guadalupe se adjunxit: novæ reformatæ Congregationis sub regulâ ex libris S. Hieronymi conscripta, per Hispaniam et Italiam propagatæ, Longobardicæ dictæ, A. 1424. Auctor fuit, confirmatæ à Martino V. A. 1426. Primus Ordinis præpositus Generalis, et Prior Monasterii S. Alexii Romæ obiit d. 13. April. A. 1433.



Faint, illegible text or a list of entries, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

LUPUS



LUPUS DE OLMEDO.

Cautum, catumque te, Lector, hic volo,
 Ne vel ad ferinum nomen expavescas :
 Vel ad gentilem Elogii nostri titulum offendas.
 Lupi elogium leges, qui agno fuit mansuetior :
 Lædi, & lædere nescius.
 Id solum cum lupis commune habuit :
 Quòd insatiabili virtutum fame laborarit ;
 Nec alteri intentus prædæ : quàm animarum, quas Deo adduceret.
 Lupi ergo laudes auscultata : qui dici meruit
 Felicior Hieronymitani Ordinis PROMETHEUS.
 Fuit natione Hispanus, alta sapuit : sed Divina, & cælestia.
 Genere nobilis, cum sanguine excelsos spiritus hausit :
 Laudes affectavit ; non suas, sed Dei.
 Insigni claruit doctrina : Perusiæ politioribus literis excultus ;
 Honore omni dignissimus, qui doctis debetur :
 Nisi humilitati primas dari voluisset.
 Virtutem copulavit scientiæ :
 Apprimè gnarus, arctam utriusque unionem
 Omni pretioso unione rariorem esse.
 Fuit Aulicus gloriæ appetens :
 Sed quæ pietati, & integritati vitæ non adversatur.
 Placere Ferdinando Aragonio aulica Lupi obsequia :
 Lupo Rex placuit, non aula ;
 Quam sæpe vitia in ferarum cubilia transformant.
 Ne cum lupis aliquando in aula ululare cogeretur :
 Aulicum exiit, & Monachum Hieronymitam induit.
 Ut Parentis sui Divi Hieronymi vestigia legeret :
 Regiam deseruit, & in deserto virtutum regiam invenit.
 Parelion Promethei dicerem sagacem hunc Hieronymi discipulum,
 Nisi Prometheo dissimilis fuisset.
 Primum ille è luto fictum hominem animasse fingitur :
 Ille veterascentem Ordinem suum spiritu novo imbuit.
 Ille ignem è cælo suffuratus :
 Hic Hieronymum, Solem Ecclesiæ veneratus fulgidissimum,
 Ex ejusdem sacris commentariis tot flammam mutuavit :
 Quot apices de regulari disciplina ad condendas leges suas exscripsit.
 Alligatus ille Caucasæ rupi furtum eluere iussus :
 Hic à culpa rapinæ innocuus, à pœna immunis esse noluit.
 Saxum ipsi Sanctissimi sui Bethlemitæ
 Lydius erat Hieronymitanæ pœnitentiæ lapis.
 Liberatus postliminiò à Caucaasi vinculis Pandoræ filius :
 Hic arctissimis religionis vinculis in Domino vinctus perstitit ;
 Ut sic ligatus vera filiorum Dei libertate potiretur.
 Denique infelix ille figulus, & inane fuit Poëtarum figmentum :
 Hic historia, & felicissimus Hieronymitanæ Familiæ Reformator.
 Idem religiosis cœtibus, quod corporibus humanis accidit :
 Sine spiritu tam homo, quàm religio cadaver est.
 Quod illi anima : id huic est fervor spiritus ;
 Tolle animam homini, disciplinæ observantiam religioni :
 Utrique vitam sustulisti.
 Refrigescere in Hieronymitis spiritus cœpit :
 Pyrotechnico opus erat, qui novos igniculos accenderet.
 Hieronymitarum Ordo dictus, spiritu Hieronymi opus habuit :
 Ne aliquando hoc spiritu destitutum informe corpus fieret ;
 Reformandus, Hieronymi Spiritu animandus erat.
 Pervolve Doctoris Maximi volumina :
 Nec mortuos literarum characteres oculis usurpabis ;

Quot

Quot verba, tot sensus, tot ignea profluvia comprehendes.
 Quis se scire id, nisi temerarius dicat: quod Hieronymus ignorasset?
 Sublimis morum Magister ea de virtutibus scripsit:
 Quæ exemplo suo sic in se expressit; ut eadem aliis imprimeret.
 Vivit in libris suis Hieronymus, ceu Pater in liberis:
 Eundem, quo æstuabat ipse, ignem spirant, & legentibus afflant.
 Hoc igne ardere voluit Hieronymitas suos novus hic Prometheus:
 In quibus igneum Hieronymi Spiritum resuscitavit.
 Verba sanctissimi Patris leges esse voluit filiorum:
 Vitam Hieronymi genuinam Hieronymitarum ideam.
 Reformationi diu, acriterque resisterunt:
 Qui vel sine spiritu Hieronymi deformes se esse nesciebant;
 Vel diffidebant conformari posse Hieronymo.
 Ut innovandi Ordinis obstacula Zelosus Reformator amoveret:
 Amici potentis subsidium imploravit, & impetravit.
 Familiarem sibi olim habuit Odonem Columnam:
 Uno literarum in contubernio utriusque animum arcto nexu constrinxerat
 Par discendi studium, nec impar virtutis ardor.
 Hæc morum similitudo amorem conciliavit, ut geminos hos uniret.
 In Petri solum subinde evectus Odo,
 Achates Lupi esse non desit.
 Dicitur est Martinus V. & veterani amici sui columna mansit.
 Huic columnæ innixus Hieronymitanus Prometheus,
 Ordinem suum restauravit, restauratum stabilivit.
 In Hispania primùm reformatio initium sumpsit:
 Ut ibidem revivisceret spiritus Hieronymitarum;
 Ubi ortum suum habuit, & elanguit.
 Translata ab occasu ad meridiem eadem Reformatorum Congregatio,
 Solem æmulata, amplissimè per Italiam dilatata,
 A sede fixa, & numero plurimorum cœnobiorum Longobardica dicta est.
 Reformatoris olim amicus, idem post Pater Vaticanus,
 Reformato Ordini Patris instar favere visus est:
 Ne hic unquam à spiritu Hieronymi descisceret;
 Legem Reformatoris ex Hieronymi commentariis depromptam approbavit:
 Quam spiritus tenacissimum gluten esse voluit.
 Confirmatam familiam idem prærogativis plurimis exornavit:
 Debita hæc erat merces Reformatori;
 Quem in Ordine reformato Martinus remunerabatur.
 Tot virtutibus inter suos claruit Divinior hic Prometheus:
 Ut hæc totidem gradus fuerint;
 Per quos ad supremum Ordinis Magistratum ascenderit.
 Imò iisdem in cælum usque conscendit:
 Illò nempe redire promeruit;
 Unde ignem Hieronymitanæ suæ Familiæ attulit.






ALEXANDER CRIVELLUS, ALBERTUS BESOZZI, et ANTONIUS PETRASANCTA.

Nobiles Mediolanenses, Ordinem olim Barnabitarum dictum, originis adeo non compertae, et à primæva institutione aberrantem, An. 1376. reflorescentem, cui nomen ab Ecclesia S. Ambrosii ad Nemos sub regula S. Augustini Gregorius XI. tradidit, An. 1431. reformarunt, et sanctioris vitæ regularis methodo imbuerunt, ab Eugenio IV. approbatum, ac privilegium donatum.

4



ALEXANDER CRIVELLUS, ALBERTUS
BESOZZI, ANTONIUS PETRASANCTA.

Sphynx ego tibi, Lector, tu mihi Oedipus esto.
 Novum Elogii genus tibi propino:
 Ne me analphabetum dicas.
 Elogium est vocale, & simul mutum:
 De incertis silebit; & quid certi dicat: vix habet.
 Primum ex literariis elementis tibi ter ingemino
 A. A. A.
 Notus hic Prophetæ loqui nescientis gemitus erat:
 Idem & meum suspirium est: & Elogii monogramma.
 In Longobardiam ocyùs avola:
 Nec alis opus est, sed animo, alitibus celeriori,
 Aditum Mediolano illustre nemus perlustra:
 Sacrum illud est Divo Præsuli, & Ecclesiæ Doctori Ambrosio:
 Imò sacra Academia est; hanc subi:
 Ipsa est, quam triplici Alpha figurati incoluere
 Ambrosianæ Familiæ Reformatores,
 TRES ACADEMICI.
 Alexander, Albertus, Antonius.
 Papæ! quàm immanis hic saltus?
 Quàm subito in umbroso Ambrosii saltu
 Ex Alphabetario factus es Academicus?
 Sed quid tibi, vis, dicam de his Academicis?
 Ad Alphabetum te revoco: & trinum meum Alpha repeto.
 Academicos fuisse scio in palæstra virtutum,
 Collabentis disciplinæ regularis instauratores,
 A clientela mellitissimi Doctoris dictos Fratres S. Ambrosii.
 Nomina, quæ solum novi, tibi recensui:
 An Elogium dici potest; ubi præter nomen omnia latent?
 Elogii vox est, prætereaque nihil.
 Macte animi Lector! sæpe nomina ominosa sunt: si magna sint.
 Nunquam non magna nomina magnarum rerum sunt argumenta.
 Magnum nomen est Ordinis reformati:
 Penè nullum esset, & Ordo sine nomine, nisi reformatus foret.
 Restauratus esse scitur: quando, à quo institutus? ignoratur.
 Non constant initia: nisi incerta.
 Eadem temporum, & rerum in tempore gestarum oblivio est.
 Id certum: instituti hujus alumnos Barnabitas dictos esse:
 Num à Divo Apostolo Barnaba? sunt, qui affirmant, non probant.
 Præposterus antiquitatis amor, cum recentiora fastidit:
 Sæpe errori nixus dubia pro veris venditat.
 Nihil in orbe stabile, etiam quod sanctum, mutationi est obnoxium.
 Remota à foco aqua fervens, primùm tepescit:
 Paulò post in pristinum frigus relabitur.
 Intepuisse illo in cœtu religioso Spiritûs fervorem patet:
 Ne penitus extingueretur;
 Trium horum Academicorum Zelo rursus accendi debuit.
 Aptissimum Academicis exercitationibus nemus erat Ambrosianum.
 Hæc ipsa olim Ambrosii Academia fuit:
 In qua solitarius degebat, ut Deo soli, & virtuti vacaret.
 Unicum veterum Academicorum studium erat:
 Morum nitorem, mixtam severitati hilaritatem vultu præferre.
 Literis animum imbuebant: & bullatâ sapientiâ crepabant.
 Virtutis nomen jactabant, nunquam veram virtutem assecuti;
 Hæserunt in umbra; nunquam in luco suo ad lucem pervenerunt.
 Athenis Græciæ, illustrissimo scientiarum emporio
 Nil hodie, nisi obscurum superest nomen, & penè antiquatum.
 Illustriores Longobardiæ Athenas veneror Mediolanum:

LVI

ALEXANDER CRIVELLUS ABBERTUS
BESONZ, ANTONIUS PERSASANTA

Unde tot scientiis & sanctitate inclyti Academici prodire.
 Sufflaminatum ergo vitæ regularis tenorem
 Uno Spiritu tres hi sacratiores Academici interpolârunt.
 Nec aliud iis nemus Ambrosii fuit: quàm virtutis Academia;
 Ut huic intenti essent: regulam Augustini servare sunt iussi.
 Magna sanè duorum Tutelarium Ambrosii & Augustini nomina:
 Ille Ordini sedem, & nomen; hic legem dedit.
 Quàm bene Ambrosio sociatur Augustinus!
 Ter felices tres Academici sub sapientissimis his Magistris!
 Ubi Augustinus: si Ambrosius non fuisset?
 Audi, Lector, effatum Augustini de Apostolo:
Nisi Stephanus orasset; Ecclesia Christi Paulum non haberet.
 Augustinum imitare: & de Augustino scitè ediffere;
 Augustinum Ecclesia Christi non haberet:
 Si pro Augustino Ambrosius Deum non orasset,
 Magna sunt trium Instauratorum nomina,
 A Magnis mutuata.
 En! magnorum veterum nomenclaturam,
 Alexander Magnus, Albertus Magnus, Antonius Magnus.
 Prior miles & Rex à victoriis, & triumphis:
 Alter è Divi Dominici familia à scientiis:
 Postremus sanctus Eremitæ incola à virtute:
 Singuli nomen Magni sibi vendicârunt.
 Nunquid fat ominosa sunt trium Academicorum nomina?
 Magni sunt à Magnorum nomine:
 Magni sub auspiciis Magnorum Ecclesiæ Antistitum:
 A sui victoria mundiq; contemptu magni:
 Magni à Dei ferventi famulatu, & virtutis ardore.
 Num major coram Deo sapientia,
 Quàm mundo fatuum videri: & Deo servire?
 Quis magni nomen usurpet, nisi virtus suffragetur?
 En quot titulis veri hi sanctique sunt Academici!
 Nec plura in nemore Ambrosii loqui licet:
 Summus silentii rigor in hac Academia viget.
 Elogii omega sit ejusdem Alpha tergeminum
 A. A. A.
 Nosti, Lector, non quæ dicere volui: sed quæ dixi.
 Nomina Academicorum tibi recitavi.
 Bene eorum gesta, quæ me latent, scire aves?
 Academicus talis esse satage:
 Et hæc olim cælestibus fastis inscripta leges.




S. LAU-



S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

*Italus, natus Venetiis. ordinem Canonicorum Secularium S. Georgii in Alga
ab Antonio Corario Jesuato sub annum 1400. institutum, et à Gregorio XII. ap-
probatum, mirificè promovit, hunc postea à Clemente VIII. eorum Fundator
dictus. Primus Patriarcha Venetus creatus. obiit 8. Januar. Anno 1477. aet. 74
C. Weigel. etc.*

18



S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

Adesdum Divinior Hymen!
 Duas cælestes animas jugali vinculo stringe.
 Sponsum Virginem Virgini sponsæ copula:
 Nec nisi amantium conjunge animos;
 Ut vel uterque uno ex corde vivat:
 Vel unus in duobus cordibus, alter ex altero spiret.
 Pro Elogio EPITHALAMIUM CÆLESTE pangendum est.
 Quis Sponsus? nomen illi Laurentius.
 Quæ Sponsa? nomen habet ineffabile.
 Nobilissima Laurentio prosapia, avitumque genus,
 A posteris Justiniani Imperatoris defluxit.
 Nobilioris stirpis Sponsa initio caruit.
 Generationem ejus quis enarrabit?
 Ex ore Altissimi prodiit: bis nata; ab æterno à Patre sine Matre:
 In tempore à Virginea Matre sine Patre.
 Duos in terris celebravit Hymenæos.
 Semel in utero MARIÆ humanæ naturæ se sociavit:
 Rursum de cælo descendit: & se sponsam Laurentio obtulit.
 Facile nunc Divinum Sponsæ nomen divinari potest,
 Nempe Sapientia Dei, Virginis venustissimæ habitum induta,
 Laurentio spectabilis, eundem, quem Virgineum ardebat Sponsum,
 Castissimo pacis æternæ osculo sibi desponsavit.
 Icto cælestis connubii fœdere in cælum Sponsa rediit:
 Mansit in terris Sapientiæ Divinæ subarrhatus Sponsus.
 Nil de fumo hæc Virginei Hymenæi tæda habuit.
 Duplicata fuit Sponsi Virginitas ex conjugio Virginis.
 Ne sterilis esset, septus liliis, Virgineus thalamus:
 Tot pignoribus Sponsus fœcundatus fuit: quot virtutibus à Sponsa cumulatus.
 Vulgare nihil jam in pueritia Laurentius præsetulit.
 Nil ludicri admisit, ad summa morum gravitate eniti visus.
 Hanc animi celsitudinem admirata primùm mater, mox & reprehendit.
 Honores mundanos alto hoc spiritu filium ambire rata:
 Ne hos ad scopulos aliquando salus animæ naufragaretur;
 Severiùs filium increpat, mittere hanc insaniam jubet:
 Superbiam hæc infernum sapere dicitans.
 Subrisit ad hæc magnanimus puer: ponere timorem, rogat;
Magnum, inquiebat, me Dei servum, ô mater, olim videbis.
 Magna de se vaticinatus est puer, quem Deus ad maxima elegit.
 Fidem Sponsæ suæ datam, servaturus illibatam,
 Oblatas à Matre nuptias repudiavit.
 Deserta paterna domo Claustro S. Georgii de Alga se abdidit.
 Fuit hic ejusdem familiæ Canonicorum secularium alumnus & Magister,
 Subditus, & Prior Generalis, filius & Parens.
 Ordinem ab alio conditum sic sanctitate sua propagavit:
 Ut nomen primi Fundatoris Laurentio Pater Vaticanus indiderit.
 Decoræ Sponsæ suæ se speciosum tum reddidit:
 Cùm animam comeret virtutibus,
 Corpus siti, fame, vigiliis, omni cruciatuum genere affligeret,
 Eidem præprimis humilitate & paupertate se fecit gratiosum:
 Probè gnarus utramque virtutem Sponsæ suæ esse in amoribus.
 Non tam honores contempsit: quàm ipse contemni ab omnibus voluit.
 Cùm aliis præesset, aliorum se pedibus subjecit:
 Supremo in magistratu Ordinis vilissima amplexus ministeria.
 Panem ostiatim sibi suisque mendicavit.
 Plus erubuit: si pauperis personam indutus honoraretur;
 Quàm verecundaretur, ut mendicus pro Christo despici,
 Ludibria pro eleemosyna referre.

LIII

S. LAURENTIUS

Stipem ad fores maternæ domus petebat:
 Nunquam tamen limen ædium transgredi solitus;
 Ne egressus de cognatione sua, ad derelicta regredi videretur.
 Sic pauperes, ut paupertatem amavit.
 Hos familiam suam grandem nominavit, quam alendam haberet.
 Ne egenis unquam quid deesset: etiam aere alieno se gravavit.
 Deum hac pietate debitorem suum fecit, fidelem expertus largitorem,
 Qui creditoribus pro Laurentio satisfaceret.
 Ut reciproco amore Sponsa amabilem Sponsum suum prosequeretur:
 Sacris honoribus, donisque cælestibus decoravit.
 Protopatriarcha Venetus ab Eugenio IV. nominatus,
 Ad capeffendum Pontificium Papæ imperio raptari debuit.
 Nec sui, qui fuerat, in hoc fastigio dissimilis:
 Nisi quod prioris vitæ religiosæ auxerit rigorem.
 Plus Conservatori suo, quàm primis Conditoribus
 Obnoxiam se fatetur Venetorum Respublica.
 Magis se ab interitu vindicatam gloriatur:
 Quàm Adriæ dominium indeptam esse.
 Stetisse, cum sæpius casui proxima esset, sui Antistitis meritis:
 Divino testimonio compertum habetur;
 Perstituram in ævum auguratur
 Perpes Venetorum in Laurentium pietas, potens Laurentii in suos præsidium.
 Scientiam habuit cælitus infusam.
 Quid enim ignoraret Sponsus Divinæ Sapientiæ?
 Literas non calluit: & libros scripsit cælesti doctrina refertos.
 Rudis Grammaticæ ea scivit, quæ sublimissimi ignorant Theologi.
 Prophetiæ & orationis dono fuit conspicuus:
 Sponsa nempe futura, & arcana sponso revelavit mysteria;
 Quæ omnia novit, nil dilectum suum celare potuit.
 Prophetam esse voluit: quæ ora Prophetarum referavit.
 Vidit sacris operans nocte natalis Domini Divinum Pusionem.
 Stetit se Laurentio eadem formâ amictus, reducto panis sipario, Filius Dei:
 Quâ olim nasci infans dignatus est.
 Duobus in locis uno tempore fuisse constat.
 Sacram in Ecclesia publica litabat hostiam:
 Et esurienti corpus Domini in cella moniali
 Eucharisticum panem ex ara attulit; à qua nunquam recesserat.
 Præfulum olim decus & gloriam Laurentium Eugenius P. M. compellavit.
 Antistitum hodie prodigium orbis veneratur.
 Ad Agni immaculati nuptias Sponsum suum transtulit Sapiencia Divina.
 Cæleste ibi aternumque audituro Epithalamium,
 Ad sacras ipsius exuvias canentes in terris Angeli applausere.



S. FRAN



S. FRANCISCUS DE PAULA.
Calaber, natus Paula. Fundator Ordinis Minimorum, qui primitus dicti
Eremitæ S. Francisci, et sub hoc nomine confirmati à Sixto IV. anno 1474. sed sub
Alexandro VI. Fratres Minimi appellati. Scripsit tres regulas: Fratribus,
Sororibus, ac Tertiariis. obiit 2. Apr. A. C. 1507. ætatis 70.
C. Vogel. exc.



S. FRANCISCUS DE PAULA.

Paulana Familia, grande Francisci Conditoris sui miraculum :
 Dei Ordinum omnium Auctoris supremi
 Grandius miraculum Franciscus.
 Instituti sui Alumnos Minimos vocari voluit :
 Se Minimum Minimorum nominavit.
 Quam audax, tam sancta humilitatis hyperbole :
 Minimorum Conditor THAUMATURGUS MAXIMUS.
 Nomen suum à S. Assisinate Minorum Institutore traxit :
 Cujus beneficio sterili matri à Deo impetratus fuit ;
 Minimorum olim fecundus magnusque Pater futurus.
 Bis cælitum suum cognominem expertus sospitatore :
 Semel ut vitalem in lucem prodiret ;
 Rursum ut lucem videret : in quam penè cæcus editus erat.
 Luscus natus : fors ut uno cælum tantum intueretur ;
 Oculo altero, quo carebat : mundum despiceret.
 Extinctum lumen, edito ad evergetem suam Matris voto, recepit :
 Ut à mundo utrumque averteret.
 Nascituri Thaumaturgi horoscopum miris prodigiis cælum adornavit.
 Nox, quæ Divus conceptus erat, in diem versa est :
 Quam parentum domui incubans lucidissima flamma illustravit.
 Cum nasceretur : audita est Angelorum hymnodia.
 Applausere iidem Phonasci nato in carne Angelo,
 Qui olim in Bethlehem cæleste melos incarnato Filio Dei accinuere,
 Crevère cum Francisco miracula, & ipse maximum adolevit miraculum.
 Parentum voto Familiæ Seraphicæ ad obsequia oblatus :
 Quot cœnobitis præstitit ministeria ; tot edidit miracula.
 In Ecclesia & triclinio ministrare jussus :
 Sæpius utroque in loco, eodem tempore conspectus est.
 Prunas sinu exceptas, illæsa veste ad aras attulit.
 Nec lædere Franciscum ignis audebat,
 Adolendo thuri in sacrificio destinatus :
 Alio cor Francisci flagrabat ; quo se Deo holocaustum immolavit.
 Coquinæ munus obibat : & ad prandii horam usq; contemplationi vacabat.
 Extemporalem mox oratio & obedientia fecit Thaumaturgum :
 Momento temporis paratos cibos discumbentibus apposuit.
 A Minorum ministerio Dei jussu digressus,
 Minimorum Ordinem Paulæ concepit, & peperit.
 Primum ibi struxit cœnobium & Ecclesiam :
 Ubi in spelunca quadrienne tirocinium vitæ eremiticæ posuit,
 Ab eodem dirè exagitabatur dæmone
 (Sic ex energumeno aliquando tentator fateri auditus est)
 Qui primum olim hominem prostravit, Antonium in Ægypto lacecessit,
 Suppar Antonio, fortior Adamo Franciscus :
 Eundem uterque Stygium passus aggressorem ;
 Cadente in Paradiso Patre, extra paradysum stetit Franciscus.
 Esam carniæ, ovorum, & lactiniæ suis perpetuò interdixit.
 Quarto hoc abstinentiæ voto Minimos suos obstrinxit :
 Ut minimi carnem facerent, maximi Spiritum.
 Quid fames, sitisque foret, penè ignorabat :
 Maximum ipse jejunii miraculum.
 Omni cibo, potuque hebdomades, menses integros abstinuit :
 Hac ipsa inedia corpus saginavit : in quo nullum jejunii vestigium ;
 Nisi quòd semper vegetum, roseoque colore amœnum apparuerit.
 Nunquam sibi, sed aliis famere, & sitire solitus :
 Escam pauperibus cælitus procuravit, & multiplicavit ;
 Scipione petras percussit, & aquam sitientibus elicit.
 Rejectus à navarcho, pro cymba pallio usus :
 E Calabria in Siciliam cum socio transfretavit.

Mortuis hominibus, & exanimatis animalibus vitam reddidit.
Agnum sibi familiarem, ab helluonibus consumptum,
Post pellem & ossa in furnum abjecta duabus vocibus resuscitavit,
Pisces coctos à rege submissos, vivos remisit.
Suasit abstinentiæ amor hoc edere miraculum:
Ut sibi irritamentum subtraheret, regium munus non aspernaretur;
Sed insolito prodigio redderet pretiosius.
Auratam, in frustra divisam, aquæ injecit: & revixit.
Audis, Lector, miracula Minimorum Conditoris:
Et Thaumaturgum maximum fuisse diffitebere?
Fors Prophetarum autumabis minimum? sed maxima est vaticinatus.
Julio II. & Leoni X. Pontificii maximi tiaram prædixit.
Renuit Sixtus IV. probare perpetuum Minimorum jejunium:
Roborei Cardinalis adstantis dexteram apprehendit Franciscus;
En! Pater Sancte, ajebat, hic meum implebit desiderium.
Duplex vaticinium eventus comprobavit:
Ex Roboreo factus Julius Francisci regulam confirmavit.
Sanctorum fastis se à Leone X. adscribendum dudum præcivit:
Joannes Mediceus is erat, quem infantulum sic affatus est:
Cùm tu Papa eris; ego Sanctus ero.
Aulas Regum prodigiis implevit: dum vitiis evacuavit,
Dubitabant Galliarum & Neapolis Reges:
Num plùs Francisci humilitatem, an miracula Thaumaturgi honorarent.
Feminas & pecuniam jugiter averfabatur,
Eundem utrique fomitem inesse dictitans.
Nunquam hanc contrectavit manibus, ne animum inquinaret.
Semel apprehensum numum coram Rege diffregit, qui cruorem stillavit.
Erubuit ad hoc prodigium reprehensa exactorum avaritia:
Dum pretium sanguinis popularis ex injusto Mamona manare vidit.
Charitatem cordi insculptam semper ore versabat.
Nunquam tres voces profari solebat:
Sive Deum, sive homines, ipsa etiam jumenta alloqueretur;
Quin ambrosium Charitatis nomen infereret.
Hæc tessera fuit Francisci: qui dum Minimus esse voluit;
Maxima pro Dei proximique amore patravit.
Obiit die parasceves, quo pro peccatoribus Dei filius mori dignatus est.
Suprema morientis verba erant, quæ Minimorum Minimum decebant.
Fune collum circumdans, humi jacens, peccatorem se professus expiravit.
Sic in cælum rectà contendit Minimorum Conditor, Thaumaturgus Maximus.
Reliquit Ordinem orbe toto hodie diffusum:
Vivunt in eo nomine Minimi, ut virtute studeant esse Maximi.





V. JOANNES À POPULA .

Hispanus, illustrissimo à Sotomajore Comitum Bellalcazar, genere natus, patris idioma dictus de la Puebla, spreto mundi rebus Ordinem Minorum ingressus: in quo B. Joannis de Guadalupe FF. discalceatorum de Caputis Auctoris Magister, Recollectorum reformationem sub Sixto IV. A. 1484. instituit, ab Innocentio VIII. approbatam, Provinciae Angelorum Fundator. Sanctè obiit die 6 Octobr. An. 1495.

60.



V. JOANNES à POPULA.

Parce Lector! insolitum quid à te peto:
 Si benevolus es; lusum indulge.
 Ludam: nec tibi illudam; nec ludicra à me audies:
 Innocentem leges verborum lusum.
 Laudandus est Recollectorum in Familia Seraphica Auctor:
 In quo nihil laudabile magis; quàm quòd laudari nolit.
 Nec citra offensam laudari potest:
 Qui sibi semper illudit: ab omnibus illudi voluit,
 Laudes suas pro vituperio & cavillis habere solitus:
 Agè penna: stylum verte; fannas, & opprobria exere.
 Ne laudari nolenti fiat injuria: vituperetur; ut laudetur.
 Pro Elogio IRONIAM scribe: dignam hoc Viro.
 Proh quanta in Joanne *arrogantia!*
 Illustrissimi Parentis nomen gestare erubuit.
 Ut illustrior & major esset: nihil magni in se passus;
 Sottomajore dici noluit.
 Splendidos honorum fumos tam avidè venabatur:
 Ut Comitis Bellalcazaris titulum abjecerit.
 Mundo se majorem aestimavit: & mundum despexit.
 Ut se supra se levaret, omnia, quæ mundus habuit, fastuosus calcavit.
 Humilitatem sic averfatus: ut se infra omnes humiliaret.
 Neminem sibi æqualem ratus,
 Nemini se prætulit; ab omnibus vilipendi gestiit.
 Dignitates omnes contempsit: indignum se iis credidit,
 Ne illis dignus videretur: sui contemptum ambivit;
 Imò has se minimè dignas esse existimavit.
 Nulli unquam indignatus: nisi à quo non contemneretur,
 Num laudari potest tam ambitiosa humilitas?
 Proh quanta in Joanne *prodigentia!* quanta *avarities!*
 Quàm *prodiga avaritia!* quàm *avara prodigentia!*
 Nihil possidere voluit: ut omnia haberet.
 Dominio terrestri se prodigè abdicavit:
 Exspoliavit paternis opibus, bonis gentilitiis;
 Ut cælestes divitias sibi compararet.
 Terram despexit: & cæli raptum machinabatur.
 Paupertatem sectari visus: & immensis thesauris inhiabat.
 Nec cælo ejus sacra fames saturari potuit:
 Cæli conditorem Deum possidere contendit;
 Quo solo avara hæc habendi omnia cupido fatiaretur.
 Num immaniolem quæstum esse dixerim:
 Quàm pro scoria & luto scenerari aurum,
 Pugillum terræ deserere: & dominium regni æterni affectare?
 Nec callidior, aut lucri ultra sortem avidior usura:
 Quàm pauperem vitam profiteri: & in paupertate immensum ditescere;
 Divitias aspernari: & locupletiolem fieri.
 Hæcne Sanctorum insatiabilis avaritia?
 Sua relinquere: & aliena invadere:
 Caducas res mundi, quæ nihil sunt, prodigere:
 Et bonorum omnium hæreditatem capeffere.
 Proh quanta in Joanne *inconstantia!*
 Inconstantem mundum, ut Proteum, fugit:
 Et inconstantem mundo factus est Proteus inconstantior.
 Semper alius, nunquam idem hominibus visus:
 Et coram Deo semper idem, nunquam alius fuit;
 Per constantem inconstantiam ad solidissimam constantiam eluctatus.
 Variis religiosis Ordinibus animum addixit:
 Suasit hoc inordinatus sublimioris perfectionis amor;

Ut

LX

V. JOHANNES POPULUS

Ut plures Ordines ordinatæ regularis vitæ studium doceret,
 Primum Divi Hieronymi institutum secutus :
 Ab Hieronymitis ad Minoritas, à Minoritis transit ad Franciscanos;
 Ex Franciscano factus Franciscanorum Reformator :
 Ex Reformatore Conditor Recollectorum.
 Ordines plures probavit : nullum horum, se solum improbat.
 Hic nempe probatissimæ virtutis labor improbus est :
 Probare omnia ; quod optimum est, arctissimè amplecti.
 Proh quanta in Joanne *Hypocrisis* !
 Arctioris vitæ desiderio exæstuavit :
 Ut virtutum habenas amplissimè laxaret.
 Recollectorum Ordinem sub Sixto IV. inchoavit,
 Ab Innocentio VIII. approbatum :
 Et sui sequaces ex Recollectis fecit distractos.
 Voluit suos orationi mentali jugiter intentos :
 Ut semper mente ad Deum & cælestia evagarentur.
 Solitarius dictus est : &, dum eremum incoluit ;
 Amplissimam familiam, quam in spiritu educavit, moderabatur,
 Rigidæ paupertatis amorem suis inculcavit :
 Opimas virtutum divitias colligere indulgit.
 Sine proprio terreno vivere jussit : & proprietariis sacris esse licuit.
 Humiles ædiculas, vilia tuguria alumnis suis extruxit :
 Et has ipsas angustias augustis Regum palatiis præposuit ;
 Cæli amore excæcatus, cellas pro basilicis habuit.
 Quis hanc Recollectorum reformationem neget esse informem ?
 In occidente exorta est : & in orientem usque transiit,
 Orbem implevit : extra orbem penè propagata,
 Nata inter silvas, obscura habuit incunabula :
 Mox solis lucem æmulata ubique refulsit.
 Latere suos noluit Joannes : non publicum vitare.
 Publicos esse noluit : sed qui omnia ignorarent, & nihil non scirent.
 Voluit sub humilitatis modio recondi :
 Et apud omnes scientiâ & virtute inclarescere,
 Quàm ingeniosa hypocrisis ! ut verè docti essent :
 Ignorare jussit ea, quæ mundi sunt ; scire omnia, quæ Dei.
 Sat verbis lusum est : omnia de Joanne simulatò dicta sunt.
 Novum Elogii genus : recollecta ironia dici potest.
 Dissimulavit illius laudes : qui, ut laudaretur, vituperari debuit.
 Supremam de eo ironiæ coronidem, Lector, excipe.
 Hominem se totâ vitâ simulavit : & Angelus fuit.
 Primum S. MARIÆ de Angelis excitavit cœnobium :
 Hic Recollectorum Parens instar Angeli vixit ;
 Non moriturus, nisi homo fuisset : mortuus tamen ut Angelus.



MA





MATTHÆUS de BASSIO.

Italus, natus in agro Piceno, Franciscanus de observantia, apud Montem Falconem in Marchia Anconitana arctioris paupertatis amore succensus, et ostentis celestibus invitatus, ordinem Capucinatorum auspicatus est sub regula S. Francisci ad litteram, confirmatum à Clemente VII. anno 1528.

obit 2. Aug. 1552.

61.



MATTHÆUS DE BASSIO.

Infigne Divinæ Providentiæ opus Minorum Ordo
 Magnum nactus est Parentem Franciscum pauperem & humilem,
 Ut Seraphicus esset: Conditorem habuit Angelum incarnatum;
 Conservatorem Seraphicum, Patri suo, & Angelo similem.
 Dictata à Christo regula Francisco:
 A Matthæo conservata; quòd ad literam servetur.
Filius Francisci Matthæus: ab asserta Patris lege Ordinis sui alter Parens.
 Majusne miraculum regula condita, an servata?
 Nil condi profuisset, nisi ab interitu vindicata esset.
 Miraculum Matthæi Franciscus: Francisci Matthæus.
 Si aliud non egisset, quàm quòd legem Patris tutatus sit:
 Maximum edidisset miraculum;
 Ut hanc tutaretur, miracula plurima patrare debuit.
 Fallor: tota Matthæi vita, non nisi unicum **MIRACULUM**.
In pueritia patravit miracula, quid miraculum esset, ignarus:
 Non ætate, sed virtute edendis miraculis maturus.
 Duodennis, centum inermium puerorum dux factus,
 Hostes armatos à patrii municipii muris defendit:
Pro Gedeonæis tubis sacratissimum nomen JESU intonuit;
 Et ceu fulmineo telo exterritos in fugam conjecit.
 Jam puer, patriæ prodigiosus servator: postliminò vir,
 Prodigosior Seraphicæ regulæ Conservator futurus.
Vix fidei rudimenta discipulus didicit: adhuc in pratexta Magister,
 Per plateas & compita pœnitentiam prædicavit.
 Nondum vir, corda movit peccatorum: ne pœnitenda agerent;
Innumeros quondam Divini verbi facundus præco ad Deum conversurus,
 Vix nomen mortificationis novit: & mortificationi studuit.
 Austerè corpus habuit: & quod castigaret, non commisit.
 Noluit esse innocens: nisi innocentiam pœnitentiâ muniret.
Ob rigoris excessum in morbum incidit: nec in se rigidus esse desit.
 Abjecto molli strato, humi in stramine cubare voluit.
 Allatam silvestrem gallinam, qua vesci debuisset:
 Cicurem fecit, & ad sua obsequia familiarem.
 Infedit illa sinum Matthæi, & ægrotanti famulabatur.
 Muscas circa lectum volitantes cepit: ne infirmo molestæ essent.
 Hac esca se pascebat, alteri in cibum destinata:
 Beneficium, ut licuit, ei rependere visa: cui vitam suam debebat.
Ætatis decimo septimo anno Ordinem Minorum de observantia ingressus:
 Ut ab adolescentia jugo Domini ferendo assuesceret.
 Regulæ Conditoris sui semper observantissimus:
 Cùm humilitatem & paupertatem ejusdem unicè sectaretur.
 Camerini peste laborantibus ministravit:
 Erubuit pallida mors; quòd à Matthæo contemneretur.
Invita pepercit vitæ suæ prodigo: quem charitas fecit immortalem.
 Divum Franciscum sæpe è cælo sibi conspicuum habuit:
Videre Parentem suum meruit; quem ut genuinus filius imitabatur.
 Christo mendicum induto stipem dedit: recepit cum fœnore;
Quòd hodiedum posthumis suis eleemosyna, cælitus submissa, nunquam deficiat.
 Deum assiduè pro reformando Ordine oravit:
 Exauditus pro reverentia sua has de cælo voces audiit;
Matthæe! hac est voluntas mea, ut regulam ad literam observes.
 Dulce erat, jubenti Deo obsequi:
 Nec durum imperium; sed jugum suave, & onus leve amanti.
 Reformationem Ordinis inter miracula impetravit.
 A visibili Angelo, aliis non visus, ad Pontificem deductus,
 Annutum Clementis VIII. obtinuit Seraphicæ regulæ instaurator.
 Carceres, compedes, fannas, contumelias sufferre maluit:

Q

Quàm

MATTHÆUS DE BASSIO.

Quam Seraphici Patris sui legem relaxari.
 Ipsa Matthæi vincula firmior servandæ regulæ nexus erant.
 Idem inter vincula, & vinculis exemptus, fuit miraculum.
 Famentibus cibum, sitientibus potum multiplicavit.
 Fabas pauculas in pauperum subsidium seminavit:
 Prodigiosè auctæ succreverunt in famentium alimoniam.
 Parvam vini lagenam pluribus hauriendam porrexit:
 Hausère omnes affatim; & vas plenum liquore permansit.
 Aquam marinam crucis signo dulcem reddidit:
 Quidni amara omnia virtute Crucis dulcescant?
 Castra Caroli V. jussu Pauli III. P. M. secutus,
 Exercitum Cæsareum præcedens, de hoste victorem fecit.
 Veste plumbeis glandibus undique perforata, integer stetit, & illæsus,
 Blasphemo Belliduci palam aliis colaphum impegit:
 Et affusum pedibus suis vidit; non de injuria, sed Dei offensa dolentem,
 Ex scœnatoris hospitis pane sanguinem elicuit:
 Et Zachæum ex usurario fecit pœnitentem.
 Nemo impunè Matthæum læsit: quin lædentem Dei ultio sequeretur.
 Sæpe alapis cæsus, alteram cædentibus maxillam præbuit:
 Percussoribus veniam dedit, sed mortem prædixit, qua subito decessère,
 Pallio sæpe Padum & Adriam sternere solitus,
 Inspectantibus aliis flumen & mare trajecit.
 Sacris ad aras operans è terra in sublime levare visus est:
 Ut animo & corpore terris altior, cælo esset propinquior.
 Pallium ex imbre madidum solari radio appensum exsiccavit:
 In defectu ignis bis solem sibi obsequentem prodigiosè habuit.
 Aquæ, qua pedes abluit, virtutem medicam indidit: ut morbos fugaret,
 Simio delectabatur legulejus: sub quo stygius mimus latebat.
 Larvam exuere jubet belluam Matthæus, & Orcum repetere.
 Abripiendo à dæmone Domino ope Deiparæ servatum esse indicat:
 MARIE cultum, vitæque emendationem persuadet.
 Apostolicis fractus laboribus, Venetiis sancto sine quievit.
 Mortem Matthæi campanæ Urbi nunciârunt, Angelorum manibus sonoræ:
 Anima columbæ formam induta in cælum avolare visâ est:
 Et exanime corpus duobus post mensibus fragrans, & incorruptum perstitit.
 Instar vivi brachium levans crucis signo adstantibus benedixit.
 Marmoreo conditus tumulo, tumulum suum miraculorum fecit officinam.
 Innumera vidit, & suspexit Senatus Populusque Venetus:
 Et sacræ urnæ Beati epigraphen inscripsit.
 His signis Seraphicæ regulæ vindex à Deo, his honoribus ab hominibus ornandus erat.
 Audiisti Lector: totam Matthæi vitam unicum fuisse miraculum:
 Si plura desideres; numerâ post evoluta duo secula Matthæi alumnos:
 Et innumera hodiedum habebis Matthæi miracula.





HIERONYMUS MALUSELLUS.

Ravennas, hortatu Venerab. V. luce Gentilis dissolutos mores suos detestatus, ejusdem domum in cedem sacram comutarit, et Congregationem Clericorum erexit A. 1552. sub regula S. Augustini, et nomine Boni P. S. S. ac S. Margaritae à Paulo III. confirmatam: cui Vener. Virgo Margarita praefatae Gentilis Magistra constitutiones quasdam dictavit. A Studio orationis Contemplativus dictus, sanctè obiit.

HIERONYMUS MALUSELLUS.

Loquentem, Lector, ausculta Hieronymum,
 Quæ de se dixerit: de tefors dicta interpretabere.
 Si justus accusator sui est:
 Ex confessione propria justitiam Hieronymi metire, & admirare.
 Novum habes Elogii genus: secretum sibi exposcit;
 EXHOMOLOGESIS est.

Audi ex contrito corde ingemiscntem, & ingemiscnti collacrymare,
 Illum alloquitur: cujus nomine conditam à se Familiam insignivit,
 O Bone JESU! bonorum omnium optimum, Deus & homo,
 Dei & Virginis Fili, hominis perditì Conditor & Redemptor!
 Audi filium iræ, & reo propitiare.
 Infanda mea acta ad rationem revoco:
 Tibi soli hæc spectanda exhibeo; quæ pridem solus spectasti.
 Erubescio divinis oculis tuis scelera mea objicere:
 Ne his tibi ruborem injiciam; averte faciem tuam à peccatis meis.
 JESUS es, qui peccatores recipis, & salvas.
 Bis tibi salutem meam debeo, bis meum Te Redemptorem adoro,
 A primigenia Adæ culpa me sanguine tuo abluisti:
 Gratia tuæ stolâ ornatum, rursus cæli fecisti candidatum:
 Cùm me ex scelerum meorum colluvie omnipotenti tuo brachio protraxisti,
 Ille ego malorum omnium pessimus:
 In quo nihil boni, nisi nomen lustrico è fonte haustum.
 Vix annos rationis attigi: & contrarationem demens vivere, imò mori cœpi.
 Sancto nomini meo, quod tot vitiis conspurcavi, injuriosus,
 Quidquid sanctum, piùmque est, averfatus, Hieronymus esse desii.
 Malus esse malui: ut cognominis mei mensuram implerem;
 Quod malitiæ cauterio notatum infelici omine gestavi.
 Nec satis mihi erat, malum esse: sic ab omni bono abhorruì;
 Ut bonus, cùm possem, fieri noluerim: sed maluerim esse pessimus.
 Mansissem pessimus, qui fueram:
 Nisi tu, ô abyfse bonitatis! fuisses; qui non vis mortem peccatoris.
 Elongavi me à Te: & tu mihi semper propinquus eras.
 Deserui Te; & Tu me gratiâ tuâ non deseruisti.
 Oblatam toties repudiavi: & indigno ultrâ contulisti.
 Irritavi justitiam tuam: cùm peccata peccatis cumularem;
 Triumphare voluit de me misericordia tua, qua abusus sum.
 Major erat iniquitas mea; quàm ut veniam mereretur:
 Nisi Bonitas tua malitiam meam excessisset.
 Servire te feci peccatis meis: ut mancipium fierem diaboli,
 Te Deum & Dominum meum negavi.
 Quàm immensa, & inexhausta benignitas tua!
 Viam iniquitatis cucurri, & inferno appropinquavi.
 Eadem manus tua, quæ me præcipitem fulminare debuisset:
 Ne in barathrum ruerem, clementer retinuit.
 Nec me tibi terga vertentem projecisti à facie tua:
 Sed peccantem tolerasti; ut faceres pœnitentem,
 Peccavi supra multitudinem arenæ maris:
 Et ne me viventem absorberet infernus; tu fauces illius conclusisti.
 Pœnitentiæ tempus nolenti pœnitere indulxisti:
 Quod Angelis tuis in cælo peccantibus negasti.
 Charior tibi fui sublimissimis Spiritibus tuis:
 Qui pœnitere nolui; ut peccare licentiùs, & te offendere possem.
 Non erubui patrare erubescenda:
 Et detestari nolui peccata mea: quæ jam me erubescere cœperunt,
 Infanda commisi, dicenda silui, reticui non silenda.
 Unicum misero, ad quod confugerem, salutis asyllum supererat,
 Sacrum pœnitentiæ lavacrum:

HERONYMUS MALLIBELLUS

Et hoc quadriennio integro subterfugi; ne sordes animi eluerem:
 Computrescere malui in peccatis meis, quàm mundari.
 Reconciliari tibi nolui: ut tuus inimicus perseverarem.
Averti me à te, & tu conversus es ad me: ut me mortuum vivificares.
 Noluidisti me æternùm esse miserum: qui æternùm felix esse nolui.
 Quid tibi, Bone JESU! in me placuit capitali hoste tuo?
 Placere non poterant peccata: nec aliud in me vidisti.
Tantum hæc tibi displicere debebant: quantum placere bonitas tua.
 Nil, quod meum erat: sed quod tuum, tibi in me placuit:
 Bonitas nempe tua, quæ malitiam meam infinitò superavit.
 Locutus es mihi per feminam: ut per feminam respicerem,
 Dum alios apostatate faciunt mulieres.
 Dedisti mihi melioris vitæ Magistram, ancillam tuam,
 Beatam Gentilem; Ravennatem viduam.
 Audii ab illa salutis monita: & qui pridem perire volui;
 Salutem meam deinceps curare studui.
 Odisse te, Bone JESU! desi: & tandem amare cœpi:
 Qui me prior, cùm hostis tuus essem, amasti.
 Cor contritum & humiliatum tibi obtuli:
 Ut tu illud gratiæ tuæ faceres habitaculum.
Elui pœnitentiæ lacrymis peccata mea: & ne post delenda committerem;
 Sacro tuo famulatu æternùm me devovi.
 Eandem ad aram, quoties sacrificaturus eram,
Toties me doloris victimam, te Deo Patri tuo amoris hostiam immolaturus.
 Contemplativi agnomen mihi vulgus imposuit:
 Tuum hoc donum fuit; ut à me alienus, in te raptus,
 Terrena omnia despicerem, te solùm & cælestia contemplerer.
 Insigne & illud arcanum Providentiæ tuæ erat consilium:
Ut famulam tuam dilectam Gentilem, matrem simul & filiam nactus,
 Ejusdem tuo jussu filius essem, & Pater.
 Illa me conscientia suæ arbitro usâ: quæ me cælo regeneravit;
 Parentem meam direxi in spiritu, quem ab ipsa concepi.
 Illius ductu arcana cordium penetravi, illusiones stygias detexi,
 Peccatores converti, inferno tot animas surripui.
 Illius subsidio Familiam Sacerdotum condidi:
Ædes illius in Ecclesiam verti, quæ ipsa vivum fuerat Dei templum:
 Sumptus exstruendæ fabricæ cælum submisit.
 Magistram Magistræ meæ Beatam Virginem Margaritam,
Legis meæ scriptæ habui Conditricem: hanc tu illi, Bone JESU! illa mihi dictavit,
 Ideo Congregationem meam à te, & sancta ancilla tua dici volui;
 Ut per observantiam Virgineæ legis tibi, Sponsæ Virginum, placerem.
 Confitentem me, Lector, audiisti & bonitatem JESU mei extollentem;
 Non desissem esse malus; nisi ille in me bonus fuisset.
Plangentem me scelera mea ad pedes Boni JESU sequere: plange tua,
 Et mecum cum bono JESU æternùm in cælis exultabis.



S. CAJE-



S. CAJETANUS.

*Stalus, Vicentiae illustri Thienæorum prosapia natus, Julii II. Papæ
 Prælati domesticus, desertâ aulâ proximorum salutem se impendit,
 Venator aninarum dictus. Ordinem Clericorum regularium, à Cle-
 mente VII. A. 1524. confirmatum crexit, qui Theatini à Joanne Petro
 Caraffa Episcopo Theatino, post Paulo IV. Pontifice dicti, Dei provi-
 dentie intenti, elemosynis sponte oblatis vivebant. Multis claris
 miraculis obit 7. Aug. A. 1547. æt. 60.*



S. CAJETANUS.

Hactenus cælum à Veritate æterna violentis,
 Diligentibus Deum ab ejusdem Veritatis præcone Apostolo promissum,
 Hodie etiam negligentibus patere docuit Cajetanus:
 Sui, rerumque omnium NEGLIGENS SANCTUS.
 Piam hanc negligentiam à pietissima Parente sua didicit:
 A qua vix mundo natus, neglectus erat.
 Nomen illi: Mariæ Porta; Cajetanus enixa,
 Nutricis munere fungi voluit: non mater esse.
 Aliam filio Matrem quæsit: quæ Mater est viventium, & Porta cæli.
 Abdicato maternitatis jure Cajetanus Deiparæ donavit:
 Ut MARIA Cajetani mater, Cajetanus MARIÆ filius esset.
 Nec hic stetere negligentis filium matris vota.
 Ut Cajetanus omnem mundi amorem negligeret: solius Dei amore astuaret;
 Seraphinum filio dari Angelum Custodem à MARIA petiit.
 Vah! quàm diligens hæc negligentia dici potest.
 Quid precanti pro neglecto suo Cajetano Genitrici:
 Quid dilecto filio suo adoptivo MARIA negare audeat?
 Seraphinum genium tutelarem impetraverit Cajetano Regina Seraphinorum:
 Cujus cor omni vita igne Seraphico flagravit.
 In pueritia puerorum crepundia neglexit: pietatem dilexit;
 Imò, quæ amat mundus, despexit omnia, ceu crepundia abjecit:
 Dùmque omnes, quæ sua sunt, quærunt; hic sua adhuc puer, pauperibus erogavit.
 Adolescenti candidissima avis advolans hæc verba accinuit:
Pax tibi æterna, mi Cajetane! hanc nunquam deperdes.
 Velatum sub alata volucris fuisse Angelum, quis ambigat?
 Angelicum hoc erat melos: Angelorum est, pacem precari.
 Næ ego Cajetanus Angelum Pacis hic inauguratum esse credam:
 Qui pacem nec inter adversa turbatus, nec elatus inter prospera unquam amisit.
 Capacissimum sinum habuit, in quo Pax cælestis perpetim hospitaretur:
 Generoso neglectu terrena omnia fastidivit.
 Scivit ignorantiam, errorum matrem dici:
 Christianæ Sapientiæ primum dogma esse, negligere ea, quæ mundi sunt.
 Ideo Philosophiæ, Jurisprudentiæ, Theologiæ sedulam operam impendit:
 Ut mundum fugere, Deum inquirere addisceret.
 Juris Utriusque lauream redimiri meruit:
 Præmium hoc erat ignorantium inertiam solerter negligentis;
 Qui neglectis omnibus statuit: quærere primum regnum Dei, & justitiam ejus.
 Neglectum vestium sibi acerbe exprobrantem aliquando Patrem audiit.
 Minimè hoc in Familiæ Thienææ probum cedere inquebat:
 Luxum se duntaxat negligere; ut sic plura ærario paterno superforent:
 Quæ pauperibus dispensentur, ne in iis Christus negligatur.
 Famæ, honorisque quàm diligenter negligens fuerit:
 Publica Vicentiæ, Venetiis, Romæ condita xenodochia contestantur.
 Ad pauperum hic pedes provolutus, leproforum ulcera mundavit:
 Abjecto Domini titulo mendicorum obsequiis se devovit, ut in his Christo serviret.
 Vaticanam aulam ipsam neglexit: ne inter sacros honores fumo arrogantiam afflaretur.
 Ipsum sacerdotium suscipere neglexisset, nisi veritus fuisset,
 Neglecto altaris ministerio Deum à se negligi.
 Sacris ad Præsepe Domini Romæ operaturus, ea vidit, quæ primum Angeli viderunt.
 Visa tum illi in mentis excessu Deiparæ genibus nixa, Filium suum adorare:
 Visus Hieronymus Bethlemita, sub eadem ara sepultus, è tumulo resurgere;
 Cujus precibus exorata Virgo JESULUM Cajetano obtulit.
 Dulcissimum hoc materni amoris pignus erat:
 Ut eadem Dei, & Cajetani Mater Filium suum Filio suo daret, Cajetano JESUM;
 Fratrem suum Filiumque MARIÆ stringeret JESU Frater, & Filius MARIÆ.
 Quàm facile omnia negligit: qui hunc cæli thesaurum ulnis suis amplectitur.
 Ideo Ordini suo à se condito Dei Providentiam præfecit, à qua sola gubernaretur:

LXXI
S. CAJETANI

Instituti sui sequaces, sui, & rerum omnium iussit esse negligentes.
 Vetuit, ne quidquam proprii, aut reddituum stabilium possiderent:
 Ne vitæ subsidia ab hominibus pro victu, & vestitu peterent,
 Oblatas sponte eleemosynas duntaxat admitterent, quas Deus submiserit.
 Nec difficile erat isthæc negligere: novit cæli alumnos nunquam à Deo negligi;
 Ab eodem cælesti promocondo pasci: qui dat escam pullis corvorum ad se clamantibus.
 Vixit sine omni solitudine, qui de se sollicitum in omnibus Deum habuit,
 Scivit se, suosque Deo curæ esse, & ideo absque curis fuit.
 Sic tamen neglexit omnia: ut curare omnia videri possit.
 Animas curabat unicè, quæ valent omnia, tantundem penè ac Deus:
 Idcirco animarum dictus est venator, sui ipsius dispendio, illarum stipendia facere solitus.
 Animarum lucro inhians, corpus suum neglexit, quod mancipii instar cecidit.
 Cùm ab hostibus Roma diriperetur, curarum expers perstitit:
 Nec sibi animi tranquillitatem eripi passus est.
 Carceres, compedes, verbera, famem lætus sustinuit.
 Cùm Urbs tota fletibus, & ejulatibus resonaret:
 Inter vincula cum suis canere, & Deo psallere auditus est.
 Alumnos suos doctos & sanctos esse, vitutem & scientiam diligere iussit.
 Ut sapienter, & diligenter omnia discerent negligere:
 Voluit suos ab honoribus ambiri, non honores ambire.
 Humiles esse voluit: quorum humilitatem novit olim honorandam.
 Sub humilitatis modio plurimos filios educavit:
 Qui purpurâ & infulis ornati, clarissima Ecclesiæ sidera refulsere.
 Denique vitæ suæ sic negligens erat, ut mortem non timeret, sed mors Cajetanum.
 Plures tumulo proximos morti abripuit: quos prodigiosè sanavit.
 Epidemica lue infectis ministravit, pro iis, vel cum iis moriturus.
 Tot funera conspexit, & mortem despexit:
 Mors ipsa negligentem se Cajetanum vidit; & cæca cæcum neglexit.
 Occidit tamen victima charitatis: tum mortuus, cùm mori voluit,
 Vivere ultrà noluit: quando vixit vitam morte acerbiolem.
 Ut seditiosæ Neapolitanæ plebis tumultus sedaretur:
 Mortem sibi à Deo expetiit; & tumultum impetravit.
 Eodem tumulo condita tumultuantis populi seditio,
 Et Cajetanus pro seditiosis mortuus.
 Nec alia mors Cajetani erat, quàm animarum amor, & Dei offensi dolor:
 Has perire, illius honorem lædi ingemuit.
 Cælesti visione recreatus ad cælum abiit: qui pro cælo neglexit omnia.
 Sanctorum consortio adlectus est: qui, cùm viveret,
 Ob morum integritatem & innocentiam à vulgo Sanctus appellatus est.
 Venerare, incuriosè salutis tuæ Lector, miraculis hodie è cælo coruscantem:
 Qui quondam in terris sanctæ negligentia exitit miraculum.
 Imitare Sanctum negligentem, disce, te & mundum negligere:
 Sic Deum, & cælum non negliges; nec te Deus, aut cælum.



VEN. AN



VEN. ANT. ZACCARIA BARTHOL. FERRARI, et JACOB. ANT. MORIGIA.

Nobili genere nati, Ille Cremonae, hi Mediolani: Divino ductu simul Congregationem Cleric. Regul. S. Pauli, vulgò Barnabitarum, Mediolani A. 1532. creaverunt; quam Clemens VII. A. 1553 approbavit, Paulus III. confirmavit A. 1555. Singuli in patria sua beato fine quieverunt, I. A. 1559. II. A. 1544. M. Nov. III. A. 1546. d. 15. April.



ANTONIUS MARIA ZACCARIA, BARTHOLOMÆUS
FERRARIUS, JACOBUS ANTONIUS MORIGIA.

Unum sibi Elogium hæc TRINITAS APOSTOLORUM,
 Individua in tribus Apostolici Spiritus unitas vindicat.
 Zaccaria septimo à conceptu mense in lucem editus,
 Natus celerius: ut animarum saluti citius matureceret.
 Filius unicus Matris suæ: qui plurimos Filios Dei gigneret.
 Ferrarius trimulus parentes amisit, nec orphanus fuit;
 Genitores ignoravit: ut unum in cælis Deum agnosceret Patrem.
 Morigia SS. Martyrum & Confessorum stirpe prognatus:
 Cum illustri sanguine sanctitatem Proavorum hæreditavit.
 Zaccaria Philosophiam, & Medicam, Jurisprudentiam Ferrarius,
 Rhetoricen, Mathesin, & Architectonicam Morigia calluit.
 Variis scientiis clarere oportebat, qui alios ad justitiam erudirent.
 Ut una in Triade scientiarum completa esset Universitas:
 Clericali instituto auctoratos Spiritus S. Theologos creavit.
 Zaccaria adhuc infans precari prius auditus est: quàm rectè loqui,
 Visus aliquando, cùm oraret, in sublime efferri.
 Terræ affigi corpore noluit: cùm mentem levaret ad Deum.
 Sapientiam Sanctorum, qua alios imbueret, è Christi vulneribus hausit.
 Ut illius se discipulum probaret, quem Crucifixum prædicabat:
 Jejunii, vigiliis, flagris, ciliciis carnem suam crucifixit.
 Præpositurâ se abdicavit: nunquam dignior, ut ad clavum sederet;
 Quàm dum aliis subesse voluit, quibus præesse meruit.
 Ferrarius pietatem materno cum lacte imbibit.
 Cùm oraret: non homo, sed hominis simulacrum erat;
 Corpore in terra immotus: animo affixus cælo, in Deum raptus.
 Bonis suis se exiit: ut nudus Christum nudum sequeretur.
 Magistratum admisit, aliorum imperio adactus, ut imperaret.
 A cibo, potu, somno abstinuit: ut caro Spiritui obtemperaret.
 Mysteria Passionis Dominicæ jugi memoria recoluit:
 Gratus pro beneficio, quod perpetem meretur gratitudinem.
 Morigia in adolescentia à cultu corporis elegans dictus:
 Vanus esse desiit, & animum virtutibus excolere cœpit; ut vir esset.
 Divam Magdalenam tutelarem sibi delegit:
 Contemplationi deditus, cum hac Crucis amassa pedibus Crucifixi adhæsit.
 Æstate, cùm sitiret: hyeme, cùm algeret: aquâ ignique sibi interdixit.
 Sui osor, mundi contemptor: amorem Crucis, sui que odium,
 Duos spiritualis structuræ cardines esse dixit, & exemplo docuit.
 Una in tribus Zelosa in proximum eluxit charitas,
 Perorantium è pulpitis quot verba: tot tela erant ignita;
 His corda peccatorum contrita, amore Divino succensa,
 Insubriæ Italiæque municipia & oppida percursabant:
 Ut mundum tunc rudem novi erudirent Apostoli.
 Ægrotos in Xenodochiis, in carceribus captivos invisabant:
 Lue epidemica afflatis ministrabant;
 Sic curabant miserias corporis: ut miserorum animas lucrarentur.
 Zaccaria frontem Civis Vicentini cruce signavit:
 Et signatus cor suum pietatis igne exardescere sensit.
 Reticens in confessione crimen occultum, id ipsum aperuit:
 Ne sacrilegè posthac proderè verecundaretur; quod patrare non erubuit.
 Adolescenti sano mortem è propinquo instantem:
 Hic vati suo animæ noxas revelavit; hodie pœnitens, postridie funus.
 Ferrarius nobilis animarum venator, plures nobilissimos Venetos,
 Suis cassibus irretitos ad religiosæ vitæ institutum perduxit.
 Ut egenis succurreret: sibi necessaria subtraxit.
 Virginibus de pudore periclitantibus ære suo subvenit.
 Ne venalem pecuniâ pudicitiam prodigerent:
 Sacra stipe propudiosum corporis quæstum redemit.

Bla-

LXXV

ANTONIVS MARIA ZACCARIA BARTHOLOMAEVS
FERRARIVS JACOBVS ANTONIVS MORIGIA

U

Blasphemos Apostolica libertate redarguit:
 Reprehensos vel elingues reddidit, vel criminis poenitentes.
 Morigia ab Apostolica charitate nomen *Patris amantissimi* indeptus:
 Agonizantibus indefessus adstirrit;
 Ut ultimum vitae momentum feliciter terminarent:
 A quo pendet aeternitas interminabilis.

Absumpta in pauperes penu domestica, erogandam stipem ab aliis mendicavit.
 Eadem Angeli & Apostoli a mittendo est notio nominis.
 Una in Triumviris his Apostolicis coruscet Angelis cognata virginitas,
 Angelicarum Virginum fuere Conditores.
 Plures in Italia Parthenones Deo subarrhatis sponsis erexere.
 Cum in prima liturgia Angelorum Regem Zaccaria Deo immolaret:
 Sacrificanti adstare visi sunt Angeli.

Angelus dictus: cum viveret; & post mortem se Angelum probavit.
 Mortuus opposita manu corporis partes nudari vetuit:
 Quas pudor virgineus velari praecipit.
 Ferrarius in carne extra carnem vixit, ut Angelus.
 Feminas quasi Sirenes averfatus: ne virginitas naufragaret,
 Naturam comis, tum pie saevit, cum pudicitiae discrimen immineret.
 Morigia Angelicam castitatem coluit, aliisque instillavit,
 Dicere solitus: castimoniae periclitanti unam in fuga superesse salutem,
 Nempe ne Angelus esse desinas: alatus esto ad vitanda pudoris pericula.

Consummato demum Apostolico cursu singuli ad Apostolorum consortium transiere.
 Zaccaria suam, matrisque mortem, & caelestem gloriam praesciit, ac praedixit.
 Longiori vita dignus aetatis anno 39. tertio nonas Sextiles obiit:
 Ut citius Apostolici Triumviratus primitias caelo inferret.
 Ferrarius natus annos 47. die 24. Novembris in terris vivere desuit:
 Ut beatorem in caelo vitam inchoaret.

Morigia in morte augeri sibi dolores petiit: ut gaudia sibi cumulareret,
 Crucem decussatis manibus efformans anno aetatis 54. expiravit.
 Ter felix Ordo! ab aeterno ordinatus:
 In tempore a Virginea Vate Archangela Panicarola praenunciatus.
 In caelo a Deo Triuno institutus, in terris a Triumviris Patriciis conditus,
 Mediolani inter arma conceptus: ut haereses, & vitia debellaret;
 Inter funera natus: ut animas peccatis mortuas resuscitaret.
 Sub auspiciis Doctoris gentium erectus: ut esset Apostolicus.
 Barnabitarum nomen a vulgo accepit: & vox populi, vox Dei erat,
 Nec vulgare, sed nobile hoc sacrae Familiae obtigit cognomentum,
 Fortuitum ab Ecclesia S. Barnabae: calitus inditum;
 Ut Paulum & Pauli consortem colerent, utriusque vestigia tererent.
 Triumviri Apostolici.



S. IGNA



S. IGNATIUS DE LOYOLA.

Cantaber, Loyola nobilissimo genere ortus, post aulica et militaria obsequia Catholico Regi impensa, novus Christi miles, Ordinem Clericorum regularium, quem Societatem IESU dici voluit, a Paulo III. A. 1540 confirmatum, Parisiis cum novem sociis auspiciatus, Romae instituit, quarto voto peculiari Apostolice Sedi adstrictum. Ethnicam superstitionem, et hæreses impugnavit, majorem Dei gloriam, animarumque lucrum in omnibus quaesivit. Magnis in Ecclesiam meritis, et miraculis refulgens obiit 31 Jul. A. 1556. ætat. 65.

65.



S. IGNATIUS DE LOYOLA.

Laudare Ignatium difficile, & periculosum: Sanctus delicatus est;
 In sui cultores beneficus: vindex contemptorum.
 Igne & aquâ à Deo multati interiêre, qui in Ignatio Deum contempserunt.
 Nisi condigno elogio celebretur, contemnetur Ignatius:
 Qui in unico puncto honoris sic hæsit; ut cederet nemini.
 Nota orbi est familiaris Ignatii tessera: *omnia ad majorem Dei gloriam.*
 Ignotum illud: quòd fuerit sine gloria
 SANCTUS GLORIOSUS:
 Tam gloriæ avarus, quàm gloriæ prodigus.
 Ut ortu suo Redemptorem suum imitaretur:
 Gloriosa habuit incunabula, in stabulo natus.
 Sibi ipsi gloriosum nomen imposuit:
 Recens in lucem editus infans, Ignatium se dici jussit.
 Agnata semper nobilibus cupido gloriæ,
 Hanc Ignatius genere & ingenio nobilis,
 In aula, & inter arma quæsit:
 Sed ibidem gloriam amisit, ubi invenit.
 Pampelonæ ex glorioso vulnere saucius decubuit,
 Ut saniori posthac quærendæ gloriæ studeret:
 Cùm ægrotaret, inglorius fieri cœpit.
 Mundi nauseam, virtutisque amorem Sanctorum vitæ suggestere.
 Horum gesta pervolvit, ut tempus falleret:
 Sed se ipsum fefellit Ignatius, & Ignatium Sancti.
 Ut ex profano aulico, & vano milite sanctus fieret:
 Hoc opus, hic labor erat Sanctorum omnium.
 Legendo Sanctorum acta, momento Sanctis omnibus factus est similis.
 Invisit ægrotantem Apostolorum Princeps, & sanavit:
 Multùm intererat Petri, Ignatium sanari, & initiari Apostolum,
 Novis tunc Apostolicis suppetiis eguit,
 Decumanis fluctibus jactata Ecclesiæ navicula.
 Successit Petro Deipara, ut novam Ignatius conderet familiam;
 Quæ Societas JESU, & MARIÆ esset.
 Mox sago posito militem exiit,
 Sub mendici sacco gloriosum Christi militem induit:
 Pro Dei gloria vitam & sanguinem daturus.
 Post appensa Aræ Marianæ arma bellica,
 Novæ militiæ tirocinium posuit in specu Manresana.
 Adhuc penè analphabetus librum hic scripsit Exercitiorum spiritualium,
 Vaticana ab Aula dilaudatum, toti hodiedum orbi utilissimum.
 Vidit sapius Divinissimæ Trinitatis mysterium:
 Scripsit de eo, quæ vidit, & didicit homini ineffabilia;
 Prius sublimis Theologus, quàm tiro Grammaticæ.
 Hac vir inter pueros imbui voluit, discipulus simul, & Magister:
 Discendo literas, pietate alios erudit.
 Viderunt coruscare Ignatii vultum commilitones:
 Magnùmque sub vili lacerna Sanctum latere cognoverunt.
 Sannas, ludibria, verbera, carceres, calumnias pertulit:
 Nihil his Ignatio acceptius, gloriari tum vilis;
 Cùm ad lucrandas animas pro Dei gloria dura quæque toleraret.
 Theologiæ gradibus insignitos novem Socios sibi Parisiis adscivit:
 Ut literati novi Apostoli secum omnes gentes docerent.
 In Monte Martyrum cum suis prima Deo vota nuncupavit:
 Rectè hic loci Societatem concepit, tot olim Martyrum Parens futurus.
 Romæ eandem enixus, Christi Vicario arctius devovit.
 Dictante Matre Increatæ Sapientiæ Ordini regulas præscripsit:
 Digito Dei exaratas affirmavit Pontifex, & approbavit.
 Uni Dei gloriæ intentus, Zeio suo minorem mundum invenit:

R

Ideo

S. IGNATIUS DE LOYOLA

Ideo Sociis mundum implevit universum;
 Qui hæresi, idololatriâ, vitiis plenum, his monstris evacuarent.
 Mundum extra mundum quæsit: dum Xaverium misit ad Antipodas,
 Sileat mundus innumera ab Ignatio sibi impensa beneficia,
 Reddat pro bono malum malus ipse, & ingratus.
 Maximum beneficium fuisse, inficari nequit; quod ab Ignatio Xaverium acceperit.
 Quæ ætas, sexus, aut genus hominum Ignatio non obnoxium?
 Sileant omnia, qui scienter hæc nescire volunt:
 Non filebunt materni uteri ergastulo clausi infantes,
 Ignatium Soterem suum: puerperarum refugium prædicabunt.
 En præpetem Ignatii Zelum! nondum natis salutem procurat,
 Ne Dei gloria, si bis morerentur non nati, periclitetur,
 Sileant laudes Ignatii mendaces filii hominum:
 Non tacebit Pater mendaciorum, tacentibus filiis.
 Eundem, quem Deus, infensum sibi hostem habuit Ignatius:
 Sed nec majorem Ignatio post Deum se habere hostem,
 Ex energumeno aliquando dæmon, vel invitus, asseruit.
 Sape à dæmone vapulavit Ignatius: sæpius dæmon ab Ignatio.
 Vel visa Ignatii icone Stygiæ larvæ hodie dum diffugiunt:
 Talis tantusque inferni, spectrorumque terror est.
 Nihil infestius arroganti spiritui demissione Ignatii:
 Licet hic tanta pro Dei gloria, suæ prodigus, exantlaverit:
 Tantam tamen dæmon Ignatii humilitatem fuisse;
 Quanta sua foret superbia, palam confessus est.
 Propitium se Ignatio & Sociis Romæ fore spondit Christus:
 Sed cruce onustus, nec sine mysterio.
 Romam semper faventem, Deo propitio, sibi habet Societas:
 Ast mixtæ favoribus cruces non desunt; ne JESU Societas esse desinat.
 Instituit Societatem Ignatius, & Conditor Societatis fuit Deus:
 Nec enim Ignatii, sed JESU Societas esse debuit;
 Pro cuius Nomine contumelias pateretur, & odio esset omnibus hominibus.
 Claruit miraculis Ignatius, clarissimum ipse Societatis miraculum,
 Ipsa Societas magnum Dei & Ignatii miraculum:
 Non tam quod omnia pro Dei gloria agat; quam patiatur.
 Audiisti, Lector, avarum Divinæ gloriæ Ignatium,
 Suæ & mundanæ contemptorem: audi nunc supremæ gloriæ prodigum,
 Cælesti gloriæ pro Dei gloria renunciavit:
 Terram cælo prætulit: ut plures animas in cælum adduceret.
 Ne salutis suæ incuriosum dixeris Ignatium:
 Quod alienam, propriæ incertus, curaret salutem.
 Sancta hæc fuit prodigientia: nec prodigientia; sed sublimioris gloriæ cupido.
 Qua ergo mercede Deus Ignatium remunerari potuit,
 Cui pro præmio nil aliud superest, quam cælum?
 Hæc Sanctorum omnium merces magna nimis.
 Alia si dari posset, aliam meruisse videtur,
 Gloriosus Sanctus sine gloria, qua se penitus abdicavit:
 Quæ illa? is solus noverit, qui Ignatium fuit præmiatus.





Patritius Venetus, Deiparae ope ex captivitate liberatus, et per castra hostilia incolumis deductus, patrimonio pauperibus erogato, variis pietatis operibus, inprimis orphanorum educationi se addixit. In castro Somascho Congregationem Clericorum regularium instituit: approbatam A. 1540. à Paulo III. confirmatam à Pio V. A. 1568. Miraculis, et dono prophetice illustris obiit die 8 Febr. A. 1557. æt. 56.



7. HERRONNUS 7. MILLIARES

[Faint, illegible text, likely a description or inscription related to the illustration above.]

EN. HIERONYMUS ÆMILIANUS.

Augurali nomine suo sanctitatem indicavit,
 Qui Hieronymus dicebatur: & aliquandiu Hieronymus non fuit.
 Prodigis cælestibus opus erat: ut sanctus fieret,
 Plurima editurus olim miracula,
 Primum ipse fuit: cum ex pessimo factus optimus;
Ex perverso in se reversus, ad Deum conversus, à quo longum averfus fuit.
 Unum illi nomen haud sufficit: aliud semper promeruit:
 Cum alius à se esse cepit.
 Elogium Hieronymi, Lector, scire aves? audi laudum EPITHETA:
 Fuit pius puer, juvenis impius, vir Sanctus.
 Æmiliano paterno sanguine Romanos Quirites:
Mauroceno materno Duces Venetos, & Reginas Hungariæ cognatos nactus.
 Tum primum aviti generis propinquos æmulari visus est:
 Cum malè gestis ab iis se elongare desiit.
 In prima ætate sapuit, in media desipuit, in ultima respuit.
 Puer Pietatem & literas coluit: ex utroque verè nobilis,
 Quamdiu virtuti scientiam sociavit.
Cum utraque divortium fecit: ubi positâ prætextâ togam sago commutavit.
 Marti sacramentum dixit: & Veneri stipendia fecit.
 Miles inter feminas inermis, inter arma effeminatus.
 Cupidini succubuit: qui manus cum hoste conferere statuit.
 Alios debellaturus, se vincere nesciit.
 Sed quem cæca libido devictum inter fulgentes acinaces exoculavit:
 Tenebricosa in specu Divinæ Gratiæ radius illuminavit.
 Expugnârunt Venetorum Castrum Novum Cæsareæ acies:
 Et animum Hieronymi Deus.
 Captus ab hoste in tetrum carcerem detruditur,
 Factus Cæsaris captivus: ut fieret libertus Dei.
 Vinculis oneratur: quibus ad Deum pertraheretur.
Mortem in horas opperiebatur: & mortis metus melioris vitæ spem ingessit.
 Morte & compedibus graviora vincula sensit,
 Dum conscientiam cauteriatam immania crimina onerabant,
 Hostem & tortorem tulit militem Cæsareum:
 Majorem hoc expavit, judicem Deum, & scelerum vindicem;
Ille Vitam corpori eripere poterat: hic animam mittere in gehennam.
 Ipso hoc ab igne Divini amoris flammam cor Hieronymi concepit.
 Detestari cœpit peccata sua, & dolorem lacrymis contestari.
 Illuminatus in squalidi carceris tenebris, in libertate sua cæcus.
 Opem miser à refugio peccatorum Deipara poposcit:
 Et propitiam expertus est Matrem Misericordiæ.
Tarvisanam Thaumaturgæ Virginis ædem se invisurum voto spondit:
 Mox Augusta ipsa Virgo Hieronymum invisit;
 Compedito claves porrigit, quibus pedicas & carcerem referaret.
Sic libertatem prodigiosè indeptus, vinculis animæ & corporis solutus est:
 Qui extra vincula sui ipsius captivus erat, & Veneris mancipium,
 Sed vix evitata charybdi in scyllam incidit.
 In Cæsareum exercitum offendit, imò in ipsam mortem.
Ut utrumque evaderet: Matrem invocat, quæ vitæ Assertorem genuit.
 Adest rursus invocata: & incolumem per hosticum ducit.
 Vidit hostes suos Hieronymus: non hostes Hieronymum;
 Eadem nempe, quæ lucem Hieronymo attulit Lucis æternæ Parens,
 Oculos hostium excæcavit Virgo terribilis, ut castrorum acies ordinata.
 Nec satis erat Gratiôsæ Matri, clientem suum bis morti eripuisse:
 Tarvisium tendenti, viam ignorantem se comitem junxit.
 O ter felicem Peregrinum Marianum!
Qui MARLAM viæ ducem, & sanctioris vitæ Magistram habere meruit.
 Ut muros Tarvisanæ urbis vidit Hieronymus:

LXXI

S. HIERONYMI

Videri desit Deipara; ab oculis, non à corde peregrini sui evanuit.
 Ad aram hie Sospitricis suæ Hieronymus voti fidem exsolvit:
 Ferreas compedes, libertatis suæ anathema tholo Virgineo suspendit,
 Vinculis hostilibus expeditus, novis se innexuit:
 Dum se devinctum, quoad viveret, MARIE devovit.
 Valere subinde jussit mundum, ne rursus immundus fieret.
 Variis pro Republica Veneta egregiè perfunctus muneribus,
 Sibi & mundo mori voluit ante mortem: ut sanctè viveret.
 Patrimonio egenis distributo, ex Patricio Veneto pauperum factus pater & pastor,
 Positis armis bellum vitii indixit: se impugnavit, & vicit.
 Calcatis mundi rebus, ad supremum virtutis fastigium conscendit.
 Orphanos in exstructis ædibus parentis instar alendos curavit:
 Ne parentibus orbatu Patrem suum in cælis amitterent.
 Impudicas mulieres lupanaribus eripuit, & è lupis agnas fecit:
 Quas olim deperibat, ne æternum perirent, pudoris curam habere docuit.
 Dæmonibus imperitabat, quibus aliquando servivit:
 Plurimos ex obsessis ejecit; stygis quondam amicus, post hostis juratus.
 Unico sexennio duodena pia loca erexit: & piis legibus instruxit.
 Clericorum Regularium familiam condidit:
 Cui nomen Somaschensis pagus vilis dedit; vix angustis finibus notus,
 Multis hodie Orbis partibus illustris.
 Humilia hæc religionis ortæ fuere incunabula:
 Mox instituti sui sequaces trecentos habuit, quos rexit;
 Omnes penè genere, & opibus conspicuos, quos exemplo suo attraxit.
 Opitulatus est indigis: cum de humano subsidio desperabant.
 Famem plurimorum paucis panis frustulis in gremio suo auctis sic sedavit:
 Ut abundè panis superforet, qui piè sumptus morbos fugaret.
 Orationis fervore erat candens, morum integritate candidus:
 Illà Deo, hac hominibus intimè conjunctus.
 Ad corporis sui comoda cæcus: ad sublevandas aliorum necessitates oculatus;
 Illud domabat sui osor acerrimus: his charitate perpetè invigilabat.
 Ægrotos crucis signo sanavit: sanos piis monitis firmavit.
 Prævidendo fuit verax: providendo velox, & ferax.
 Multa, quæ divinitus rescit, aliis prædixit: sibi mortem.
 Obiit anno ætatis quinquagesimo sexto: vixit annos duntaxat viginti quinque;
 Hos Dei obsequio consecravit: alios, cum mundo viveret, perdidit.
 Priusquam ipse è vivis decederet: corusca in cælo sedes, Hieronymo præparata,
 Innocenti cuidam puero, cum moreretur, à Deo ostensa fuit.
 Deniq; hoc laudum omnium esto compendium, quòd virtutum omnium fuerit compendium.
 Postremum Hieronymi Epitheton venerare Lector:
 Tanta in Deum, & proximum flagravat charitate;
 Ut, si charitas facie hominis exprimenda foret:
 Vultu Hieronymi effigiari possit.




S. J.



S. JOANNES DE DEO.

Lusitanus, natus in Monte majori novo: ex concione Joannis Avilae con-
 versus, Granatae pauperibus peregrinis, et infirmis colligendis Xenodochium
 instruens, initium dedit ordini de Hospitalitate seu Fratrum de Misericordia, post
 modum sub regula S. Aug. confirmato à Pio V. an. 1571. obiit Ioa. Granatae, 8. Mart. 1580.
 et. 55. C. Weyel sc.



S. JOANNES DE DEO.


Exoleta veterum Romanorum parcœmia,
 Trita pridem magnorum Dei Servorum tessera facta est:
 Horum nunc est; *fortia agere, & dura pati.*
 Illos evanidæ gloriæ cupido: hos Dei proximique amor fecit
 Fortitudinis & tolerantiae portenta.
 Tale prodigium se enixam fuisse gloriatur Lusitania:
 Dum Joannem mundo dedit, humili genere ortum, sed ad sublimia natum;
 Cælico omine, Divino cognomine insignitum.
 Quid divinius, quàm Deum, qui charitas est, charitate æmulari?
 Effigiem Joannis in Elogio spectata, Lector: in effigie lege Elogium Joannis;
MARTYR fuit PRODIGIOSÆ CHARITATIS.
 Vix nato cælestes Spiritus applaudere auditi sunt:
 Cui subinde adulto inter charitatis obsequia famulabantur.
 Vagiebat in cunis elinguis infans:
 Et sanctum in lucem editum esse Ecclesiæ campanæ proclamabant,
 Occulta Angelorum manu compulsatæ.
 Futurum hunc aliquando Ecclesiæ militantis columnam.
 Colossus igneus & lucens præfagiebat,
 Supra ædes paternas, cum nasceretur, ab omnibus conspectus.
 Octennis à paterna domo abductus est: ut adhuc, vivis parentibus,
 Orphanus Deum in cælis Patrem, Deiparam matrem suam coleret.
 Tribus penè lustris pastoritiam vitam duxit, alter Israël:
 Ut pro Rachele sibi olim Crucem, quæ Martyrum sponsa est, desponsaret.
 Pascebat pecora, pauperum quondam greges pasturus.
 E pastore factus miles: sacrationi post militiæ nomen daturus.
 Suspendio innocens necandus erat: Dei ope discrimini eripitur.
 Infamis ligni supplicium evasit, nobiliori innocentium supplicio destinatus:
 Crucifixi miles nobilissimus, Crucis candidatus.
 Regem, Reginamque Martyrum sæpe videre meruit:
 Ab utroque incruentus charitatis Martyr initiatus.
 Inter plurima mortis pericula primum subiit martyrii tirocinium:
 Cum de equo ferociente excussus, à Deipara erigeretur,
 Frigidæ potu oblato semianimis à Matre viventium refocillatus.
 Hostes cum fugeret, sæviorem in hostem incidit:
 Dira fame cruciatum spiritus & sensus defecere; non cælum:
 Allato inde pane vinoque humi prolapsus reficitur.
 Navi vectus gravem tempestatem unica salutatione Angelica sedavit.
 Jonam se esse professus, cujus causâ naufragium cunctis immineret:
 Jam jam projiciendus in mare salvare jussit **MARIAM**,
 Et salutem omnibus invocata Stella Maris reddidit.
 Puellum aliquando nudipedem humeris sublatum portavit:
 Et gravissimum gigantem à se ferri sensit.
 Is ipse erat: qui in Evangelio jugum suum suave, & onus leve dixerat.
 Aptandi sic erant Joannis humeri bajulandis olim pauperibus:
 Quos non modò graves, sed & ingratos esset experturus.
 Fatiscens hoc sub pondere, sudore diffluens, in fontem offendit:
 Levaturus sitim, cælestem sarcinam tantisper deponit;
 Nescius à se fontem vitæ gestari.
 Abeuntem Divinus infans alloquitur:
 Malum Punicum, Crucemque è pomo coruscantem ostentans,
 Charitatis Martyrem his vocibus auctorat:
Joannes! Granata crux tua erit.
 Dixit, & evanuit Puer: maloque ampliùs erubuit Crucis candidatus.
 A Deipara aliud, quod supererat, Martyrii insigne suscepit.
 Ab eadem spineâ coronâ capiti impressâ redimitur:
 Quam quotidie corollâ precatoriâ venerabatur.
 Dolorem quidem senserat Martyr coronatus:

S. JOANNES DE DEO.

Sed sp̄nas pro rosis, & floribus habuit, quas Virgineæ manus imposuere:
 Granatam ergo advolat ad destinatam sibi cælitus Crucis palæstram.
 Differentem de cruciatibus Divi Sebastiani audit Joannem Avila,
 Et Divini mox amoris telis confixus, mente excidisse visus est.
 Novum martyrii genus concepit, ut sui ipsius tortor esset:
 Nobiliorem animæ partem aggressus, rationis expertem se finxit.
 Amore Dei amentiam simulavit: ut mundi sapientiam confunderet.
 Compeditus ad insanorum valetudinarium raptatur:
 Quem amor vinculis strictum suum fecit captivum.
 Flagris quotidie cæditur ut amens: qui cædi voluit ut amans.
 Inter verbera curatori neglectum infirmorum & avaritiam exprobravit:
 Delirantis verba habebantur, quæ amor pauperum eloqui jussit.
 Redditus sibi subinde credebatur, & dimittitur, qui nunquam mentem amisit.
 Inops animi videri voluit, inopum pater futurus.
 Plura pauperibus, peregrinis, & infirmis xenodochia exstruxit:
 Auctori Ordinis de Hospitalitate, vulgò Fratrum misericordiæ dicti,
 Deo misericordiarum Patre sumptus prodigosè suppeditante,
 Quot opera charitatis exercuit: tot subiit genera martyrii.
 Insanabilia ægrorum ulcera lambebat, & sanabat.
 Eadem nempe charitas, quæ Joannem fecit Martyrem:
 Linguam Joannis fecit Thaumaturgam, qua infirmis mederetur.
 Pauperis pedes abluit: & Christi pedes lavit.
 Domo absuit: & absentis vultum indutus Angelus domûs ministeria implevit.
 Raphaëlem Archangelum custodiæ suæ deputatum habuit divinitus,
 Sæpe hunc vidit, sæpe huic collocutus, Raphaëli ipse penè Raphaël.
 Cùm infirmos domum deferret: ne fatisceret, eundem adiutorem oneris nactus est.
 Deerat panis: quem cælesti è penu mox idem Tutelaris Joanni attulit.
 Transiisse Joannem per ignem & aquam constat: quis Martyrem fuisse neget?
 Insensibilem, & innoxium fecit charitas igne & aquâ probata.
 Ad accensam sub dio lignorum struem arcendo frigori perstitit:
 Nec ipse denso imbre contactus, nec rogos extinctus.
 In aquas prolapsus ex undis Angelus sæpius incolumem protraxit.
 Depascente Granatense xenodochium sævo incendio,
 Periculo infirmos subducit, igni involvitur:
 Horæ dimidiæ spatio undique flammis circumdatus, salvus evadit.
 Sic nimirum sui prodigum, & prodigiosum charitatis martyrem ignis revereri debuit.
 Simulacrum Crucifixi Redemptoris, ut corde sic manibus jugiter gestavit:
 Sacro hoc Charitatis Symbolo inveteratos peccatores plurimos ad Deum convertit.
 Moriturum invisit Deipara cum Raphaële, & dilecto Christi discipulo Joanne:
 Frontis illa sudorem absterfit, & ad requiem æternam invitavit.
 Genu utroque flexus, Crucifixum amplectens, JESUM ingeminans obiit.
 Eodem situ corporis mortuus mansit, cælestem fragrans odorem,
 Ab eodem Rege Martyrum prodigiosæ charitatis Martyr in cælo coronatus.



BERS





BERNARDINUS RUBIANENSIS.

*Rubiani natus, austeræ vitæ sanctimoniâ clarus, congrega-
tionem Eremitarum regularium A. 1552. erexit, qui à colle Cala-
bricæ Coloriti dicti, jussu Pû V. A. 1568. regulam S. Augustini am-
plexi, vota prima A. 1591. publicè emisere. Ordinem in regno
Neapolitano dilatatum Clemens VIII. confirmavit.*



HERZOGTUMS BAYERN
Beschreibung der Landeshauptstadt München
von Johann Baptist von Süssmilch
1749

BERNARDINUS RUBIANENSIS.

Hic novæ Eremiticæ Familiæ Conditor in abscondito vixit:
 Ut laudes fugeret, in solitudinem confugit;
 Ideo mundo incognitus, sibi & cælo soli notus est.
 Nōsti, Lector, antiquissimum sanctæ eremi encomium?
 Cælum terrestre à Sanctis compellatur.
 Si Eremitus cælum: quid Eremitæ cultor Bernardinus?
 HOMO CÆLESTIS.
 Eadem agunt carne exuti beatissimi cælites:
 Quæ carne vestiti solitudinis incolæ.
 Illi Deum vident, & amant: imò ideo amant, quia vident;
 Hi Deum non vident: & quem non vident, amant.
 Idem utrisque amor, sed ex diverso fonte scaturiens:
 Illis ex visione; his ex fide.
 Nec horum cæca est fides, quam amor facit oculatam:
 Deum videre, se credunt; quem amant.
 Illi Deum laudant in cælo extra mundum positi:
 Hi laudant in mundo, sed mundum animo egressi;
 In patria illi, isti in exilio, ejusdem regni cum ipsis hæredes.
 Uno amoris vinculo obstricti sunt: utrique vinculati, & liberi.
 Liberè illi Deum amant, quem non amare non possunt:
 Isti Deum liberè amant, quem amore dignissimum non amare non volunt.
 Solus amari vult Deus: nec corrivalem patitur;
 Ideo Deus solitarium, & Deum amat solitarius.
 Ideo solitudo amoris Magistra,
 Beatum adhuc in terris facit solitarium.
 En! quàm unum idémque sit elogium Eremitæ, & Bernardini.
 Ut beatis cælitibus similis fieret, solitudinem adamavit.
 In hac intra se Dominus vixit, extra se servus:
 Sibi imperavit, & Deo serviit.
 Postquam omnia sub sua haberet potestate: se ipsum sibi subjecit,
 Pedibus mundum calcavit, corde cælum attigit.
 In abyfso nihili sui latere voluit:
 Et humilem Deus ad se exaltavit.
 Sancti nomen à vulgo indeptus est:
 Quod sibi ab austeritate vitæ conciliavit.
 Hominem viderunt: num verus homo sit, homines dubitarunt.
 Hominis instar non vixit: ideo hominem cælestem venerati sunt.
 Hoc inter Bernardinum & cælites discrimen intercessit:
 Quòd isti dolorum expertes; ille ultra doloribus se ipsum afflixerit,
 Imò par utrisque fuit beatitudo, licet dispar conditio.
 Illi immortales æterna inter gaudia beati, doloribus obnoxii esse non possunt.
 Hic mortali in carne spontaneos inter cruciatus beatus fuit;
 Cujus unicum gaudium: amore Dei se cruciare.
 Quid tam cæleste: quàm regale Sacerdotium?
 Quid cælis altius? Sacerdos regibus major,
 Minister Dei altissimi, solo Deo minor.
 Sacerdotali insignitum dignitate Bernardinum cælestem dici hominem nemo miretur:
 A pietate hoc cognomen accepit, qua cælitis instar in terris extra homines vixit.
 Homines deseruit: ut in deserto homo non esset;
 Qui inter homines fieret homo, & sacerdos esse desineret.
 Displicuere homines Bernardino: placuit solitudo, & solus Deus;
 Ideo Deo & solitudini Bernardinus solitarius placuit.
 Nullibi tutior integritati animi statio, quàm in solitudine.
 Angelorum puritatem æmulari decet sacerdotem, si assequi non liceat:
 Naturâ illis inferior, dignitate est felicior:
 In cujus manibus Angelorum Dominus,
 Idem Dei & Virginis Filius quotidie incarnatur.

Latebat

Latebat in solitudine Bernardinus: nec, dum solus erat, solus esse poterat.
 Aberat à mundo: & Deum è cælo, cælumque cum Deo ad se attraxit.
 Frustra quæsit latebras: quem fama sanctitatis divulgavit.
 Privato illi esse non licuit, quem virtus publicum fecit.
 Mansit tamen solitarius: non solus.
 Plures nactus est socios solitarios, quibuscum vixit solitarius,
 Ut in eremo plures homines faceret cælestes.
 Etiam in privata eremo factus est publicum virtutum oraculum.
 Facundum in silentio audiére discipuli Magistrum, muti mutum:
 Moribus loquentem, vitam cælestem vivere edocti.
 Hoc nempe solitariorum idioma est:
 Cùm silent, solique Deo colloquuntur;
 Disertissimè loqui audiuntur.
 Sedem suam in colle Calabriae fixit Bernardinus:
 A quo cognomen Coloritorum Eremitis hinc accessit.
 Sunt sui virtuti colores: nec tamen colorata est.
 Est sine fuce, non sine luce & umbra:
 Lucem à veritate commodat, umbram affectat humilitatis.
 Tantò semper clarior, quantò avidior, ut lateat.
 Perstrinxit hac virtutis suæ luce humilis Eremitarum Auctor
 Dominam collis Coloriti, Principem pientissimam Bisigniani:
 Et collis dominium cum fundis & Basilica Deiparæ ab eadem accepit,
 Feliciorem se longè tum fore Princeps rata est:
 Cùm loci dominio se abdicaret, illique hunc cederet;
 Qui cælitibus supparem vitam vivens fundum suum in cælum verteret.
 Dominus Coloriti clivi factus Bernardinus,
 Servus idem Dei, & Eremita persistit.
 Præerat Congregationi suæ, diu nulla lege obstrictæ.
 Exlegem se pridem fecerat amor:
 Qui nullum novit habere modum.
 Ea tamen liberè amantium Deum conditio est:
 Ut vincula sibi injici non sinant;
 Nisi quæ sponte subeunt.
 Regulares Eremitas esse, & Coloritos dici voluit Pius V.
 Et sacras solemnium votorum compedes ultra amplexi sunt,
 Regulam S. Augustini servandam accepere,
 Primi in Africa Eremitarum Conditoris.
 Legislatorem suum posthac Augustinum venerari cœperunt:
 De cujus lege Eremitæ essent Augustiniani,
 Ex Bernardini instituto homines cælestes:
 Dilatata per Italiam Familiâ è terris migravit Bernardinus,
 Continuaturus æternam cum cælitibus vitam,
 Quam in terris homo cælestis auspiciatus est.






S. PETRUS DE ALCANTARA

*Hispanus, nobilibus parentibus Alcantarae natus, annorum 16 juvenis
 Ordinem Minorum amplexus primærum S. Francisci institutum reparavit
 Dei ope et Apostolica auctoritate adjutus ad Indias usque propagavit. Con-
 pus suam diè afflictabat. Reformato Ordini, quem Paulus IV. A. 1557. con-
 firmavit, nomen de strictiori observantia indidit. In vita, et post mor-
 tem plurimis claruit miraculis. Obiit die 18. Octobr. A. 1562. æt. 63.*



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



S. PETRUS DE ALCANTARA.

Sæpe, Lector, Evangelicum paradoxum audieris:
 Quemque tum verè se amare; cum se oderit.
 Num oraculo huic obaudieris: tu tibi iudex esto, & testis.
 Lege Petri Elogium: & qui te odisse debeas, ut ames, addisces.
 Hic individuo nexu amorem suimet odio sic conjunxit:
 Ut idem sibi fuerit perpetuus HOSTIS & AMICUS.
 Illustri genere natus, natales suos averfatus, ut illustraret:
 Sanguinis nobilitati, nobilique venustissimi corporis formæ
 Animi puritatem, studiùmque pietatis prætulit.
Ab infantia, penè nunquam infans, sanctitatis futuræ indicia edidit.
 Annis puer, viros canos virtute adulta antecelluit.
 Orationi mentali, & vocali sic deditus erat:
 Ut vel precibus diem exæquaret; vel precatione brevior dies esset.
 Sæpe cibi omnis immemor prandium cænamque intermisit:
 Ut dulci orationis pabulo animam nutriret.
 Mysteria Dominicæ Passionis quotidie meditabatur:
Hac è Crucis cathedra Servatorem suum morientem audiit Magistrum
 A quo docilis Crucifixi discipulus sanctè se odisse, & amare addidicit.
 Annum unum supra tria ætatis lustra emensus,
 Deo vocante, infans parentibus in Divi Francisci familiam assumi voluit
 Perbene gnarus, nisi Patrem & Matrem odisset:
 Dei amicum se nequaquam fore, plus se Deo, quàm istis debere;
 His mortale corpus: illi animam immortalem ferre in acceptis.
Nempe per calcatos etiam genitores pia crudelitate ad Deum illi evolandum:
 Quem è mundo ad Crucis labarum cælum evocat.
 Rectè Ordinem Seraphicum, nobilissimam Crucis palæstram, elegit:
In quo tot vivi degunt crucifixi, quot sibi mortui Francisci alumni,
 Regulam Divi Parentis sui pro pupilla oculi habuit.
 Quot in ea literarum apices scriptos legit:
 Totidem sancti sui ipsius odii, amorisque praxes exaratas vidit.
 Corpori suo perpetuum indixit bellum: ut perpetuam animi pacem indispiceretur.
Simulata hæc erat hostilitas: clam cum hoste fœdus amicitiae paciscebatur.
 Omnem illi quietem negavit: ut aliquando æternum quiesceret.
 Carnem suam odisse visus est, quam jugiter excruciauit:
 Nunquam illam tenerius amare potuit, ac cum sic odit;
 Ut olim in mortuorum anastasi gloriosior resurgeret.
 Cæcus amor est: ideo ut se amaret, cæcus esse voluit.
 Oculos ceu latrones persecutus, ne animam deprædarentur:
 In terram jugiter conjecit; omnem spem prædæ iis surripiens.
 Ne aditus hosti pateret: has mortis januas semper occlusit.
 Annis quadraginta muliebrem vultum nullum inspexit.
Basiliscum novit esse feminam: quæ visa intuenti venenum afflat.
 Imò totidem annis neminem confratrum suorum de facie novit.
 Singulos è voce distinxit: auditum visui suffecit.
 Libuit sponte esse cæco: cui non licuit esse furdo.
 Nudus amor est: pauper & nudus erat, ut se amaret.
Vilissimam tunicam usus, quæ nec frigus arcebat, nec calorem mitigabat.
 Hac amictus, vix tectus, penè nudus apparuit.
 Octo religiosæ vitæ lustris nullum capiti tegimen admisit:
Domus, forisque, æstate & hyeme, quavis aëris intemperie discoopertus incessit.
 Deum sibi semper, & ubique præsentem intuitus:
 Non decere, inquiebat, servum coopertum Domino suo adstare.
 Sæpe tot dies jejunii habuit, quot hebdomas.
 Radices & herbæ cibus, lautitiæ pisa & fabæ, condimenta cinis & aqua erant.
 Nec his esuriem extinxit: escam admisit, qua ægrè viveret, & morti illuderet.
Dulcior illi cibus fuit panis Angelorum: nec nisi Christi vulnera sitiebat.
 Cellam angustam incoluit, quinque pedes longam,

LXX

S. PETRUS DE ALCANTARA


Demissam adeò: ut erecto corpore stare nequierit.
 Carcerem fuisse veriùs dixerim: nisi novus geometra Petrus fuisset;
 Qui angusta hac statione amplissima cæli spatia,
 Et augustissimam gloriæ suæ sedem adhuc in terris dimetiri voluit.
 Corpus suum sic laniavit: ut carnem penè omnem amiserit.
 Quot in eo vulnera, tot ora erant, quibus sui odium, Dei que amorem prolocutus est.
 Omnia sibi negaverat: nihil Deus Petro negare poterat.
 Edocta hoc cælitus S. Teresa, quemque certum esse iussit:
 Nihil à Deo Petri nomine petiturum; quin protinus exaudiretur.
 Audiri semper à cælo meruit: qui ad omnia surdus erat, quæ caro & mundus suggerit.
 Imperio Petri elementa Deus subiecit: Petrus carnem, mundum, & se ipsum sibi,
 Toto corpore, quod afflictabat, sæpe sublimari, & coruscare visus est.
 Cælestia tunc meditabatur animo: & indignam se terra reputabat;
 Quæ à Petro, cùm spiritu in Deum raperetur, contingeretur.
 Iisdem pedibus, quos jugi nuditate cruciabat, trajecit fluvios.
 Undas Petri instar calcavit: nec ut Petrus mersus; quia nec timuit, nec dubitavit.
 Ignem ingressus, flammam compescuit: ab igne, quem contrectavit, intactus rediit.
 Aër copiosos nivium floccos condensatos tecti instar sustentavit:
 Ne sub dio commorantis Sancti caput opprimerent.
 Arcana cordium penetravit, futura vaticinio spiritu prævidit.
 Prophetam fecit perpes oratio & mortificatio.
 Intimè Deo unitus omnia resevit ab omniscio.
 Aridum scipionem humi defixum in ficulneam vertit:
 Mox illa fructibus turgebat, priusquam floreret.
 His tum fementes socios prodigiòse recreavit:
 Eadem hodie dulcissima poma profert, regie mensæ delicias, ægrotorum panaces.
 Spiritu, quem edomita carne à S. Patre suo hauserat, sic abundavit:
 Ut eodem alios copiosè repletet.
 Difficile opus tum aggredi visus est: cùm suam Familiam reformaret.
 Imò facile erat: sibi similes suos esse voluit, & fecit exemplo suo.
 Ut suimet singuli essent hostes & amici:
 Rigorem regulæ à Seraphico Legislatore dictatæ servare omnes docuit.
 Reformatus sic sancto sui odio & amore Ordo, verè perstitit Seraphicus.
 Inchoatus in Hispania: sed angustior illi erat Europa;
 Ideo in alterum orbem invehit, per vastissimas Indias propagari debuit.
 Inter amplexus pendentis è Cruce Servatoris obiit: cui similis vixit.
 Morituum inviserunt Sancti, mox Sanctorum contubernio fruiturum.
 Abeuntem in cælum magnum suum in spiritu Magistrum vidit Teresa.
 Rediit è cælo ad Teresiam Petrus, suæ gloriæ præco:
 Quam perpe te pœnitentia, & internecino odio sui in terris sibi mercatus est.
 Applaudere Petro, Lector: & si ad supernam gloriam aspiras,
 Spiritui carnem subjuga: tuusmet esto hostis, & amicus,
 Tantùm te amaveris, quantum oderis.



LUDC



*Belga, ex illustrissima comitum Blesensium familia: ordinem S. Benedicti
 amplexus in monasterio Lætiensi. Abbas illius eligitur annò 1550. Religio-
 sis suis laudatissimum vivendi modum præscripsit, approbante Paulo III.
 annò 1545. virtutibus, ac libris clarissimus obiit 7. Jan. annò 1566. ætat. 59.
 C. Weigel. ecc. 70.*



LUDOVICUS BLOSIUS.

Jucundum, Lector, de Lætiensi Abbate exspectas Elogium?

Tralatitium est: & nulli, nisi Ludovico proprium;

Desumptum à tumulo, in quo sacra ejus ossa quiescunt: & ipse adhuc vivit.

Felicem se tum sensit Lætia, ex Gallico suo etymo facta *Sedes Lætia*:

Cùm Blossianæ virtutis fulgore resplenduit.

Agè ergo, & mecum marmorei loculi latera quatuor perlustra:

Inarata totidem scalpro Phidiæ è Siracide lege encomia.

Nec digniorem encomiasten nancisci potuit Siracidi similis.

Talem à morte is effigiavit, quot verbis, tot vivis coloribus: qualis vixit.

Imò vivum delineavit: ac si nondum mortuus, etiamnum viveret.

Quatuor mundi partibus alba quatuor scutula ostentat sepulchrum.

Umbonem dixerim Siracidis: è quo universo orbi virtutem Ludovici evulgat,

Orientem respice, & verba Ecclesiastici expende:

IMPLETUS EST QUASI FLUMEN SAPIENTIA. *cap. 47. v. 16.*

Ad occasum convertere: en aliud ejusdem oraculum!

IN VITA SUA SUFFULSIT DOMUM. *cap. 50. v. 1.*

Septentrionem inspice: en sacrum lemma!

DE OMNI CORDE SUO LAUDAVIT DOMINUM. *cap. 47. v. 10.*

Reflecte oculos ad meridiem: en postremam epigraphen!

HABEBIT LAUDEM, ET INTER BENEDICTOS BENEDICETUR. *cap. 24. v. 4.*

Nobile genus, ingenium nobile indeptus: utrumque bonum adventitium;

Illud avito Majorum sanguini, hoc Auctori naturæ debuit.

Ut se ipsum nobilitaret: à puero pietatem & literas coluit.

Nempe quantò literatior, tantò semper honoratior nobilitas est.

Ut nobilium ingenuas artes addisceret: aulam pro palæstra habuit.

Fuit ab obsequiis Carolo V. Belgarum Principi,

Romanorum subinde Imperatori, Austriaco Herculi.

Placuit Carolo generosa ephebi sui indoles:

Ephebo juvenilis ætatis, & aulæ illecebrosæ displicuere crepundia.

Prævidit in puero virum, & penè jam Abbatem vidit Carolus;

Quem sibi Lætiensium insula & pedum exambirent.

Admiratus est in juvene mores integros & maturos:

Plùs aliquando admiraturus invictam adulti constantiam;

Qua oblatos postliminiò à se Cæsare sacros honores contemneret.

Nesciit tum sagacissimus Princeps, se in honorum contemptu Ludovici secuturum vestigia,

Imperii coronâ se olim abdicaturum: uti ille insulas Cameracenses repudiaturus erat.

Ephebos egressum Filium ad militiam destinabant parentes:

Quem Deus præelegerat: ut sibi sub Crucis vexillo militaret.

Inopinum homines dixerunt fatum, quod arcanum fuit Numinis sacramentum.

Graviter in capite vulneratus est Ludovicus: ut ad saniora animum flecteret consilia.

Incidendam vulnus erat: & quod sectionis genus arrideret, ex Ludovico chirurgus quærit;

Crucis Burgundicæ formam servare jubetur.

Ludere tum, & joculari visus est Ludovicus: & sibi illudit.

Decussatim plaga ferro inciditur: & cor sibi vitali vulnere sensit à Deo fauciari.

Crucem capiti chirurgus, Deus cordi amorem crucis impressit.

Ut post curatum capitis vulnus fauciati animi curaret plagam:

A Caroli castris ad Christi labarum transiit.

Ætatis annum decimum quartum nondum emensus, Lætiensi in cœnobio se abdidit:

Adscitus in Familiam Divi Benedicti, tanta mox virtute refulserat;

Ut jam in tirocinio veteranum saperet cœnobitam.

Nuncupatis religiosis votis Lovanium ad addiscendas severiores literas missus,

Hoc ex fonte bonarum artium Sapientiæ flumen hausit, qua subinde redundavit.

Præ aliis pluribus principes tres linguas calluit, Latinam, Græcam, Hebraicam:

Ut uno ore gentes plures alloqui, & audire posset.

Rediit Lætias ex Lovaniensi Academia, ipse jam scientiarum factus Athenæum.

Tot opera ascetica & polemica paucis annis typo vulgavit:

Ut numero & pretio Bibliothecam sacram adæquent.

LUDOVICUS BLOSIUS.

Omnium gentium applausu excepta, plurimis linguis versa,
 Spiritu Dei exarata, ex Europa in Indias usque translata fuere.
 Nondum sacerdotio initiatus Abbatis decrepiti Adjutor eligitur:
Jam tum arâ dignus, pedoque maturus erat; virtute & sapientiâ ætatem supplente.
 A morte Antecessoris Latiensium Abbas esse jussus:
 Religiosam domum suam suffulsi;
 Cùm collabentem regularem disciplinam restauraret.
 Binis hanc fulcris erexit: calamo & exemplo, orationi & lacrymis insistens.
 Speculum Monachorum scripsit, in quo se ipsum descripsit.
Legendum hoc suis proposuit, in quo Blossum viderent, & Monachi virtutem discerent.
 Reticuit in eo nomen Blossi, & Daeryani suffecit:
 Lacrymantem se vocavit; qui dyscolorum cœnobarum mores deplorabat:
 Ut lacrymis suis indurata suorum corda emolliret.
 Tum se primùm felicem Latiensium Abbatem esse credidit:
 Cùm vindicatâ Benedicti regulâ suos reformâset.
 Corde & ore jugiter Deum laudavit, semper cum Deo, vel de Deo locutus.
 Nec alia de Deo scripsit: quàm quæ à Deo sibi colloquente audiit.
 Sacris Divi Ignatii commentationibus se exercuit, suosque exercitari voluit.
 Plurimum profectûs se his debere confessus:
 Suum & Ignatii spiritum in illis expressum vidit;
 Utrumque indissolubili nexu in se adunavit.
 Suspexit Ludovicus Ignatium, & ab Ignatio conditam Societatem:
 Ludovicum suspexit Ignatius, & Ignatii Societas.
 Eodem calamo, quo hæreticos Ludovicus impugnaverat,
 Societatem ab Orthodoxis etiam injuriosè lacesitam propugnavit.
 Multum Societas JESU debet calamo Ludovici:
Nec aliâ pennâ illi grates rependere, aut laudes concinnare valet, quàm Blossianâ.
 Optaverat Ignatii Sociis in Belgio instrui Collegia:
 Et voti compos factus est; dum post ejus decessum diffusa ibi Societas,
 Ludovici Posteris arctissimo charitatis vinculo hodie conjuncta degit.
Vix natam Societatem, ceu Ecclesiæ Benjaminum amplexa est Benedictina Familia:
 Quidni Ordinum facilè antiquissimus eandem hodie adultiorem,
 Sibi semper similem, etiamnum fovere pergat?
 Mortem suam præsciit Ludovicus, & à Deo precibus impetravit.
 Vitæ longioris pertæsus erat: cùm fidei excidium prævideret.
 Imminebat Belgio Iconoclastarum furor:
 Ne ardentis patriæ, & exustarum Ecclesiarum fumus pios oculos impiaret:
 Hos somno mortis claudi voluit; & obdormivit in Domino.
 Beatum & cælestem virum veraciter is compellavit:
 Qui Ludovici vultum aliquando solis instar splendescere conspexit.
 Laudatur hodie in terris, qui Deum hodie laudat in cælis.
 Vivere desiit: in libris suis, ceu totidem liberis, etiamnum superstes.
 Vivit Latiæ Parens in Filiis, Benedictinæ disciplinæ restaurator.
 Vivit in cælis inter Dei Benedictos benedictus.





S. PHILIPPUS NERIUS.

Hetruscus Florentiae natus. Romae literis eruditus, Sacerdotio ex obedientia initiatus, totum se procuranda saluti animarum impendit. Angelo in specie pauperis elemosynam dedit: ab eodem e fovea profunda ereptus, Virginitatem perpetuam servavit. Castitatis cultores ex odore, impuros ex fetore agnovit. Oratorum Congregationem instituit, a Gregorio XIII. A. 1575. confirmatam. Dono prophetiae et miraculorum a Deo illustratus, obiit die 25. Maji, A. 1595. aet. 80.



Portrait of a man in 18th-century attire, likely a member of the Pfeiffersberg family.

Faint, illegible text, likely a biographical note or a list of names, possibly related to the Pfeiffersberg family.

S. PHILIPPUS NERIUS.

Cordium magnes Amor: Amoris magnes est Virtus.
Una Amoris & Virtutis sedes cor hominis.

Quid post Deum amabilius virtute? hanc sic amat:

Ut amari ipse non possit, nec velit; nisi virtus ametur.

Puillum cor homini Deus dedit: majus mundo, si mundum excludat;

Solius Dei capax, quem immensum tum sinu suo concludit: cum virtutem amaverit,

Magnitudinem amoris ex Virtute, ex Amore Virtutis celsitatem:

Utriusque granditatem ex corde Philippi metiri licebit.

Cordatum fecit Amor: Virtus Deo & hominibus dilectum

SANCTUM AMABILEM.

Amorem cordis sui suscepit inquilinum:

Cum die Pentecostes Divinissimum Spiritum sibi sensit illabi.

Ut tanto hospiti augustius domicilium instrueretur:

Angustus pectoris thorax levare, diffringi costæ,

Sinus cordis divinitus dilatari debuit.

Inexhaustum charismatum caelestium fontem in se habuit:

Quid mirum, quod florentissimum virtutum factus sit topiarium?

Florentiæ nobili genere natus, flos nobilissimus, à Virtute lactatus.

Legerat vitam Philippi Vincentius Caraffa VII. Societatis JESU Generalis:

Hæc sola, inquiebat, *Flos Sanctorum* vocari potest;

Conjunctim ea de uno complectitur: quæ alter liber cognominis,

Præcipuos per anni circulum continens Sanctos, sparsim refert de singulis.

A pueritia virtutem amavit: ut huic soli datam fidem servaret;

Amplissimas opes, mundi carnisque se procantis illecebras repudiavit.

Philosophicis & Theologicis disciplinis insigniter animum imbuit:

Ne illiteratus virtuti displiceret, cui literæ placent.

Ideo scitè alios virtutem amare docuit:

Omnibus factus amabilis, quibus amorem Virtutis persuasit.

Indias cum sociis viginti adire statuit, pro fide daturus sanguinem:

Cælesti ostento Romæ subsistere, & in Urbe Indias quærere jubetur.

Nil amanti difficile: facilè Indias extra Indias invenit.

Incruento martyrio servatus: quod horrore mitius cruento, diuturnitate crudelius.

Animas, ne perirent, unicè deperibat.

Nôrat, nil his pretiosius, nil Deo esse charius.

Pro iisdem vitam suam immolare paratus erat: pro quibus Dei Filius mori dignatus est.

Innumeras Deo lucratus: nec sine gravi suo dispendio:

Eadem animarum lucra amoris sui largissima ratus esse dispendia.

Opprobria, fannas, contumelias, verbera pertulit: non sensit.

Dulce erat amanti pro dilecto dura pati.

Nihil illi tam arduum, quàm nihil pati:

Mavult mori, quàm non pati: imò pati vult, non mori.

Quid magnanimo Amori impervium? quid fortius Virtute amabili?

Inveteratos peccatores solo amabili alloquio ad Deum convertit.

Inhabitantem nempe in Philippo Spiritum Dei audire, cui resistere non poterant:

Cujus gratiâ devicti à peccatis destitère.

Pro hæreticis Deo supplicavit: & supplicentem Deus exaudivit.

Plurimos ovili Christi reddidit, in novissimo die à dextris collocandos:

Quos ex lupis agnos factos ad Ecclesiæ orthodoxæ gremium traduxit.

Patrem luminum pro perfidis Judæis deprecabatur:

Et cæcis salvificæ fidei lumen impetravit.

Ut in Christum crederent, precibus suis effecit:

Exorandus nempe idem Pater misericordiarum pro illis erat,

Quem pro ipsorum Majorum salute Filius è cruce oravit.

Sanctum & callidum hoc fuit ingeniosi amoris stratagema:

Perbene novit, oratione vinci Omnipotentem, invincibilem flecti precibus armatis.

Amantium est: semper de dilecto, vel cum dilecto loqui.

Ideo Philippus Oratorii Congregationem instituit:

S. PHILIPPUS

Ubi vel de Deo sermo fieret, vel comprecantium oratio ad Deum funderetur.
 Rectè quisque Deum orare nôrit: qui nôrit rectè amare.
 Amorem fovet oratio: orationis nutrimentum est amor.
 Hac arte excelluit Philippus, facundus Amoris Orator.
 Christi fideles ad orationis studium allexit:
 Ut Dei amore inter precandum exæstuarent.
 Quid Oratorium Philippi? amoris gymnasium.
 Quid Philippi Sodales? amabilis Magistri sui amabiles discipuli.
 Non aliâ regulâ suos obstrinxit, quàm lege charitatis.
 Amare Deum & proximum eos voluit, ceterâ facere licuit: quod libuit.
 A votis religiosis immunes, vitam iussit vivere religiosam.
 Vota servant, nullo voto ligati: casti, pauperes, obedientes.
 Quidnâ Deus sic amantem se redamaret Philippum?
 Virtutibus omnibus Deo se Philippus fecit amabilem:
 Amabilem hominibus Deus Philippum; quem prodigiis voluit coruscare.
 Solo invocato Philippi nomine mors & morbi fugati sunt.
 Eundem corporum prodigiosum ægroti experti sunt Machaonem:
 Qui tot perditis animabus salutem reddidit.
 Afflictos, & tentatos pectori admovit: unico amplexu mentis nubila discussit.
 Horam mortis aliis vaticinatus, suam pridem cælitus cognovit.
 Se olim Sanctorum fastis inferendum scivit, & prædixit.
 Prophetam esse decuit: nil Philippum is celare poterat,
 Qui ejusdem præcordia insedit, olim per ora Prophetarum locutus.
 Castos ab incastis caelesti indicio secrevit:
 Hos à fœdo putore, illos à suavi fragrantia agnovit.
 Hoc liliatæ Virginitatis, qua præcelluit, privilegium erat:
 Cujus pudicitia tentata sæpius, semper victrix & coronata mansit.
 Solo aspectu, alloquio, aut leni tactu iis castimoniam amorem indidit:
 Qui vitam penè omnem in luxuriæ cœno transegere.
 Ereptus terris est: ut omnibus magis è cælo præstò esset, & præsens;
 Qui ejusdem opem in hac lacrymarum valle implorarent.
 Utraque in statione Sanctus idem semper amabilis.
 Vel inanimæ Philippi icones Thaumaturgæ sunt: quid Philippus?
 Non haberet hodie Ecclesia Summum Antistitem suum Benedictum XIII.
 Nisi huic Philippus adhuc purpurato Archipræsuli Beneventano opitulatus esset.
 Subvenit cultori suo Vincentio Mariæ Ursino Anno 1688. die 5. Junii:
 Quem in cælis vidit anno 1724. die 29. Maji ad Petri solium evehendum.
 Eversum sæviente terræ motu universum penè Beneventum:
 Inter mille sexcenta sexaginta septem funera is incolumis servatus est;
 Quem à summis ædibus ruentem sacra Philippi icon stitit innoxium.
 Hodiedum obnoxium se agnoscit Philippo Benedictus, & Evergetem suum colit:
 Quem propitium Vincentius expertus est Thaumaturgum.
 O Sancte amabilis! longævum serva Vaticanum Patrem, quem Ecclesiæ olim reservasti.
 Da: ut, qui primum sæculi decimi octavi dispensavit Jubileum;
 Quartum ejusdem anno seculari attingat, æternum post tecum jubilaturus.



JOAN






JOANNES LEONARDI.

Iuscius Lucensis, S. Philippi Neri familiaris, imitator, et in spiritu Filius, A. 1574. Congregationem Clericorum Regularium Matris Dei creavit, à Clemente VIII. A. 1595. confirmatam. Tanto in B. Virginem exarsit amore, ut ad eusdem cultum augendum à Deo missus videretur. Peccatis bellum indixit pia exercitatione, Divinae Gratiæ appellata, quam singulis anni Dominicis in Ordinis sui templis cum ingenti animarum fructu religiosissimè coli voluit. Obiit A. 1600. æt. 69.

72

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



JOANNES LEONARDI.

Mariophili Elogium tibi, Lector, offero: Mariophilum te volo;
 Nec fallor: si Joannes sis, MARIAM amabis.
 Supremum è Cruce Salvator homines allocutus,
 Matri dilectum Discipulum suum, Discipulo Matrem suam commendavit.
 Cum Auctor Vitæ morte sua humano generi salutem gigneret:
 Tum MARLÆ sub Cruce stanti Joannem filium,
 Joanni MARIAM transcripsit Matrem;
 Qui sciret: nullius hominis salutem
 Usquam post se securiorem fore, quam sub MARLÆ præsidio.
 En Palæstini Joannis parallelum Joannem Lucensem!
 Apostolus Ille, & Evangelista: Hic Præco Evangelii, & Apostolicus Zelotes.
 Uterque MARLÆ Filius: utriusque Mater fuit MARIA.
 Ecclesiarum Ille Rector in Asia:
 Hic Clericorum Regularium Matris Dei Conditor in Italia.
 Quo elogio celebrandus Institutor Mariani Cætus? Mariano.
 Nec sine Joanne MARIA, nec sine MARIA Joannes laudari potest,
 MARIA Joannis Mater: hoc MARLÆ Elogium;
 Joannes APOSTOLUS MARIANUS: hoc Elogium est Joannis.
 Filius MARLÆ pro homine mortuus, ut hominem redimeret:
 Morienti Filio commori visa est MARIA, humanæ redemptionis Adjutrix.
 Ne novo criminum pondere pressus rursus caderet mundus:
 Eadem, quæ pro reo sub Cruce olim steterat;
 Hodiedum in cælo confidenti ad dexteram Patris Filio adstat Advocata.
 Ut MARIAM Matrem haberet Joannes:
 Apostolus fieri debuit, salutis animarum unice studiosus.
 Nec plus humanæ Salutis Parenti placere potuit:
 Ac cum se totum salvandis hominibus devovit,
 Augusto MATRIS DEI Nomine Familiam suam insignivit:
 Quæ ubique gentium animarum lucra, Mariana stipendia mereretur.
 Zelosissimum Joannis Institutum scrutare: Apostolicum dices.
 Sodales suos curare præprimis voluit animas:
 Quarum amore Deus fieri homo, & de Virgine nasci dignatus est.
 Ut eosdem Apostolus ipse Apostolos Matris Dei ritè institueret:
 Impigros in vineam Domini Operarios submisit.
 Nempe ut quam sanguine suo plantavit Filius Dei,
 Suo suorùmque sudore Apostolico irrigatam fœcundaret.
 Audi, Lector, quot titulis Joannis alumnos compelles Apostolos,
 Acta sileo Auctoris, quæ me latent infelicem:
 Apostolici Sodalitii munia non sileo, vel ideo felix;
 Quòd sic de Joanne penitus non sileam.
 Imò Joannis acta omnia sunt Apostolica, quæ suos agere jussit.
 Priusquam tribus solemnibus votis ex indulto Gregorii XV. A. 1621. obstricti essent,
 Quibus primi in Ecclesia Christi se initiarunt Apostoli:
 Pauperes, castos, Obedientes Sodales suos habuit Joannes,
 Apostolorum æmulos, animarum negotiatores.
 Ut omnes Christo lucrifacerent: se omnibus venundant.
 Penè se ipsos perditum eunt pro salute aliena:
 Ne ætas, sexus, aut ulla hominis conditio pereat,
 Papæ! quàm negotiosus his Apostolis inest Zelus.
 Nempe negotiorum omnium negotium Divinissimum est: salvare animas.
 Catechizant parvulos: ut cereæ ætati impressa pietas
 Cum annis pubescentibus ad virilem maturitatem adolesceret.
 Teneris mentibus timorem Domini ingenerant:
 In quibus firmiter radicans succresceret, nunquam evellendus.
 Rudes & ignorantes fidei dogmata edocent:
 Ut salutis media probe scirent; quæ improbè ignorare, perire est.
 Criminis læsæ Divinæ Majestatis reos
 Impigri judices pro sacro pœnitentiæ tribunali audiunt:
 Ut conscientiæ vinculis exemptos, Gratia faciant libertos.

Oppida, •

JOHANNES LEONARDI

Oppida, pagos, vicos diffitos oberrant:
 Ut errantes à salutis tramite in viam rectam reducant.
 Statis omnigenæ pietatis functionibus in variis Missionum stationibus
 Plebejum rusticumque vulgus nobili virtutis Christianæ amore imbuunt,
 Xenodochia frequentant, ægrotantibus deserviunt,
 Ut Christo in infirmis suis languenti ministrent,
 Miserorum corpora fovent, plùs miserias animarum curant;
 Operam suam ægrotis, strenuam opem ferunt moribundis;
 Ut infirmi, noxis expiati, sanctè semel moriantur, à morte secunda liberi:
 Mortui ad perennem vitam feliciter transeant.
 De sacris exedris Apostolici Præcones Christum prædicant:
 Nec aliud eructare possunt, quàm quo pleni sunt.
 Dei virtutisque amorem auditorum animis ingerunt:
 Et innumeras peccatorum animas Orco abstractas, cælo generant.
 Sic hominum salutem quærunt indefessi Zelotes:
 Ut à MARIA Salutis Matre ceu Apostoli amentur;
 Sic amant MARIAM, ut Apostoli Mariani dici mereantur.
 Nec alius vitæ ipsorum tenor, quàm perpes MARIÆ cultus,
 Præscriptis secundum leges precibus & jejuniis ut Matrem honorant:
 Operibus scilicet suum probant amorem, ut MARIÆ sint Apostoli, quales dicuntur.
 Gloriosum MARIÆ Nomen pro scuto tesserario habent:
 Ut idem foris pateret esse Ordinis insigne,
 Quod cordis internum & commune omnibus est signaculum.
 Laudes stas Deiparæ psallunt: quæ nunquam satis laudari potest.
 Clàm & palàm vel de MARIA, vel cum MARIA jugiter loquuntur.
 Laudant Matrem: ut in Matre laudent Deum, Filium Dei & MARIÆ,
 Dum Matrem orant, Deum adorant: ut à Deo impetrent omnia,
 Qui se ipsum mundo dederat per MARIAM.
 Potestatem MARIÆ nòrunt esse velut omnipotentem, quæ Mater fuit Omnipotes:
 Sciunt subditum MARIÆ in terris fuisse Deum:
 Nihil illi hodie in cælo negare velle,
 Quæ penè imperando obtinere id potest, quod cæteri Cælites rogando.
 Quotannis festo Assumptæ Deiparæ die religiosa vota instaurant:
 Ut renovato religionis sacramento, amor Dei & Virginis,
 Primus regularis disciplinæ fervor in se nunquam antiquetur.
 Nil sublimius de MARIA dici, aut cogitari potest, quàm quòd sit Mater Dei:
 De Joanne novæ in Ecclesia Marianæ Familiæ Conditore
 Augustius nihil: quàm quòd huic Præsidem Dei Matrem præfecerit.
 Beati tanta Matre Filii! Institutori suo Joanni debent:
 Quòd MARIAM nacti sint Matrem; debet Joannes MARIÆ,
 Quòd Sodales suos MARIA filios adoptârît.
 Placuit Paulo V. P. M. Zelus, pietasque Apostolorum Marianorum,
 Cujus jussu Clerici Matris Dei dicti sunt:
 Fallor; sic dici jussit pietas in MARIAM, & MATER DEI.






B. JOANNES LA BARRIERE.

Gallus, nobilitate et sanctimonia inelytus, Abbas Fuliensis electus, inibi primarium Cisterciens. rigorem suo exemplo reduxit: anno 1577. factus institutor congregationis B. Marice Fuliensis in Gallia, et congregationis reformatæ Monachorum S. Bernardi in Italia, approbate à Sixto V. obiit Romæ 1600. ætat. 56. die 28. April.

C. Meissl. exc.

73



B. JOANNES LA BARRIERE.

Fefellit Joannem, falli, & fallere nescius, Deus:
 Ne Joannes à semetipso falleretur.
 Hic ut sibi & aliis plurimis aliquando quàm optimè consuleret:
 Arcano Numinis consilio, publico Regis Galliarum beneficio,
 Fulienfis in Aquitania Monasterii Abbas Commendatarius constituitur.
 Præesse aliis adolescens jussus: qui aliis subesse nondum didicit.
 Placuit juveni Abbatis titulus:
 Displicuit; quòd Abbas diceretur, non esset.
 Sine pedo & mitra Fulii commendabat: ut Fulium emendaret.
 Nomen & munus sacrum gestavit: & profanus erat.
 Cœnobium rexit sine cœnobitis: cœnobiarcha, non cœnobita.
 Ut profanatum locum rursus consecraret,
 Desiit esse Abbas, & factus est Abbas.
 Exlegi loco Cistercium restituit novæ legis conditor.
 Informe Fulium juxta primævum Cisterciensium rigorem reformavit:
 Quem immitis in se severitas admirandum, vix imitandum fecit
 SANCTUM quàm SUAVEM, tam AUSTERUM.
 Eodem die tertio calendas Majas mundo editus est Joannes:
 Quem in celo natalem habuit S. Robertus Cisterciensium Institutor.
 En horoscopum Joannis ex ominosi diei augurio!
 Natus est penè Cisterciensis: priusquam esset Cisterciensis.
 Nasci debuit sacra luce Roberti filius Roberti futurus,
 Et novæ Cisterciensium Familiæ Parens.
 Multum Gallia Cistercio, Cistercium Galliæ debet.
 Dedit Gallia Joannem Cistercio: ne Cistercium in Gallia interiret.
 Accepit à Gallia Joannem Cistercium: & reddidit Galliæ Sanctum;
 Sanctorum Galliæ numerum Joanne auxit:
 Qui Galliam & Cistercium sanctificavit.
 In Gallia natus est: bis nobilis, quia Gallus, & sanctus.
 Patriam habuit Galliam, nobilium & Sanctorum Matrem feracissimam.
 Renatus est Cistercii: ut utramq; Matrem Galliam & Cistercium regeneraret.
 Avito Majorum sanguine se ortum scivit, nobilem & liberum:
 Ideo auream libertatem sectatus, Deo servire constituit.
 Nil hac servitute nobilius: Dei servum esse, & liberum manere.
 Ut Deo liberiùs serviret: sibi ut servo imperitavit.
 Commendam Fuliensem deposuit: & antiquum Cistercii spiritum Fulio invexit.
 Tam ipse Abbas Fulienfis, & Fulium factum esse Cistercium apparuit:
 Cùm Cisterciensis instituti austeritatem Fulii interpolavit.
 Tolle hanc Cistercio: & Cistercium sustulisti.
 Reddidit hanc Fulio Joannes, & Fulii Cistercium rexit.
 Ut vitæ austere normam suavem facilè que suis persuaderet:
 Se suavissimum sanctæ austeritatis exemplar omnibus proposuit.
 Suorum regimen à dominio sui auspiciatus, idem sui Servus & Dominus.
 Monarchiam suasit virtus, & legis rigor Cisterciensis.
 Ut sui ipsius verus esset Monarcha, factus est carnis suæ Tyrannus.
 Quidquid illecebrosis sensibus arrisit: id sibi subtraxit.
 Quidquid asperum videbatur, ultro iis inflixit; ut se affligeret.
 Mitissima hæc tyrannis est: duriter in corpus suum animadvertere:
 Ne dominatum affectans servus in Dominum contumax evadat tyrannus.
 Ut Bernardum Clarævallensem disertè celebraret eruditissimus Raynaudus:
 Joannem Barrerium laudavit: & in filio laudavit Parentem.
 Compellavit Joannem *Vivum Martyrem*: & omnia de Joanne dixisse sibi visus est,
 Martyrem dixit: & Martyr erat; occubuisset Martyr, nisi tyrannus defuisset.
 Vixit tamen ut Martyr, sibimet factus tyrannus:
 Ne ipse martyrio, sibi martyrium, aut tyrannus deesset.
 Fuit humanus in omnes: in se durus adeò, & inhumanus:
 Ut se non ut hominem tractaret.

T

Puritate

LXXII

B. JOHANNES DE BARRIERE

Puritate & innocentia Angelo similior fuit, quam homini,
 Nihil humani in se passus, quod castigaret:
 Ideo tam severè in se deserviit; ne ut homo delinqueret.
 Suavis tamen hic illi rigor erat.

Spinis his sepiendum erat candidissimum virginitatis lilium:
 Nec aliter Angelis placuisset: nec ex homine Angelus factus esset.
 Agè Lector, ut penitus Barrerium videas:
 Statuta ejusdem Fuliensis Familiae praescripta inspice.
 Quatuor tibi exhibeo: sileo reliqua, imò omnia dico.
 Omnia in his quatuor, & totus ipse Barrerius continetur.
 Speculum esse dices Cisterciensis austeritatis:
 E quo austerus Conditor, & Fuliensium Virtus suavissimè relucet.
 Abstineri suos ab iis voluit: sine quibus pauci vivere volunt, aut possunt.
 Statuit perpetuam abstinentiam à carnibus, ovis, piscibus, vino, oleo, sale.
 Omne penè genus edulii & condimenti sustulit: què vitam sustentant?
 Edunt alii, ut vivant: Fulienses vivunt; ut jejunent.
 Sic jejunant: ut agrè vivant: modicà & inconditâ escâ mortem fallant.
 Novit jejunium dici cibum Angelorum: hunc Cistercium proprium esse voluit;
 Ne quis Fulii homines degere existimet: ubi Angeli vivunt.
 Nec sine jejunio Angeli, nec Cistercienses forent.
 Locum refectiois Fulii ne quare: haud illo egent jejunantes.
 Imò triclinium Fuliense perlustra: nec triclinium in triclinio invenies.
 Nullæ in eo mensæ, mappæ, & sedilia nulla.
 Humi consistunt, situ pœnitentium epulantur.
 Sic pane doloris vescuntur, sic potum suum cum fletu commiscunt,
 Hic humiliati, exaltandi olim Divini Agni in cælis convivæ.
 Omne capitis, crurum, pedumque tegimen alumniis suis interdixit:
 Ut discooperto capite cælum semper venerarentur,
 Nudis pedibus terram, quam calcant, contemnerent.
 Nec frigus, nec calorem hac in nuditate persentiscunt:
 In quorum cordibus mundi amor obriguit, focus Divini amoris perpetim ardet.
 Lecto carere suos jussit: ut semper vigilantes essent.
 Ut somnum nihili facerent: nec hilum straminis, in quo decumberent, indulsit.
 Nudam tabulam, durumque asserem dormituriensibus admisit:
 Ut vel jugiter vigilarent, vel de somno tantum sibi somniare viderentur.
 Hunc rigorem Cisterciensis instituti, quem suis praescripsit, primus à se inchoavit.
 Floret hodiè in plurimis Galliae Italiaeque monasteriis,
 A Fuliensis Familiae Reformatore, Cistercii Instauratore suaviter inductus.
 Inclaruit Joannes miraculis ante, & post mortem:
 Quem austeritas Sanctum fecit, & Thaumaturgum.
 Multa Joanni cælum revelavit, qui se totum abscondit à mundo:
 Urbi in morte, orbi post mortem innotuit, cælo dudum notissimus.
 Decessit Romæ anno seculari in Jubilei solemnibus:
 Jubilo militantis & triumphantis Ecclesiae dignus, cum illam desereret, hanc adiret;
 Ut æternum cum filiis Dei celebraturus Jubileum in cælis jubilaret.





S. CARO



S. CAROLUS BORROMÆUS.

*Lombardus, natus Arone. S.R.E. Cardinalis, et Archiepiscopus
Mediolanensis. Primus juxta decreta Tridentina suam reforma-
vit Ecclesiam. Fundavit Congregationem oblatorum S. Ambrosii.
A. 1578. approbatam à Gregorio XIII. obiit A. 1584. die 3. Novemb.
Ætatis sue 47. C. Weigel. exc.*



S. CAROLUS BORROMÆUS.

Quot elogiis opus est, ut unus hic Sanctus Antistes laudetur?

Vix unus dici potest: in quo Sanctorum penè omnium virtutes resplendent.

Unico elogio celebrabitur Carolus, & in Carolo Sancti omnes laudabuntur.

Tam similis omnibus Carolus, quàm omnes uni Carolo.

Hoc encomio Carolum Paulus V. Romano è tripode condecoravit:

Cùm eundem solemnè die Apotheosis Sanctis penè omnibus comparavit.

Abelus fuit innocentia: nec Caino caruit;

Parricidam passus, non agricolam, sed apostatam: à parricidio divinitus servatus.

Enochus munditia: paradisum ille nondum mortuus incolit;

Hic cælum jam immortalis: ubi Deum videt.

Jacobus laborum tolerantia: luctatus ille cum Deo, Israël dictus est;

Hic prævalens Deo armatis sæpe precibus vicit invincibilem.

*Moyse*s mansuetudine: populo duræ cervicis præfuit uterque;

Quémque signis non poterat, uterque comitate pacavit.

Elias Zelo: omnis vindictæ expers, nisi cùm læsus Dei honor vindicandus erat.

Hieronymus dura corporis castigatione:

Ille in eremo, & inter feras in se asper; hic in aula, & affluentes inter delicias.

Martinus paupertatis & humilitatis studio:

Ille pauperem in Christo; hic Christum in pauperibus vestivit.

Uterque quantò gradu sublimior, tantò animo demissior.

Gregorius pastorali sollicitudine: cura amorque gregis fecit sollicitum;

Ut eidem semper invigilaret: ne luporum incuribus esset obnoxius.

Ambrosius, qui eadem libertate jura Ecclesiæ imperterrè defensavit.

Antecessoris sui instar mellitus, nec tamen sine aculeo fuit.

Sic improbos persecutus: ut probos faceret; sic probos persecutus, ne improbi fierent.

Paulinus Nolanus charitate: uterque pater pauperum,

Bonis omnibus se exspoliavit; ne quidquam pauperibus deesset.

Audiisti, Lector, Elogium Caroli: Sanctorum penè omnium Elogium.

Vidisti Carolum in omnibus: nunc in Carolo vide omnes.

Unicum sufficit illi Elogium, & hoc erit Elogium Elogiorum.

Fuit PASTOR BONUS, & FORMA PASTORUM.

Ut Pastor bonus esset: omnes Sanctos æmulari debuit;

Ut Forma Pastorum: Sancti omnes in Carolo refulgere.

Natalibus Caroli novo phænomeno cælum applausit.

Visus in aère fulgor solari radio similis cubile parientis Matris illustrare.

Par erat, horoscopari hoc genethliacum signum Carolo.

Ignea hæc lingua, ut Sanctum mundo editum annunciaret:

Pro tacente in cunis infante disertè peroravit.

Duabus ante diem horis perstitit: & diem in nocte accendit.

Nec in tenebris sine face nasci decuit illustre hoc Sidus:

Tæda fuit; quæ hymenæo nati Ecclesiæ Mediolanensis Sponsi prælusit.

In pueritia nil puerile gessit, à ludicris, quæ ætas illa amat, abhorruit.

Construere, & ornare altaria, orationi vacare in more habuit.

Hæc ipsa Pontificiæ dignitatis, qua olim insigniretur, erant indicia:

Non pietatis crepundia, sed luculenta sanctitatis præsagia;

Quòd eidem aliquando aræ & templa condentur.

Piissimi Parentes filium piissimum, adhuc puerum clericali habitu vestivè:

Quem Deus & Pietas ipsa Pontificiæ tiaræ destinavit.

Nec in clerico puerum, sed in puero clerici gravitatem videre licuit:

Plures in hoc puero & clerico sanctum prævidebant Antistitem.

Juris lauream adolescens annorum viginti duorum ornatus,

Leges civiles & canonicas ab Alciato didicit.

Dignus tanto Magistro discipulus: dignus tanto discipulo Magister.

Eundem in literis Magistrum, post in Purpuratorum Patrum senatu habuit collegam.

Ex discipulo factus Doctor, pascendo Dominico gregi cælitus destinatus.

Laureatus pastor esse debuit: ut laureati verticem mitra Mediolanensis,

Humeros pallium Archipræsulare, & Romana purpura venustius ornarent.

LXXI

S. CAROLUS BORROMÆUS

His insignibus decoratus Antistes purpuram suam erubisset,
 Nisi partes Boni Pastoris adimpleret,
 Semper paratus pro ovibus dare animam suam, ut bis esset purpuratus.
 Forma factus Pastorum, depravatos suorum mores reformavit:
 Peragravit prærupta montium, inaccessa vallium,
 Ut errantes oviculas, lupis ereptas, in caulam Domini reduceret.
 Ecclesiasticam disciplinam collabentem instauravit:
 Ne sicut populus, sic & sacerdos esset.
 Hæresim à confiniis suis profligavit: hæreticos plurimos fidei reddidit orthodoxæ.
 Non se, sed gregem suum pascebat, verbo, scripto, exemplo,
 Cibus illi sæpe panis solus cum lupinis: aqua potus.
 Jejunabat Pastor: ne famerent oves.
 Fuit inter oves Pastor, inter Pastores ovis.
 Gregi suo sic imperando servit: ut serviendo eundem meliùs regeret.
 Ut huic soli accuratiùs invigilaret:
 Abbatis duodecim, ducatu Auriacensi,
 Titulis summi Pœnitentiarii, Archipresbyteri,
 Protectoris Ordinum, & Nationum variarum se abdicavit.
 Exuisset Archiepiscopum, nisi id pietas vetuisset.
 Mansit Archiepiscopus: ne bonus animarum Pastor esse desineret.
 Factus tamen ex opulento Antistite egenus Pastor: ne grex egeret.
 Una die jam viginti, jam quadraginta aureorum millia in pauperes erogavit,
 Lectum proprium infirmo cessit, nudâ posthac tabulâ usus pro strato;
 Ut sic dormiret parcius, & vigiliis promptius ausuerceret.
 Ecclesias, Collegia, Cœnobîa, Seminaria erexit quàm plurima,
 Quot munificentia Boni Pastoris monumenta,
 Tot orthodoxæ Fidei firmissima præsidia.
 Presbyterorum Congregationem instituit; Oblatos S. Ambrosii dici voluit,
 Mediolanensis Præsulis in excolendo Domini grege adjutores.
 Peste laborantibus Divina mysteria administravit, gregis sui fidelis Minister, & Pastor.
 Cum morte luctantibus adstitit: nec mortem veritus,
 Qui pro suis mori gestiit; in singulis, quos mors abstulit, penè jam mortuus.
 Deo se pro grege suo hostiam reconciliationis obtulit:
 Ut Pastor idem & victima pro ovibus suis immolaretur.
 Exaudivit supplicem Deus, & supplicium sustulit.
 Satis erat Deo, voluisse Pastorem mori pro populo.
 Gregem reddidit Pastori incolumem: & Pastorem gregi servavit.
 Admiranda egit pro Deo Carolus, & obstupescenda per Carolum Deus.
 Innumeras animas Zelosissimus Pastor Deo adduxit:
 Et Deus hoc Pastorum miraculum prodigiorum fecit Thaumaturgum.
 Meritis, non annis, cælo maturum mundo eripuit Deus,
 Ut inde prodigia plura mundo dispensaret.
 Summum animarum Pastorem è Cruce pendulum supremum intuitus,
 Cinere & cilicio coopertus obiit, ad immortalitatis stolam capeffendam abiit,
 Sic Crucifixo similem Pastorem bonum mori decuit.
 Forma fuit Pastorum: ut posterî pulcherrimam hanc Boni Pastoris ideam observent.





BER



BERNARDUS ALVAREZ.

*Mexici Congregationem aegrotantibus in nosocomiis ministrantium
 A. 1580. instituit. post plura condita xenodochia in Indiis propaga-
 tam, à Gregorio XIII. sub nomine S. Hippolyti appro-
 batam, à Sixto V. confirmatam. Eandem Innocentius XII. A. 1700 fa-
 miliis religiosis accensuit, addito tribus votis quarto ministrandi infirmis.*



BERNARDUS ALVAREZ.


Tibi de te conqueri libet, & licet, India auri ferax, tenax silentii;
 Quod gesta inclyti Herois tuis abdita commentariis,
 Europam nostram alterum usque in seculum celaveris.
 Nomen & cognomen prodis, vitam retices:
 Hoc uno contenta; quod nomini mellita insit dulcedo,
 Cognomini avita generis Hispani nobilitas:
 Cum Bernardum Alvarezium Mexicanæ urbis municipem dicis.
 Quid nomen sine actis? quod acta sine nomine.
 Fastis nomen vix inferendum, cui facta desunt.
 Nec facta Bernardo, nec Bernardus factis deerat:
 Et nomen & facta Bernardi fastis sunt dignissima.
 Vivis coloribus gesta Bernardi depinxit India;
 Dum Fratrum Charitatis Sancti Hippolyti nominat Conditorem,
Servire alumnos suos Bernardus voluit corpore & mente laborantibus.
 Primum illis nomen Charitas contulit: & nomen est officii;
 Alterum a xenodochio Divo Hippolyto sacro inditum:
 In quo ægrotantibus prima charitatis officia exhibuere.
 Institutoris laus maxima, officiosæ charitatis institutum.
 Quis Bernardus fuerit, sola novit charitas.
 Charitas Elogium Bernardi, Bernardus elogium est Charitatis.
 Ne quære ex me, Lector, ut Bernardum cognoscas, quid sit Charitas?
 Corinthum te ablegarem: sed hanc non cuivis adire licet.
 Primam Pauli epistolam Corinthiis exaratam consule:
 Et quid Charitas sit, ex muniis Charitatis addisces.
 Descripsit in hac Apostolus Charitatem, & in eadem effigiatum videbis Bernardum.
 Acta Bernardi sileo: non Bernardi charitatem.
 Elogium tibi offero Bernardi, fallor: Elogium non est;
 Paulinæ CHARITATIS est EXEGESIS.
 Si Paulum de Charitate differentem auscultaveris:
Quot Apostoli verba, tot audies Charitatis & Bernardi encomia.
Charitas patiens est, benigna est. I. ad Cor. c. 13.
 Benigna, quia patiens: patiens, quia benigna.
 Magnanimitiam facit patientia, jucundam benignitas.
 Magna agit, si magna patitur: magnanima est; si, cum dura patitur, jucundetur.
 Nec modò patiens, sed & compatiens est:
 Aliena mala tanquam sua sentit: nec sua sentiret: nisi essent aliena.
 Imò sensum doloris, dum patitur, & compatitur, sibi duplicat.
 Nec solùm, dum patitur, benigna est: etiam quos tolerat, amat.
 Nec benigna foret: nisi eos amaret, à quibus patitur;
 Nec patiens: nisi illis benigna esset, quibus compatitur.
Non amulatur.
 Cæca est Charitas, nihil videt: nemini invidet.
 Non respicit ad *Meum* & *Tuum*: sed bono proximi prospicit.
 Ideo invidiam excæcavit, & Argo facta est oculatior.
 Alterius adversa, sicut sua, pertimescit.
 De prospero statu proximi tanquam de sua felicitate exultat.
 Tam aliena lucra quàm damna pro suis reputat.
Non agit perperam.
 Nihil in ea perperum, nisi perperi vident.
 Fucum nescit, candida, & simplex est.
 Cercopum nomen perperis duobus fratribus procacia imposuit:
 Quos Jove vindice improbitas in simios transformavit.
 Proterviam Charitas odit: cordium est unio.
 Perversa esse nequit, quæ recti est amans, & rectos facit:
 Sine malitia, fons omnis boni.
Non inflatur, non est ambitiosa.
 Humilia sectatur: excelsa fugit, quæ semper casui obnoxia.

BERNARDUS ALVAREZ

Aversatur honores, & sui contemptum ambit,
 Præmia æternæ retributionis anxia desiderat,
 Ideo de bonis exterioribus se non exultat.
 Quid probrum, & dedecus sit, ignorat.
 Alis aureis omnium, quos complectitur, vitia tegit.
 Amat proximum: hæc sola illi propria ambitio est;
 Quòd aliena bona concupiscat: ut aliis, non sibi, sit bene.
Non querit, quæ sua sunt.
 Philautiæ opposita est Charitas: hæc virtutum regina, illa vitiolorum,
 Se, suæque negligit Charitas, ut alteri, quem diligit, benefaciat.
 Imò tum se & sua quærere videtur:
 Cùm proximo se suæque omnia cedit, quem sicut se ipsam amat.
 Nec bona sua abalienat, quibus se abdicat:
 Dat alteri, cui unita est, non alteri dat: sibi retinet, quæ dispensat,
 Hoc nempe perfectæ Charitatis privilegium est:
 Ut unum penes duos, dantem & accipientem, persistat dominium.
Non irritatur, non cogitat malum.
 Columbinam indolem nacta, felle caret.
 Etiam injuriis laceßita, vindictam non spirat.
 Injurias ipsas sibi pro mercede deberi existimat.
 Nil illi gratum magis, quàm ingratos tolerare.
 Ut de his se ulciscatur, beneficia cumulat, bonum pro malo reddit.
 Munditiæ custos est: odii, quod mentem inquinat, expers.
 Omnia bene facit: quid mali animo verferet?
 Etiam de malis, quos diligit, nil mali cogitare potest.
Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.
 Verax est, & mater æquitatis: ideo justitiam amat, quæ vitæ est veritas.
 Sic dolet de iniquis, ut justos faciat: ne sibi ipsis injuriæ sint.
 Sic cum justis exultat: ut omne in justitia gaudium situm esse demonstrat.
Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.
 Nihil illi grave, palmæ instar oneri non succumbit, pressa affurgit.
 Bona omnia de proximo credit, de quo nil mali suspicari solet.
 Omnia bona de illo sperat, quem, licet malus sit, bonum fore confidit.
 Ne à spe sua recedat, etiam verba, & verbera invicta fortitudine sustinet.
 Nôsti jam, Lector, quid sit charitas officiosa?
 Elogium Charitatis exegeticum ex Paulo audiisti,
 Et Bernardi Elogium fuit, qui officia Charitatis exercuit.
 Quot per Indiam erexit xenodochia, tot Charitatis condidit gymnasia.
 Sodalitii sui alumnos sic infirmis servire voluit:
 Ut ipsi inter aspera hæc obsequia Magistri & discipuli essent Charitatis:
 Charitatem docendo discerent, discendo docerent.
 Felix institutor! nil sublimius Charitate invenit:
 Cùm se ad infima amentium & agrotantium ministeria demisit.
 Sublime illi Institutum Charitatis: Elogium unicum & sublimissimum Charitas.



MAT





MATTHÆUS GUERRA.

*Luscius Senensis Congregationem Clericorum Sacrorum Clavorum instituit, à Gregorio XIII. A. 1584. approbatam, à Paulo V. A. 1614. et Urbano VIII. A. 1639. amplissimis præconiis confirmatam. Vir plenus Apostolico spi-
ritu Pontificibus Summis Sixto V. et Clementi VIII. præprimis charus. Ejus Seda-
litas S. Philippus Nereus, quem à morte statim, multa luce fulgentem, sibi
conspicuum habuit, plures etiam S. R. E. Cardinales adscribi voluerunt.
Obiit A. 1601. æt. 63.*

76



MATTHÆUS GUERRA.

Quid de hoc novo Senensium Apostolo novi dicam?

Sacerdotii Regalis fuit decus, Apostolicorum Sacerdotum gemma.

Num ideo felicem censeam: quòd Senæ Matthæum in vitales auras ediderint,

Suo & innumerarum animarum lucro?

Num feliciorum ejus patriam prædicem:

Quòd Senas, pupillam Tusciæ illustrissimam,

Ortu & virtute sua illustraverit?

Apostoli nomen lustrico in fonte renatus suscepit:

Apostolicam olim vitam auspiciurus.

Bellum gestat in cognomine: quàm bellè sic cognominatus est,

Bellicosus Christi Miles, sub Crucis labaro præliaturus.

Matthæus dici debuit, quia Matthæus fuit:

Illi similis, qui à telonio ad Hierarchicum Christi Duodecimviratum vocatus;

Apostolus factus est, & Evangelista.

Nec ideo dissimilis: quòd hunc in Apostolatu suo

Perpetuus animarum quæstus Apostolicum fecerit TRAPEZITAM,

Mansit hic in telonio Apostolus,

Nec Matthæi telonium deseruit: sed novum crexit;

Ut novus & alter esset Matthæus:

In quo non aliena corrogaret, sed se suaque omnia in lucrum animarum erogaret.

Ut erectam à se Clericorum Congregationem

Vel à primis incunabulis firmaret:

In celebri Senensium Sacello primam fixit stationem,

In quo Crucifixi Servatoris Clavus religiosè servatus colitur.

Sodales suos Sacrorum Clavorum Sacerdotes dici voluit:

Ut à cruentis his Redemptionis humanæ insignibus

Animas hominum fœnerari stimulentur;

Pro quibus ligno Crucis Dei Filius affigi dignatus est.

Quid Passionis Dominicæ supellex,

Nisi tessera divitis patientiæ, & immensæ charitatis?

O sacratissimi Clavi Divinissimo Christi sanguine purpurati!

His manus pedesque Dei Filius confixus,

Æternæ infelicitati humanæ obicem fixit.

Num Clavos dicam? quos non faber sub incude & malleo exacuit:

Sed Judæorum paricidalis feritas fabricavit.

Ex Clavis Clavæ factæ sunt Divini Herculis: Erebi, mortisque domitores.

Manus & pedes Salvatoris perterebrarunt: tot jam claves,

Quot gratiarum caelestium januas nobis referarunt.

Thaumaturgâ Moysis virgâ feliciores:

Hæc de petra aquas, illi divinorum charismatum fluentia,

Sanguineos fontes, redemptionis humanæ pretium elicuerunt.

Clavus nempe clavo pellendus erat.

Affigi clavis acuminatis Cruci debuit Auctor Vitæ:

Ut æternæ mortis stimulus iisdem frangeretur;

Ut eidem vitali ligno suffixum,

Damnationis nostræ chirographum deleretur.

O beatissimi Clavi! quibus, ceu totidem calamis,

Sanguineis notis, in Salvatoris manibus sortes nostræ descriptæ:

Ut nomina nostra olim Libro Vitæ infererentur.

O dulces Clavi! quibus vulnerari voluit Filius Dei:

Ut insanabile humani generis vulnus sanaretur,

Et ferro hoc ferrea peccatorum corda fauciarentur.

Non ultrò vos ferrea doloris instrumenta,

Sed infiniti amoris argumenta dixerim:

Postquam manibus pedibusque immaculati Divini Agni inhæstis,

In adamantes versi, pretiosa salutis nostræ cimelia.

De Clavis Domini loquentem me, Lector, audiisti,

Ne

LXXI

MATTHÆUS QUÆRITAM

Ne de Matthæo silerem, Christo iisdem Cruci confixo.
 Ferrei hi stimuli fuere, quibus Trapezita hic Apostolicus agitatus,
 Jugem animarum exercuit nundinationem.
 Clavarium novum dicerem Matthæum: nisi hoc Romanæ dignitatis nomen
 A Clavorum Imperatorio Donativo dictum, hodie antiquatum esset.
 Dicit tamen potest Clavarius: non à profano militum dono, aut munere militari,
 Sed à Sacratissimis Clavis, inæstimabili cæli munere,
 Ut trabali clavo beneficium Redemptionis cordi suo figeret,
 Memori semper mente recolendum:
 Redemptas Christi sanguine animas,
 Sudore & labore suo mercari studuit.
 Ingeniosum amor salutis hominum fecit numularium.
 Quæstuosum Sodalibus suis condidit institutum:
 Ne gratis animas emerent; functiones suas Apostolicas gratis venditare jussit.
 Juventutem elementis fidei erudiunt:
 Illam præprimis ætatem curant, & sedulo excolunt,
 Quæ præ reliquis culturâ, & juvamine eget.
 Sacramenta indigentibus impertiunt
 Fideles Mysteriorum Divinorum Dispensatores.
 Gratuitò signa visibilia gratiæ invisibilis aliis conferunt:
 Ut horum Institutori Deo se reddant gratos & gratiosos.
 Verbum Dei populo referto prædicant:
 Ut jacta in cordibus Evangelii sementis in messem uberrimam excresecat,
 Quam Horreo Dominico inveherent.
 Votis nullis ligati: nec tamen liberi sunt.
 Sponte sua vincti in Domino, religiosè vivunt:
 Nunquid vel ideo affatim Religiosi?
 Clavorum sacrorum Sacerdotes sunt: clavos pro votis & vinculis habent.
 Duo jurejurando se spondent observaturos:
 Moderatori Congregationis obedientiam,
 Perseverantiam in assumpto vitæ instituto.
 O felices animarum nundinatores;
 Merces vos magna nimis apud eum manet,
 Qui pro iis Crucifixus se ipsum immolavit.
 Amatis animas, ne pereant, quas Deus amavit, & perditas redemit.
 Redamare vos debet cor rivalis vester, Amator & Redemptor animarum,
 Quas Apostolico vestro quæstu rursus Deo redimitis.
 Lector! suspice zelum Apostolici hujus Trapezitæ.
 Respice Servatoris tui cruore rubentes clavos:
 Ne aliquando coram illo tanquam Judice erubescas;
 Nunc hos cordi tuo infige: redemptionis tuæ sunt monumenta.
 Hinc te monitum velim: ut animam tuam ames, quæ tanti Dei Filio constitit.
 Carò illam Deus redemit: gratis tu, modò velis, redime:
 Salutem tuam sine auro & argento tibi, si libet, mercari licet.



CAMII



CAMILLUS DE LELLIS.

Italus, Bocchianici in regione Apruti natus. Roma in nosocomio S. Jacobi aegrotantibus inservit. Militiae subinde nomen dedit, et in Turcas bellavit. Positis armis Congregationem Clericorum regularium, spe supernae mercedis gratis ministrantium infirmis instituit sub Gregorio XIII. A. 1584. à Sixto V. A. 1586. confirmatam. Obiit 14. Jul. A. 1614. aet. 64.



Faint, illegible text or markings located below the large rectangular frame.



CAMILLUS DE LELLIS.

Ne semper affine feminis vitium mutabilitatem dixeris:
 Sæpe mascula virtus est inconstantia, constantiæ suppar;
 Si vel mentem hominis Deus variet, vel homo Dei causâ.
 Nec deforme est, plures formas induere,
 Ut cælo mandanti pareas, & te illi conformes.
 Plures Deus inconstantes esse voluit: ut faceret sanctos.
 Eadem temporum & hominum est vicissitudo:
 Inevitabilis illa; hæc non semper arbitraria.
 Sæpe tempus hominem, sæpe se homo in tempore alterat.
 Ars minimè vulgaris: *tempora tempore temperare.*
 Nunquam homini tempus, sæpe homo tempori deest.
 Deus homini tempus commodat: ut se homo tempori accommodet.
 Nemo repente fit optimus, nemo pessimus.
 Ut de bono quis in melius transeat: mutatione opus est;
 Alternant vices temporum: donec in optimo homo firmetur;
 Non rarò solida constantia ex constanti inconstantia nascitur.
 Nec abortus hic humanæ levitatis, sed partus Divinæ Providentiæ dici debet.
 Ut cum Apostolo Camillus Lellius omnibus omnia fieret:
 Semper idem esse non potuit, sed alius.
 Imò ideo sibi semper alius fuit: ut omnibus aliis semper esset idem:
 Per constantem inconstantiam ad firmissimam constantiam eluctatus.
 Manco Zelosissimi Institutoris Elogio ne, Lector, indignare:
 Dignum concinnare non licet; latent nos acta Camilli Apostolica,
 Deficiunt celeberrimi actuarii: consule, si libet,
 Maraccios, Sanctios, Cicatellos, Halesios, Rossios:
 Micas tibi, quæ de vita nobis suppetunt, apponimus;
 Collectanea damus, in quæ dispersim incidimus.
 Nil aliud de Camillo novimus, nisi quòd fuerit:
 Quàm CONSTANS, tam SANCTUS pro Deo PROTEUS.
 Adhuc cum inconstans esset, ad sanctioris vitæ institutum aspiravit:
 Priusquam sanctus fieret, Proteus constans fuit.
 Qui olim ægrotantium auspicatorum erat ministerium,
 Gravi ipse ad hæc ardua pietatis opera infirmitate aptatus est.
 Pati debuit, ut infirmis nõset compati.
 Malo pertinaci afflictabatur: ut sanior mente fieret.
 Ut malus esse desineret, malum, quo laborabat, non desit.
 De nomine morbi litigant nonnulli: alii porriginem,
 Alii insanabilem tibiæ plagam, purulentum alii ulcus fuisse ajunt.
 Ulcerosus morbus erat, idemque fœcundissimum inconstantia semen,
 Unde pulcherrimi constantia fructus germinarunt.
 Ut sanitatem reciperet, nuncupato voto se Deo recepit
 Amplexurum Seraphicum Divi Francisci Ordinem.
 Noluit Deus sanari Camillum, sed novæ Familiæ voluit Conditorem,
 Quæ ab amore Seraphico dici poterit Seraphica.
 Repulsus à Fratribus Minoribus ad minima mediastinorum obsequia transit
 Ægrotantibus in Romano S. Jacobi valetudinario famulari cœpit.
 Alienam salutem curare satagebat, & suam æger ipse neglexit.
 Haud displicuit Deo charitas Camilli, statio minus placere visa est.
 Ministeriis quidem infirmorum cælitus erat prædestinatus,
 Sed post plura inconstantia documenta,
 Relicto nosocomio nomen militiae dedit: ut in Martis arena se morti objiceret,
 Quam inter mortuos nequicquam quæsivit.
 In Turcas Christiani nominis hostes capitales aliquamdiu bellavit:
 Gloriosissimum esse ratus inter infidelium gladios occumbere,
 Fusoque pro fide Christi sanguine purpurascere.
 Nec mori, nec Martem sequi voluit Deus Camillum, sed terga vertere.
 Positis ergo armis galeam militarem cucullo permutat Capucinorum,

CAMILLUS DE LELIIS

E veterano milite factus tiro Christi novellus.
 Leve erat Camillo asperum Religionis jugum,
 Nec commilitonibus suis gravis Camillus:
 Sola putidi ulceris graveolentia omnibus intolerabilis.
 Claustro ideo egredi jussus, non vitio inconstantis animi,
 Sed constantis invaletudinis pertinaciâ.
 Mundum repetere debuit, quem valere jussit: nunquam repetiturus, si valuisset.
 Nihil in mundo stabile vidit, & se penè mundo instabiliorem.
 Arcanum hoc erat Divinæ Providentiæ consilium;
 Ut instabilitate continua Camillo quàm optimè consulereetur,
 Infirmitas corporis mentem Camilli firmiùs stabiliret.
 Ægritudo constans inconstantix fuit stadium,
 Quo decurso metam attingit constantix.
 Tum ex inconstanti factus constans & Sanctus Proteus:
 Cùm se Deo ad omnia ægrotantium obsequia devovit.
 Ordinem Clericorum regularium instituit, quem ut firmiorem redderet:
 Pluribus votis infirmorum officiis illigavit;
 Quarto solemnè ad ægrotorum & peste infectorum ministeria se suosque obstrinxit.
 Ingeniosa Camilli charitas fuerat: ad omnem constantix obicem tollendum,
 Præter quatuor solemnè vota, quatuor alia simplicia suos edere jussit.
Primum erat, non consentiendi, ut quidquam in modo serviendi infirmis mutetur,
 Quem Bullæ Pontificiæ approbârunt. En charitatis constantiam!
Secundum: non consentiendi, ut ab ipsis redditus hospitalium possideantur.
 En Charitatem constanti paupertati fœderatam!
Tertium: non acceptandi dignitatem sive intra, sive extra religionem;
 Nisi imperet is sub peccato, qui jus imperandi habet.
 En charitati constantem humilitatem sociatam!
Quartum: manifestandi religioni, si quem nôssent hujusmodi dignitates procurare.
 En constantem fidelitatem sinceræ junctam charitati!
 Displicuit orco hoc solidissimum & insolitum charitatis institutum:
 Ut illud everteret, vix erectæ Congregationi sexcenta objecit obstacula.
 Dirè his exagitatus Camillus, ad aram salutis confugit,
 Coram Crucifixi Domini simulacro preces fudit & lacrymas.
 Afflicti animum ut solidaret Christus,
 Manibus è Cruce refixis, ceu opem sponderet, sic mæstum alloquitur,
Eja pusillanimis, quid times? inceptum sequere opus.
 His vocibus animatus, cura omni, metuque inconstantix liberatus est.
 Inconstantem hucusque Camillum obstupuisti Lector,
 Vide nunc Sancti Protei constantiam: quàm inter infirmos suos constanter sit inconstans.
 Languit cum languentibus, flevit cum flentibus, convalescentibus corripit,
 Arsit cum febrientibus, cum frigore rigentibus arsit;
 Cum deliris delirare, cum morientibus mori sibi visus est.
 Sanctè obiit, sanctis charitatis ministeriis immortalis.
 Constans pro Deo & sanctus mansit Proteus:
 Mercedem in cælis amplissimam perseverantibus in finem usque promissam adeptus.




AUGU



AUGUSTINUS ADORNUS.

*Ligur, Genuae nobilissimo genere prognatus, Clericorum regularium
Congregationem, Minorum jussu Sixti V. dictam, A. 1589. erexit, à Gre-
gorio XIV. et Clemente VIII. confirmatam. Singularem suis in Deiparam
pietatem prescripsit, de qua sermonem ad populum singulis Sabba-
tis fieri decrevit. Eisdem præter tria consueta quarto voto ad de-
tractandas dignitates adstrinxit. Obiit 29. Sept. A. 1591.*

78.



AUGUSTINUS ADORNUS.

Nobilissimum sanguinem ab avita gente haustum erubuisset Augustinus,
Nisi eundem virtute sua purpurasset.

Parum illi erat nobilem nasci: ex se nobilis esse voluit;

Ut se, & genus suum illustribus gestis nobilitaret.

Majoribus suis debebat splendorem natalium:

Sibi majores suos obnoxios fecit; dum reddidit illustriores.

Felicem se æstimat Genuensium Respublica:

Quòd de Adorniorum stirpe Duces complures suscepit;

Felicior multò: quòd Augustinum militanti Christi Ecclesiæ dederit,

Nobilem sacratoris militiæ Ducem,

Novum antiquorum ACOEMETARUM religiosissimorum Institutorem,

Magnum Clericorum Regularium Minorum Conditorem,

Propagatorem Marianæ pietatis, & Mariophilum Zelosissimum.

Ne me multa paucis de Augustino dixisse, Lector existima:

Pauca multis de illo tibi dicam; plura dicturus:

Nisi præter generis & institutæ religiosæ Familiæ nobilitatem,

Alia plurima, quæ insigniter gessit, me laterent.

Nunquid perdifficile Elogii genus est, laudare velle laude dignissimum:

Et laudabilia ejusdem acta ignorare?

Selige ergo è multis pauca: ut è paucis multa scias;

Quis Augustinus fuerit: imò quis esse noluerit.

Profaniâ nobilis ea omnia odit, quæ nobiles amant.

Illustrissimæ Familiæ suæ fulgorem tanta sui demissione eclipsavit:

Ut quantò esset stemate clarior: tantò humilitate videri voluerit obscurior.

Nobilis fuit, & pauper: nil paupertate, quam Christi amor suadet, nobilior.

Ideo divitias averfatus, bonis omnibus se abdicavit: ut cæli hæres fieret.

Nobilis fuit, & castus: nil castitate sublimius, quæ Angelos facit.

Ideo carnis voluptates detestatus, votum edidit virginitalis, ut Angelus esset.

Nobilis fuit, & obediens: nil augustius obedientiâ, aut gloriosius:

Homini subesse propter Deum; Deo servire est, & regnare.

Dominandi ambitu se spoliavit, & perpetuam vovit obedientiam.

Ideo ad Crucem Christi confugit, in qua sola gloriari voluit:

Ut concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ crucifigeret,

Se totum Christo holocaustum immolaret.

In Cruce veræ nobilitatis insignia quæsit, & invenit.

Sic nempe Crucem primùm Dei Filius, dein Crux filios Dei nobilitavit.

Magnum inter nobiles, quos mundus, & quos sibi Crux auctorat, discrimen.

Magni illi ab omnibus fieri: hi ab omnibus parvi pendi volunt.

Læse nobilitatis crimen illi esse autumant: si non honorentur;

Hi tum se honorari existimant: cum contemnuntur.

Illos mundus fallit: honores aucupantur, & fumum capiunt;

Hi fallunt mundum: contemptum ambiunt, & honorari merentur.

Illi inter honores ignobiles: hi nobiles, quòd honores contemnant.

Religiosum cœtum suum, quem condidit, nobilem instituit;

A contemptu honorum honorabilem.

Quartum religionis votum solemne sanxit,

Quo se suosque singulari sacramento obstrinxit

Ad oblatas sacras dignitates detrectandas:

Quas sæpe alii prensant, etiam cum non offeruntur.

Suus quoque infulis sacer horror inest, à quibus sancti abhorrent:

Sanctius esse rati; has recuare, quam minùs sanctè gestare.

Has admittere illicitum volentibus, licitum statuit invicis:

Si Summi Ecclesiæ Antistitis imperio adigantur;

Qui id solus sub culpa & pœna præcipere potest.

Nec pœnam refugerent: si culpam possent evitare.

Imò dum sic imperanti parent, ut culpam effugiant:

Imperium illis pœna, honor onus, dignitas crux est.

AUGUSTINUS ADORNUS.

Adorari gestiunt nobiles: si ambitionis idola sint:
 Orari volunt: & raro sinunt se exorari.
 Vigiliis nesciunt, in utramque aurem stertunt plures:
 Tum solum excubias agunt, noctem in diem, diem in noctem vertunt;
 Cum deliciis vacare volunt.
 Viri dicti sunt *divitiarum*, qui divitias non possident:
 Sed à divitiis possidentur; ideo *dormierunt somnum suum,*
Et nihil invenerunt in manibus suis.
 Orare & vigilare suos jugiter jussit Augustinus.
 Adverte nobile nobilissimi Conditoris institutum,
 Quo vel veteres Accemetas resuscitavit, vel novos condidit:
 Imò prioribus omnino dissimiles, qui Accemetæ esse desièrunt;
 Ubi à primæva pietate ad Eutythianos errores transièrunt.
 Voluit alumnos suos precibus, vigiliis, jejuniis semper esse intentos:
 Ut cultui Divino, sui ipsorum castigationi nunquam non incumberent.
 Hæc pietatis exercitia omnibus sunt communia, & continua:
 Omnia obeunt singuli per vices, quod simul & semel non licet omnibus.
 Horas, dièsque sanctæ in orbem dividunt:
 Ut eadem agant omnes, quæ singuli; singuli, quæ omnes.
 Nulla dièi hora: qua non aliqui orationi mentali vacent.
 Nullus hebdomadæ dies: quo non alii jejuniis in pane & aqua se macerent;
 Alii cilicio, flagellis alii in corpus suum defarviant;
 Ut omnium & singulorum perpes sit oratio, continua pœnitentia.
 Angelis similes: quibuscum Deum continuè laudant;
 Dissimiles: quòd Angeli pœnitentiâ non egeant, quam tamen unicè amant.
 Placuit hoc indefessum virtutum studium Summo Christi Vicario:
 Ut nobiliori nomine Augustini Familiam insigniret;
 Clericos Regulares Minores compellavit.
 Fors pœnitentiam esse voluit Fratrum Minorum:
 Ut hi ex Clero in sortem Domini delecti cum iisdem Seraphinis æmulentur.
 Mariani Clerici à Mariophilo Conditore suo,
 A quotidiano Deiparæ cultu dici merebantur.
 Sed rectè dicti sunt Minores: qui penitus erant Mariani.
 Nec Mariani fuissent: nisi Minores esse studuissent.
 Congruerat hic nobilissimus titulus Marianis clientibus:
 Qui à nobili honorum contemptu, etiam dum magna agunt;
 Minores dici, & esse gestiunt:
 Ut Magnæ Ancillæ Domini, Matrisque suæ humilitatem imitarentur.
 Multis pauca tibi, Lector, de Augustino dixi:
 Ut, quàm in paucis nobilis fuerit, assequaris.
 Audiisti novum Accemetarum Institutorem:
 Laudari Deum in terris semper voluit, quod æternum facturum erat in cælis.
 Clericorum Minorum audiisti Conditorem:
 Humilitate meruit, vaticinio æternæ Veritatis, nunc esse Major in regno cælorum.






B. JOANNES À CRUCE.

*Hispanus, Antiveri in veteri Castilia nobilissimâ Supesiorum familia
 natus. Deiparam à pueritia coluit, ejus subsidio morti ereptus. Dei
 monitu Ordinem B. Virginis de monte Carmelo ingressus, in eodem
 reformando S. Ieresiam strenuè adjuvit, legis à Sancta Conditrice
 late defensor acerrimus, miris à Deo gratis ornatus die, quam
 prædixit, obiit 14 Dec. A. 1592. ætat. 49.*

79



B. JOANNES A CRUCE.

Repete, Lector, mecum nomen fronti præfixum :

Et in Elogii titulo totum habes Joannis Elogium.

BEATUS JOANNES A CRUCE.

A Cruce nomen accepit Beati: Crux Joannem Beatum fecit;
Unica in Cruce Joannis beatitudo.

Beatum pronunciavit Roma, proximè Sanctum declarabit:

Quem adhuc viventem S. Teresa, & fama publica sanctum vocavit.

Tres peculiare prerogativæ dignum faciunt apotheosi:

Vitæ puritas, Eliani instituti Zelus, virtutum sublimitas.

Innocentiam in sacro regenerationis lavacro susceptam nunquam amisit:

Nec primam amisisset; si innocens Adamus mansisset.

Nocens ex alieno semel, ex suo semper innocens.

Hæreditariæ omnibus communi culpæ nullam ex voluntate propria addidit.

Placuit intaminatæ Virginum Virgini Joannis integritas:

Displicuit nocentissimo dæmoni primo innocentia everfori.

Sæpe Joannem perditum ibat: ne periret, MARIA obstitit.

In flumen, & puteum prolapsa Virginea porrecta manu opem tulit.

A tenera ætate Deiparam tenerè amare cœpit, redamare puerum Deipara.

Vix literarum elementa balbutienti lingua edere potuit:

Et MARIAM blæsis vocibus, ut Matrem, venerari novit.

Nondum Crucis nomine insignitus, signo Crucis Stygem debellavit.

Septennis ab infernali spectro impetitus, cruce se muniit:

Et fugatâ orcinâ larvâ immunis stetit.

Prima hæc erat cum dæmone velitatio, prima victoria:

Qua futuris triumphis de Stygio illusore præluserat.

Eadem pietas, qua filii instar Deiparam coluit,

Mariano & antiquissimo Carmeli Ordini Joannem prædestinavit.

Hunc ingredi cælesti voce jubetur:

Ut secundum Protoparentis sui rigorem Elianum, à cultu Deiparæ Marianum,

A Seraphica Teresa reformatum faceret Seraphicum.

Adolescens Observantium Carmelitarum in numerum receptus,

Ætatis primo & vicesimo anno adultæ Virtutis specimina tiro edidit.

Severiorum literarum studiis excultus, & sacerdotio initiatus,

Divino imperio adimplendo ocyùs studuit:

Ut initia reformationis poneret, & Reformatrici Sanctæ succurreret.

Antiquatum Elianæ regulæ fervorem Teresa renovavit,

Veterem Carmelum eadem Virgo & Mater regenerans:

Novos Parthenones plures primævo Eliæ spiritu animatos erexit.

Ut ab eadem Viragine veteris Carmeli viri renascerentur:

Viri Eliano Zelo pleni operâ opus habuit,

Joannis à Cruce Teresa à JESU.

Reformatus sic Ordo Matrem nactus est Seraphicam,

Adjutorem Reformationis Seraphicum Virum, Excalceatorum Carmelitarum Primicerium.

Qui Joannem penitiùs noverunt, Seraphinum vocârunt.

Seraphinum nempe amor Crucis & Crucifixi fecere.

Hoc terrestres inter & cælestes Seraphinos datur discrimen:

Utrisque idem ab amoris excessu nomen congruit;

Illi Deum amant, pro quo pati vellent, si possent:

Isti amant Deum, pro quo pati volunt, & possunt:

Non penè amaturi, nisi pro Deo, quem amant, paterentur.

Ut Dyscoli Seraphicum reformationis opus sufflaminarent:

Eliani rigoris interpolatorem angusto carceri mancipârunt.

Clausus novem mensibus, inter jejunia & flagella beatè se vivere ratus:

Cui carcer adamata Crux, exoptata in Cruce erat beatitudo.


Tum verè Beatus Joannes à Cruce: cùm ab amore Seraphico Crucifixus.

Libertati captivum reddidit Mater admirabilis, abitum è carcere prodigiôsè monstravit.

Vindicandus sic erat reformationis Promotor,

Ut Deiparæ consecratus Ordo, reformatus, & Marianus toto orbe dilataretur,
 Sæpius immaniter Joannem cecidère dæmones, animam proturbaturi erant:
 Nisi pro Deo & Carmelo diutiùs vivere, ac pati debuisset,
 Devicti semper Stygii verberones recessère:
 Quibus invictus inter verbera Heros nunquam cesserat.
 Fugère posthac dæmones Joannem: Virgo fuit;
 Cujus puritas sæpe à lenis tentata, nunquam potuit labefactari.
 Ideo ipse Virgo immundos Spiritus de obsessis fugavit.
 Una ex energumena tres dæmonum legiones in orcum relegavit.
 Christum eâ formâ, qua olim Cruci affixus in Golgotha mortuus est, vidit:
 Hæc ipsa vivacissima morientis Amoris Crucifixi imago fuerat;
 Quæ Seraphicum Crucis amorem cordi Joannis impresserat.
 Crux amor erat Joannis: Joannes amor Crucis: beatum amor, Crux amantem fecit.
 Coram icone Servatoris Cruce onusti ardentius aliquando oraverat:
 Orantem benignè audiit Christus, Christum se benigniùs alloquentem Joannes.
Quam mercedem, quærit Dominus, pro laboribus tuis tibi expetis?
 Audi, quid amor eructarit: *paci, inquit, peto Domine, & tui amore contemni.*
 Quàm similis Seraphicæ Matri suæ Filius Seraphicus!
 Teresiæ paræmia erat: *aut paci, aut mori;* eadem optabat Joannes,
 Utrique par amor Crucis, utriusque Crux beatitudo.
 Plura de Theologia Mystica edidit volumina.
 Ut, quiqui hæc legerent; vel Theologi fierent, vel Theophili.
 Quisquis principem commentariorum *Flammam amoris vivam* hucusque legit:
 Illo igne correptus est, quo Joannes æstuabat.
 Librum hunc vel ipse Amor Divinus scripsit:
 Vel commodatâ Seraphini pennâ verba omnia scribenti suggestit.
 In Cruce beatè vixit, beatè in Cruce mori voluit.
 Ut à Cruce ad Beatorum gaudia ascenderet:
 Ulcerosi instar Jobi purulento ex pede laboravit.
 Jobus patientiæ erat miraculum: patientia Joannem fecit Thaumaturgum.
 Profluo ex ulcere sanies, suaveolens liquor fuit:
 Nectaris hunc instar ambrosii expertus est, qui exhaustis,
 Insolitum prodigii genus amor Crucis Joanni impetravit:
 Cujus sacra lipsana ceu speculum virtute Divina refulgent,
 Nec illa vultum inspicientis reverberant, sed cælestes imagines exhibent,
 Jam in his Christus Cruci affixus, jam ut renellus pusio,
 Jam Virginea Mater Divinum gestans Infantem,
 Jam denique Joannes à Cruce intuentibus spectatus est.
 Nunquid Sanctitatem Joannis probant miracula, ut Roma Sanctum declaret?
 Mortuus est, extra cælum jam in Cruce beatus:
 A Cruce ad Sanctos abiit in cælum.
 Eja Lector! qui Joannis apotheosin expectas: si Joannes esse non possis;
 Ama crucem, & beatus eris à Cruce.






VENER. THOMAS À JESU.

Lusitanus, Ulyssipone nobilissimo genere de Andrada ortus, strictioris discalceate reformationis Eremitarum S. Augustini Auctor A. 1568 à Ludovico Legionensi A. 1588. in Hispaniam, ab Andrea Diez in Italiam inducte, à Clemente VIII. A. 1592. approbate. A Mauris captus dira quæque pertulit. In carcere aureum librum de annis Christi scripsit. Repudiato htro, ut prædixit, obsequiis Christianorum captivorum immortalis est Marochii 17. Apr. A. 1582. ætat. 55.

60



VEN. THOMAS A JESU.

Multa in Thoma laudabilia: sed laudare Thomam perdifficile est.

Laudem meretur illustrissimus natalium splendor: quem despexit.

Nomen & Cognomen splendidum: utrumque illi erat ominosum.

Mundi contemptus: in quo nil honore vel amore dignum vidit.

Reformandæ religiosæ disciplinæ studium: ab invidia sufflaminatum.

Fidei Zelus: pro qua vitam & sanguinem fundere gestiebat.

Tolerantia in adversis: amor fecit impassibilem.

Carceres & compedes: carcer illi paradysus, vincula erant adamantes.

Mellitissimus calamus: quo aureum librum de ærumnis Christi scripsit:

Et suas, quas pro Christo tulit, descripsit.

Omnia hæc laude dignissima: sed ubi penna, qua condignæ laudes adornentur?

Gratulari libet Thomæ, quem laudare non licet.

Unicum Thomæ Elogium, sit MULTIPLEX GRATULATIO.

Gratulor tibi primùm Heros fortissime,

Quòd a vitâ nobilissimorum Heroum ortus profapia,

Regiam Lusitaniæ metropolim nactus sis patriam Ulyssiponem.

Ne cum Ulysse aliquando contra Sirenes aures tibi cerâ obturandæ essent:

Mundo, ceu à naufragiis infami mari, ocyùs te subduxisti;

Dum cerea adhuc in ætate in portum applicuisti.

Gratiam simul & nomen Apostoli eodem è lustrico fonte hausisti.

Thomas dictus es: qui primus Apostolorum fidem Indis prædicavit:

Tu Thomam æmulatus, Africæ factus es Apostolus;

Telis ille confixus ab infidelibus, tu ærumnis.

Gentilitium Andradæ cognomen sacrationi mutasti, imò sanctissimo.

Lustricum hoc secundum erat, tibi proprium:

Quod in regeneratione altera à JESU religio imposuit.

Papæ! quàm religiosum cælitibus, terrigenis, & inferis nomen!

Magis tibi gratulor: quòd à paternis ædibus ad cœnobium transferis.

Maturè innocentia tuae Parens probissimus consultum ibat:

Cùm decennem te Eremitis Divi Augustini educandum traderet.

Latitare thesaurum suum voluit in Monasterio *Domina nostra de gratia*.

Nusquam thesaurus hic tutior erat, quàm in abscondito:

Gratiosior nusquam, quàm sub præsidio Matris gratiarum.

Tertium vitæ lustrum emensus, Crucis stipendia mereri voluisti:

Tu penè adhuc puer Institutoris Eremitarum Sanctissimi Ordinem,

Te Ordo Sanctissimus annis puerum, virtute virum, Eremitam amplexus est.

Odisse mundum ea ætate cœpisti: qua alii amare incipiunt.

Priusquam mundo nuntium mitteres: habuisti in patria eremum, post patriam in cremo.

Nil cremo hac Augustinianæ Familiæ fœcundius:

Adolevisti in hac virtute & scientiis, & illæ tecum.

Philosophicis, & Theologicis disciplinis eruditus, iisdem alios Magister imbuisti.

Oratorem sacro è pulpito te avidis auribus populus audit:

Virtutem, quam concioni tuæ verbo suavisti, exemplo tuo persuavisti.

Annos complures Tironibus tui Ordinis præfuisi:

Ut in teneris animis Christum formares;

Omnibus præprimis Dei amorem, & studium orationis inculcasti.

Optimè gnarus, in his omnem religiosi hominis Philosophiam & Theologiam sitam esse.

Num tibi plus gratuler, quàm compatiar;

Quòd Ordinem tuum, ut Augustini instituto conformior esset, reformare volueris?

Magnam hic partus tuus, quem eniti parabas, excitavit tempestatem.

Ideo mira & dira, sed admiranda & hilari tolerasti patientia.

Displicuit pluribus reformationis nomen, quibus postliminò placuit.

Nec tibi compatiar, sed plurimùm gratulor: quòd passus sis.

Giganteum opus concepisti: inter dolores parturiendum tibi erat.

Nec abortiisti: abscondi tantisper debuit hic fœtus tuus, ne interiret.

Cessisti tempori & invidiæ: ut subinde invidia, quæ restitit, tibi cederet.

Reformationis suæ Auctorem te hodie agnoscunt.

Excalceati

Excalceati Magni Augustini Eremitæ.

Reformasti Ordinem tuum, dum reformare voluisti:

Reformati à te fuerunt, qui reformari noluerunt.

Destitisti à reformatione, & Reformator esse non desisti.

Te mansit Africa: & tu Eremitici rigoris Instaurator permanisti.

Prodiit in lucem, aliquantum reconditus, partus tuus, quem in Lusitania edidisti.

Tua fuit reformatio, quam Hispaniæ & Italiæ alii invexere.

Gratulor nunc tibi, quòd infeliciter in Africam transmiseris,

Comitatus es Lusitaniæ Regem Sebastianum, classemque regiam:

Te, Regem, omnemque Christianam militiam comitata est calamitas.

Communis omnibus infelicitas tua fuit felicitas.

Deseruisti Europam, ut in Africa Martyr fieres: quid felicius?

A Mauro vulneratus, captus, venditus, carceri mancipatus,

Plus aliorum compedes, vulnera, interitum sensisti, quam tuas miseras.

Libenter miser eras: quòd alii miseri facti sint, maxima fuit tua miseria.

Plus verberum quotidie, quam panis, à barbaro hero tuo accepisti.

Eripere is tibi voluit Christum: tu illum ad Christum trahere.

Ideo tu feliciter miser: quòd in fide perstiteris, pro Christo mori paratus;

Infelix ille, & miser: quòd Christum agnoscere, & Machometum deserere noluerit.

Quid flagra, fames, carcer, vincula tua? felicitatis tuæ, gratulationis meæ argumenta

Machometani tyranni mancipium eras, genuinus Christi libertus.

Tenebricosum carcerem incoluisti: modicam lucem angusta rima dedit.

Christus sol tuus fuit: quo dictante ærumnosam Servatoris tui vitam scripsisti.

Spectasti è Cruce pendentem, & quæ scriberes, è Crucis cathedra audiisti,

Crucifixi discipulus & Christianæ patientiæ Magister.

Illuminatissimum hoc opus in carceris nocte exarasti:

In Europam illud delatum, plures in linguas translatum, sic legentium corda illuminavi:

Ut omnes patienti Christo condolere, & pro Christo pati addiscerent.

Lusitani Regii Oratoris beneficio carceri emancipatus, Marochium avectus es,

Gratulor tibi, quòd mancipium esse desieris, non captivus pro Christo.

Marochii inter duo Christianorum captivorum pauperum millia

Captivus ipse & pauper, pauperum & captivorum fuisti Apostolus.

Hos in fide stabiliisti: Mauros & apostatas plurimos ad fidem adduxisti.

Martyrii desiderio æstuasti: placuit Deo voluntas, tui loco alios fecit Martyres,

Quos constantiâ in fide, & omnigena pietate imbutos martyrio aptasti:

Martyr ipse in voto, & plurimorum Martyrum Prens.

Oblatum lytrum detrectasti, ut vincus in Domino permaneres.

Vincula tibi erant magnanimæ fortitudinis & Christianæ libertatis insignia,

Eodem pretio, quo libertatem tuam emisses, alios redimi voluisti.

Mansisti captivus inter captivos, ut captivi in fide Christi manerent.

Gratulor tibi supremum, quòd Martyris instar vixeris, & decefferis.

Gessisti, & tolerasti ea, quæ Martyribus propria sunt.

Propheta insuper fuisti: iter tuum in Africam, vincula, ærumnas tuas,

Diem Mortis, & beatum ad cælum transitum uti præsciisti, sic prædixisti.

JESUM moriens ingeminasti, & mortuum JESUS suscepit.





CÆSAR DE BUS.

Gallus, natus Cavallionæ. Clementis VIII. consensu A. 1598. instituit congregationem Patrum de doctrina Christiana, confirmatam à Paulo V. Cæcitate oculorum insigni patientia sustinuit. Avenione noctu orans, luce visibilis solis circumfusus ad lucem raptus inaccessibilem. A. 1629. ætate 35

C. Weigel. exc.

81.



CÆSAR DE BUS.

Uc mirabilem se Deus in Cæsare exhiberet,

Mira in Cæsare egit: mira Cæsarem pati voluit.

Miserum fecit, ut in misero sua elucesceret Misericordia.

De Deo omnia vidente cecinit Psaltes: *sicut tenebra ejus, ita & lumen ejus. Psal. 138. v. 12.*

Commodè hoc Regii Vatis effatum Cæsari accommodaverim,

In quo lux & tenebræ mirabiliter cohæsere, Deo cæcitatem oculante,

Doct̃or fuit obscurus, & clarus, Congregationis Doctrinæ Christianæ Auct̃or.

Fidei Mysteria elucidavit: Fides obscura juxtà ac lumen est.

Sic nempe *nox nocti indicat scientiam. Psal. 18. v. 3.*

De Deo non visibili locutus, sermoni, quem audit, attendit

Quasi lucerna lucenti in caliginoso loco. 2. Petri. 1. v. 19.

Cæsareo dignus est Elogio, dignum Cæsare Elogium dant duo verba:

CÆCUS ILLUMINATUS.

In luce caligavit, in tenebris vidit: nox illi diem, dies noctem accendit.

Lucem vidit esse tenebras, & tenebras esse lucem:

Ideo in luce fuit cæcus, in tenebris oculatus.

Nobili genere natus, Nobilium studia sectatus, aulam & militiam.

Duodevicennis Marti nomen dedit, in hostes fidei pugnavit turpissimos:

Qui sub specioso reformatæ religionis nomine vitæ licentiam captabant.

Galliarum Regi Carolo IX. subinde ab obsequiis fuit:

Et triennio in aula bibit de calice aureo Babylonis; nec sitim exstinxit.

Tenebrosa hæc lux erat trini fulgoris mundialis.

Alieno splendore micat nobilitas, de corruptione generatur.

Tot illi furvæ sunt maculæ: ut patriciæ nobilitatis symbolum sit luna,

Militiæ caliginosum est jubar:

Militia, & Malitia ut vocum cortice, sic significatione sunt affines.

Aulæ ministeriorum evanida lux est, densa circumseptâ caligine:

Clibani fumantis instar lusciosorum præstinguit oculos.

Ut de his seculi tenebris in admirabile lumen suum Cæsarem Deus vocaret:

Sequestro viro uno, coactilitii operis artifice,

Muliere una infimæ fortis usus est.

Nomen illi Guiottus, huic Antonia: par utrique virtus, & timor Dei.

Ille Cæsari Theodidactus, hæc sanctorum morum Magistra fuit.

Antonia Cæsarem piis monitis, Deum pro Cæsare precibus & lacrymis fatigavit:

Utrumque feliciter exoravit, dux femina facti.

Piorum librorum lectionem Cæsari suasit, ut profanos nausearet.

Intemperantiùs Poësi addictus fuerat Cæsar:

Mox pervolutis sacris codicibus, pietatem amare, odisse cœpit Poëticen.

Usurpata hæc pia lectio fax erat, quæ mentem illustravit:

Ut à fabularum nocte ad veritatis diem transfiret.

Sparsa inter amicos licentiosa metra repetiit, & Vulcano sacravit:

Haud illustriori torculo librario, quàm camino digna.

Scriptiones veluti animi fœtus auct̃oribus pro filiis sunt:

Abrahamum æmulatus est Cæsar: filium ille suum immolare paratus erat;

Hic mentis suæ sobolem jugulans, gratissimum Deo holocaustoma adolevit.

Generosioris animi specimen, sed graviore cum lucta edidit:

Cùm publicum Dei honorem publico sui contemptui anteponeret.

Templum subiit orationis gratiâ: vix illud subiturus, si prænovisset;

Quàm asperum obsequii genus pro suavi oratione sibi imponendum esset.

Eucharisticus Panis in æternitatis viaticum ad ægrotantem deferendus erat:

Jubet Cæsarem Guiottus facem prehendere, Regem Regum comitari.

Nullum Guiotto in Cæsarem jus, auct̃oritas nulla:

Nisi ab existimatione probitatis, à studio Cæsaris profectum curandi.

Ignobile pro depravati seculi sensu tum hoc ministerium habebatur:

Vel æditui puerulo, vel alteri proletario proprium, alienum à nobili.

Capessit opificis imperium nobilis, sui victor, & Dei cultor.

Paret homini, ne debitam Deo latriam neget.

X

Prehenso


Prehenso funali velatum sub sipatio specierum Numen præcedit:
 Tantò gloriosior, quantò gloriæ suæ incuriosior,
 Hic primus Cæsari à tenebris seculi ad sanctimoniam lucem gradus fuit.
 Vix ad servitutum Dei accesserat, vix cæli deliciis frui cœperat:
 Cælesti voce admonetur, ut stet in timore, & animam suam paret ad tentationem,
 Post breve lucis interusurium rursus in nubila & tenebras incidit:
 Ut qui lucem in tenebris conceperat, in luce cæcus esset illuminatus,
 Gravissimis circa res fidei tentationibus exagitabatur, pro fide vitam dare paratissimus.
 Morte ipsa durius mortis genus illi erat, tentari in fide.
 Toties mortuus: quoties tentatus; toties martyrii aureolam meritis: quoties vicit.
 Annis viginti septem Angelum Satanæ se colaphizantem sustinuit:
 Nec ingloria hæc carnis rebellio contumaciam molientis Cæsari fuit,
 Quæ plerisque maximis Sanctis communis extitit.
 Contumaciùs huic cæstro Cæsar restitit, & gloriosius allatrantem Satanam retudit.
 Ad longam annorum seriem ariditatem animi passus, acerbam adeò:
 Ut hanc quandam inferni adumbrationem compellaret, indubius cæli candidatus.
 Nec desertus tum à Deo fuit: cum nec Deum cæsar, nec Cæsarem Deus deseruerit.
 Scortator & hæreticus proclamabatur, vitæ & fidei integer, de carne & hostibus fidei triumphans.
 Ærumnæ hæc erant animi, aliæ externæ, ultrà susceptæ, & toleratæ.
 Affixerunt corpus Cæsaris Satanas, morbi, Cæsar ipse.
 Sæpius à dæmonibus dirè cæsus est: qui se quotidie cruentè cecidit.
 Vitam, si licuisset, flagellis Cæsari eripuisset Satan, quam sibi ipse jejuniis & flagris penè ademit.
 Nullum ægritudinis genus fuit, quod in Cæsarem non desævissset.
 Quot in eo partes corporis, tot tormenta, præter ea, quæ totum corpus torquebant.
 Emaciata sponte caro vix tot malis diversorium capax erat.
 Ne extrema, eaque calamitatum maxima deesset:
 Cæcitate, quæ vitam hominis ante mortem extinguit, multatus est.
 Nec cæcitas multa fuit; sed præmium virtutis, lucis augmentum,
 Erat oculis orbatus, ut animo esset oculatior:
 Ad terrena omnia cæcus, ad sola cælestia illuminatus.
 Prophetæ dicti olim videntes: Prophetam dixerim Cæsarem, sed cæcum videntem.
 Abditas cordium latebras, futura Deo detegente cæcus prospexit, & videns aliis detexit.
 Prudentia justorum est oculus, & lux animæ: hæc Cæsari cæco affulsit.
 Religiosum Cœtum suum tanta prudentiæ luce gubernavit, ut ejusdem oculus dici mereretur:
 Piissimis legibus communivit, illius lex ipse viva, ac rationalis pietatis.
 Ideo hodie dum floret, & uberrimos Ecclesiæ fructus profert,
 Cæcum ducem habuit, sed videntibus magis illuminatum.
 Huic ex instituto Cæsaris incumbit fidei mysteria ignorantes docere,
 E tenebris seculi cæcos mortales ad cælum deducere,
 En! quàm illustres Cæsaris tenebræ in terris, nunquid illustrius lumen ejus in cælo?
 Hoc è loculo suo corpus insonat voce muta, sed viva.
 Fuerat hoc sagittarum Domini scopus:
 Par erat, ut in eodem, sicut tenebræ præfulserant, ita & lumen Dei promicaret.
 Hodie post tot annorum lustra labis experts, nescit corruptionem.
 Metire, Lector, ex gloria corporis fulgorem animæ cæci hujus illuminati:
 Si mundi tenebras oderis, tum cæcus eris, & ad cæli lucem cum Cæsare pertinges.



VEN.



Hispanus, Almodovarenatus, Toleti literis severioribus instructus, Ordinem S.S. Trinitatis Redemptionis captivorum amplexus A. 1580. Vallerupensis Domus Recollectionis Ministerelectus, ut primitivam Regulae observantiam reduceret: auctoritate Clementis VIII. A. 1599, novam Discalceatorum instituit congregationem, ac mirifice propagavit. Miraculis clarus obiit Cordubae 14. Febr. A. 1623. aet. 52.




JOHANNES HARTMANN'SCHES VERLAGSWERK

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is too light to be transcribed accurately.

EN. JOANNES BAPTISTA à CONCEPTIONE.

Joanni populari suo adhuc viventi Hispania adornavit Elogium:
 Dum *Sanctum Miraculorum* nomine proprio compellavit.
 Ideo hodie Romæ supplicat: ut beatum cæli incolam declaret;
 Quem vox populi jam Sanctum in terris promulgavit.
 Sancti nomen illi non vulgus, sed copia miraculorum imposuit.
 Alii Sancti faciunt miracula: Joannem miracula fecere Sanctum,
 Tam Sanctis miracula, quam miraculis Sancti competunt.
 Expectat judicium Romæ Hispania: probabit Roma miracula, & beatum dicet.
Clamant Joannis sanctitatem miracula: ideo Hispania ante Romam sanctum proclamavit.
 Eadem nova vox erit oraculi Romani, quæ antiqua fuit Hispaniæ.
 Resonabit aliquando ex Vaticano Tripode exoptata Echo,
 Dum idem dicet, quod dudum dixit Hispania.
 Tu interim, Lector, mecum Joannem venerare
 Ordinis SSS. Trinitatis de Redemptione captivorum
RESTAURATOREM:
 Restauratorem dixisti, & fidenter Joannem vocasti Sanctum miraculorum,
 Antiquum Hispaniæ Elogium repetisti.
 Grande opus est reformationis opus, miraculum Sanctorum.
 Sanctum opus est reformationis opus, non nisi Sanctis proprium.
 Quid sanctius Ordinibus regularibus reformatione?
 Ut vel nunquam primitivus instituti tenor antiquetur,
 Vel antiquatus rursus interpoletur.
 Utrumque vires naturæ excedit: & ideo miraculum est.
Nec aliud religiosam disciplinam reformare est, quam Ordinem sanctificare.
 Ordinis reformatio Ordinis est sanctificatio:
 Ideo Reformatores Ordinum dici possunt Sancti miraculorum,
 Ordinis reformatio miraculum Sanctorum.
Quod cælum de Joanne S. Teresiæ revelavit, hoc Teresia mundo propalavit.
 Rescivit divinitus instaurati Carmeli Seraphica Mater,
 Sacri, quem amplexurus erat, Ordinis fore instauratorem Joannem:
 Reformatorem Reformatrix, Sancta Sanctum prænuñciavit.
 Prima jam à pueritia spiritus sanctæ reformationis in Joanne eluxit.
 Ut ceream ætatem suam ad omnigenæ pietatis leges conformaret:
 Se reformare studuit; & quod reformaret, non invenit.
Innocentia ipsa illi stimulus erat, ut tanquam nocens pœnitentiæ opera exerceret.
 Rigorem vitæ puer auspiciatus: ut semper maneret innocens;
 Eundem vir adultus in aliis restauraturus.
 Lineis vestibus uti noluit: ut maturè religiosæ assuesceret melotæ.
 Carnium esu sibi interdixit: jejuniis primo cum lacte innutritus.
 Popularis auræ strepitum jugiter fugit:
 Ut continua caelestium rerum contemplatione pasceret animum.
 Ne unquam inter tentationum fluctus naufragaretur:
 Stellam maris respexit, MARIAM invocavit.
 Hæc illi tutissima salutis cynosura, ad quam tentatus confugeret.
Exagitato carnis illecebrosæ procellis adfuit Deipara, & victorem fecit.
 Ut Virgineæ Matri victoriæ auspici gratum se exhiberet:
 Novem annorum puer coram ejusdem ara castitatis votum nuncupavit.
 Salmanticæ Philosophicæ laureâ ornatus, scientiarum ipse ornamentum.
 Liberalibus artibus impendit operam, ut se illi religiosæ familiæ aptaret:
 In qua ut virtutum, sic literarum summum viget studium.
 Sapientiæ non minùs, quam Sanctitatis excellens opus est reformatio:
 Utrâque opus habuit, & excelluit sanctus Reformatior.
 Ordinis sui alumnos Philosophicis & Theologicis disciplinis imbuit:
 Ut doctis & intelligentibus faciliùs disciplinæ regularis rigorem persuaderet.
 Quidquid pro inducenda reformatione egit: penè erat miraculum.
Quot in eo virtutes: tot fulsere miracula; nec aliud virtus ipsa quam miraculum est.
 Imò illustrius est, clarescere virtutibus, quam miraculis:

Hoc gratuitum Dei donum; illud arduum hominis opus, Deo gratissimum.
 Zelus & charitas magnum fuit Joannis miraculum, utriusque Joannes.
 Ægrotantium ministerio in nosocomiis addictus, languentium morbos sic allevare studuit:
 Ut plus levando animarum languori fuerit intentus.
 Ea, quæ Apostolorum sunt, strenuè egit, tulitque.
 Missiones sacras & arduas alacri animo suscepit:
 Ut vel fidei orthodoxæ faceret incrementa, vel animarum lucra.
 Apostolici Prædicatoris caractere insignitus, Apostolus Verbum Dei disseminavit.
 Quot peccatores convertit: tot erant Joannis miracula.
 Humata alii cadavera: Joannes animas innumeras è peccatorum sepulchro resuscitavit.
 Fides in Deum magnum Joannis miraculum, Fidei miraculum Joannes.
 Crebrò à Styge horrendis imaginibus impetito
 Terriculamenta Saranæ non terrorem incussere, sed risum excivere,
 Risit ridiculum mimum, & ridendo devicit.
 Velatus sub triticeo orbe Deus, scutum illi inexpugnabile:
 Quo tela ignita inimici excepit, & victor repulit.
 Ad Solem Eucharisticum confugit: & tenebriones Stygios fugavit.
 Magnum fuit Joannis miraculum humilitas: humilitatis miraculum Joannes.
 Imitari Augustinum voluit, & penè non potuit:
 Fecit hoc, quod Augustinus: & post Augustinum nemo alter.
 Ut primus esset Augustinus, Augustino cessit Joannes:
 Ne solus Augustinus esset, Augustino Joannes successit.
 Grande prodigiôsæ humilitatis argumentum: se palàm peccatorem profiteri;
 Majus: peccata sua universo mundo vulgare, quæ omnes celant.
 Librum confessionum scripsit uterque, in hoc magno Augustino major Joannes:
 Quòd ibi etiam culpam agnoverit, ubi culpa non erat;
 Minima errata, eeu maxima piacula, rigidissimâ censurâ perstrinxerit.
 Magnum fuit Joannis miraculum fortitudo, Joannes fortitudinis:
 Utriusque maximum Ordinis reformatio.
 Mortem Joanni Orcus minitabatur, ut à proposito absterreret:
 Jugulato nempe Reformatore suffocatam voluit Reformationem.
 Videre tum meruit Deiparam, & Christum immenso splendore circumfusum,
 Mox ipse gaudio perfusus: & spectra inferni videri desière.
 Triduo Romæ visibili specie per urbis vicos Christus Joannem comitatus est,
 Modúmque instaurandi Ordinis enucleatè edocuit.
 Joannem Reformatorem esse voluit: ipse Reformationis Auctor.
 Rata omnia habuit Christi Vicarius, quæ Joanni Christus suggererat.
 Approbavit Reformationem Pontifex, quam priùs Dei Filius probavit.
 Renovatus disciplinæ vitæ rigor hodie suo perstat in vigore.
 Mansit in terris reformatus Ordo, & in cælum abiit Reformatior.
 Nec obiisse videtur hic Sanctus miraculorum: dum Sancti augentur miracula.
 Restituit jam tumulatus cæcis visum, agris valetudinem:
 Epidemica lue in Regno Murcia infectos piè se invocantes morti eripuit.
 Reverita est mors Joannem mundo creptum, & in cælis viventem venerata.
 Translatum post evolutos annos septem & decem Joannis corpus exanime
 Suavissimam odoris fragrantiam spiravit.
 Paradisi hic odor, hoc cæli erat miraculum, quod Sanctum miraculorum in sua recepit.



PETRUS



PETRUS DE BERULLE.

*Gallus, natus in Campania, s. Francisco Salesio amicissimus, fundavit
congregationem Oratorü Domini nostri Jesu Christi, confirmatam
a Paulo V. annò 1615. contra voluntatem suam ab Urbano VIII. S. R. E.
Cardinalis creatus, obiit Parisius 2. oct. an. 1629. etatis 57.*



PETRUS DE BERULLE.

Facile Elogii genus, laudare eum, qui totus Elogium est.
 Oratorii hic illustrissimus Conditor tacitus est sui Orator.
 Dum vel solum Berullii nomen dicitur, panegyricus auditur.
 Omnia in eo nobilia, genus, scientia, virtus.
 Nihil animi demissione nobilius, quæ hæc omnia vult ignorari.
 Erubuit olim purpuram plus ipsâ purpurâ: erubescit hodie Elogium.
 Hæc maxima Petri laus, mereri laudes, & laudes rejicere.
 Quisquis hoc solum dixerit de Petro, tacendo laudes, omnia dixit.
 Ut ergo artificioso silentio laudari nolens laudetur,
 Elogii summa erit: Petri PURPURATA HUMILITAS,
 Purpuram primis ab infantia annis averfari visus est,
 Puerum verecundissimum purpura deperire.
 Hac ipsa verecundia se purpuræ vel inscius à puero aptavit.
 Ut Virgineæ Deiparentis integritatem æmularetur:
 Nuncupato perpetuæ castitatis voto,
 Virgineum animi corporisque pudorem septennis eidem consecravit.
 En! ut rursus puritatis candor Petrum insigniverit Purpuræ Candidatum.
 Parisiis in sacrarum literarum studia incubuit:
 Capax illi ingenium, mens casta, in cuius sinum se scientiæ infunderent.
 Semper casti dociliores: virgines amat Spiritus Sapientiæ.
 Magistrali Theologiæ laurea decorari meruit:
 Et purpurâ Theologicâ Romanæ purpuræ prælusit;
 Ut bis purpuratus esset, & altera alteram exornaret.
 Quot virtutibus subinde inclaruit, tot dotibus purpurascere cœpit.
 Primogeniti jure se abdicavit, fumosas Hymenæi tædas exofus,
 Sprevit nuptias, divinissimo Virginum Sponso pridem subarrhatus.
 Oblatas Ecclesiasticas dignitates repudiavit: quæ dignissimum deligebant.
 Ut his aditum omnem præstrueret, voto se obstrinxit:
 Nunquam sacros honores se admissurum.
 Haud unquam dignior dignitatibus: quàm dum his renunciavit.
 Institutum ideo Societatis JESU amplecti statuit:
 Obviis Petrum ulnis complexa fuisset Societas;
 Sed tum è Galliis exulare iussa fuerat.
 Proscripserat Gallia Societatem, quam livor & calumnia finxit nocentem:
 Eandem postliminiò reducem gloriosius excepit.
 Debitus hic erat innocentia triumphus, Societati & Galliæ communis.
 Triumphavit vindicata Societatis innocentia: innocentiam vindicavit Gallia;
 Ut cum innocente innocens triumpharet.
 Voluit Providentia Divina exulare è Galliis Societatem:
 Et Petrum non ad religiosos sequendos Ordines, sed instituendos,
 Ad cognominem Societati JESU condendam sacram Familiam ordinavit.
 Ne JESU Societatem Petrus ingrederetur; temporum vetuit iniquitas.
 Nunquam Jesuita fuit, & mansit Jesuita: qui nunquam corde dimisit JESUM.
 Qui JESU Socius esse non poterat: Institutor factus est Oratorii Domini JESU.
 Vix nata Congregatio, hoc augusto nomine insignita: & aucta est.
 Paucis post annis quinquagena Collegia in Francia & conterminis regionibus recensuit.
 Incrementa hæc Deus dedit.
 Alumnos suos Petrus instituit Oratores JESU:
 Oravit pro suis JESUM Petrus: & JESUS Patrem suum pro oratoribus suis.
 Ut Elianum Carmelum, quem Teresa à JESU instauravit, Galliæ inveheret:
 Hispanias adiit, & supremum vitæ discrimen subiit.
 Hausta navi procellosi maris fluctibus, & demersis omnibus,
 Solus ferente suppetias Divinâ Dexterâ in litus ejicitur incolumis.
 Virginem nempe revereri debuit mare.
 Venus nata mari gratis fingitur: dignior, quæ in abyssum pelagi absorberetur.
 Mergi nequit Petrus: cujus Virginitas naufragium nesciit.
 Adduxit in patriam reformati Carmeli Colonias Terefianas:

LXXIII
PETRUS DE BERULLE

Lutetia primum iisdem cœnobium erexit,
Matrix hæc erat, unde quadraginta alii Parthenones subito prognati sunt,
Obstupuit Gallia & virgineis his Christi Amazonibus se inundari lætata est.
Infremuit Orcus: & conatibus Petri seculi Principes resistere.
Resistentibus obstetit Deus, & Petro adstitit.
Cessere potentes Omnipotenti: dum pro Petro Deus stetit.
Vicit Petrus adversariorum machinamenta; in causa Dei pati, non vinci potuit,
Regi Christianissimo Petri virtus cognita fuit: & ideo in amoribus.
Felix aula: cui virtus nec displicet, nec incognita est.
Nunquam illa aula non utilis: si modò nota sit.
Sæpe aula virtuti: non virtus aula placet.
Obsequiis Petri Rex uti voluit: cujus pietas Regi ad omnia utilis erat.
Officiosa semper virtus est: tantò paratior servire Regibus;
Quantò magis imperata aulica officia redolent pietatem.
Legationis munus Petro imponitur: onus grave; quia aulicum: leve; quia pietatis,
Ut concepta in Regis aulam odia Regia Mater poneret, effecit Petrus:
Iratæ Parentis cor Filio reconciliavit.
Petrum primum Oratorii JESU Generalem Præpositum
Oratorem suum Rex idem in Vaticanam aulam submisit.
Vidit Roma Petrum, Oratorem Regis audit, utriusque virtutem & sapientiam suspexit.
Supplicavit subinde Ludovicus XIII, Urbano VIII. Summo Ecclesiæ Antistiti:
Ut Petrum sacro Cardinalium Collegio adscriberet.
Supplicanti lubens annuit Pontifex: annuisset etiam, si non supplicasset.
Preces Regis excepit, & admisit: quo tacente virtus pro Petro perorasset.
Nulla omnino virtus in Petro desiderabatur:
Quæ illi suffragium suum pro purpura non contulisset;
Sola restitit humilitas, & sola, si reliquæ refragatæ essent, purpurari meruit.
Purpuratorum Patrum Senatui adlegit Papa:
Nota erat Urbano voti religio, qua Petrus obstringebatur;
Ideo si oblatam dignitatem detrectaret, contumaciæ damnat.
Obtemperavit Petrus Pontifici mœrens & flets: ut Deo obediret.
Nec rubeus Galerius Petro nomen attulit Eminentissimi:
Sed hunc illi virtutis eminentia imposuit.
Sic admisit Purpuram, ut purpura, quam ipse erubuit: humilitatem Petri non erubesceret.
Purpuratus nihil à pristinis pietatis & humilitatis officiis remisit.
Lectus illi, ut antè, stramineus, cibus vulgaris, exercitia virtutum eadem,
Purpurâ foris indutus, intrâ corpus cilicio circumdedit, quod nunquam deposuit.
Accumbentibus ad mensam Ordinis Fratribus ministravit:
Nec hoc demissionis genus Purpurata Petri humilitas erubuit;
Erubuisset amplius Purpuram; & non esse humilem.
Famâ Sanctitatis, quam tanta excivit humilitas, in vita & post mortem inclaruit.
Sacris ad aram operabatur: & deliquio corripitur, ad cælum abripiendus,
Perficere nequirit sacrificium Sacerdos, perfecit ut victima.
Corpus Domini expetiit, sumpto æternitatis viatico, pharmaco immortalitatis obiit.
Sic quem virtus purpuratum fecit: purpurata humilitas è terris cælo transmisit.




VEN.



VENER. JOSEPHUS À MATRE DEI.

Aragonius, nobili genere Calasanticorum Petralte natus, Philosophiæ, Jurisprudentiæ, ac Theologiæ laureâ decoratus, Religionem Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum crexit Romæ A. 1597. à Gregorio XV. approbatam A. 1621. Deiparæ cultui et pauperibus pueris in pietate et literis instruendis addictissimus. Obiit 25. Aug. A. 1648. æt. 92. plurimis ante et post mortem miraculis coruscans.

87.



VEN. JOSEPHUS A MATRE DEI.

Pium te volo, Lector, si Christianus es.

Imò ipse pius esse vis: ne tuo sis nomini injurius.

Immane monstrum; Christianum dici, & Christianum pium non esse.

Ut pius sis, Josepho utere Magistro.

VIVA est PIETATIS IDEA.

Nobili stirpe natum mox Pietas suscepit educandum.

Hæc nutrix Josephum lactavit, suique amorem cum lacte illi indidit.

Nobilis nasci potuisset: non esse, nisi Pietatis collactaneus fuisset.

Nec aliud est verè esse nobilem, quàm esse pium.

Obscura est antiqui generis claritas: nisi à pietate illustretur.

Nil Pietate antiquius: Deo coæva est, & homines facit Deos.

Elegans corporis venustas Josephum fecit speciosum.

Naturæ hoc & Conditoris naturæ donum erat gratuitum:

Ut ab externa pulchritudine interna animi formositas pulchrius eniteret.

Nil pietate formosius: lasciosi oculi vitium est,

Indecorum quid in ea videre.

Nec liberalior forma Pietati officit:

Tum solùm deformium vitiorum illicium est; cùm officia Pietatis negliguntur.

Semper Musis amica Pietas:

Decus illa literarum est, literæ Pietatis incrementum.

Pluribus in Academiis severioribus disciplinis animum imbuit Josephus.

Perpiniani, Valentia, Compluti illius literata Pietas innotuit:

Cùm Philosophiæ, Jurisprudentiæ, & Theologiæ vacaret.

Triplici Magistrali laurea ornatus est:

Lauræ ipse & Pietatis ornamentum; pius Philosophus, Jurisperitus & Theologus.

Ægrotanti graviter valetudinem restituit Pietas.

Ut hanc recuperaret: Deo piè vovit statum Clericalem.

Placuit Deo Josephi Pietas, & morbum sustulit.

Redditus sibi Josephus, Deo mox reddidit, quæ Dei erant, promissi fidem.

Clericali militiæ auctoratum, initiatum Divino ministerio Sacerdotem,

Arctiori vinculo sibi obstrictum amplexata est Pietas.

In sortem ministerii Dominici translatus,

Grande in Pietatem piaculum fore credidit: si opes possideret;

Ideo omnia bona sua in pauperes erogavit.

Pauper esse voluit: sat dives futurus, si sat pius.

Sic nempe Pietas paupertatem facilem reddit: Pietatem fovet paupertas.

Nec malesuadam dixeris paupertatem, pia est:

Quam Dei Filius suavit; qui cùm dives esset, pro nobis factus est egenus.

Salutem proximi ardentè sitiebat: postquam terrena omnia fastidivit.

Novit animarum lucrum sacratissimum esse Pietatis quæstum.

Indefessus pœnitentibus sacro in tribunali aures præbuit,

Apostolico Zelo æstuans de Ecclesiæ suggestu Verbum Dei prædicavit:

Utròiq; sive cùm peccata clam audiret, sive cùm à concione palàm audiretur;

Impiger Dei Minister, Pietatis studium omnibus inculcavit.

Honores fugit Pietas, honor Pietatem fugientem insequitur.

Noluit honorari Josephus: ne minus pius esset;

Voluit honorari Josephum Pietas: ut magis pius foret.

Admisit honores Josephus: tanquam sacrum Pietatis onus.

Plures in Hispania Episcopi Josephum suum sibi adsciverunt Adjutorem.

Erat Antistitum Adjutor Josephus, Josephi adjutrix Pietas.

Vicario munere defunctus, quæ propria sunt Pietatis munia, exercuit.

Ecclesiasticam jurisdictionem, ne sacra profanarentur, strenuè tutatus,

Per Urgellensem Diœcesin trecentis in locis suaviter & fortiter vindicavit.

Pium est Dei & Ecclesiæ jura tueri:

Fortis semper pro causa utriusque Pietas: neutri injuriam irrogari patitur.

Divino instinctu Hispaniam deseruit, Pietate comite Romam abiit:

Ut in Urbe Orbis Dominâ nova ederet Pietatis monumenta.

Molie-

VEN. JOSEPHUS A MATRE DEI.

Moliebatur Pietas novum Religiosi Cœtus institutum:
 Josephum statuit esse Conditorem, conditum Ordinem Pietatis fœtum.
 Institutores alii piissimi piissimas familias erexere:
 Deerat Ecclesiæ militanti Ordo Pietatis: hic Ordo fuit Josephi.
 Non semper plura nomina arrogantia sunt argumenta:
 Sæpius sunt humillimæ Pietatis, & piissimæ humilitatis omina.
 Audi splendidos titulos, quos Pietas sacræ suæ Familiæ indidit.
 Alumnos Josephi dici voluit *Clericos Regulares*;
 Ut à tribus solemnibus Numini nuncupatis votis pii essent Religiosi.
 Voluit dici Clericos: quorum fors maxima Deo ministrare.
 Dicit voluit *Clericos pauperes*: quorum opulentum Christi patrimonium esset paupertas.
 Voluit dici *Clericos pauperes Matris Dei*:
 Ut eandem pauperis Christi pauperem Matrem ipsi pauperes haberent.
 Dicit voluit *Clericos pauperes Matris Dei Scholarum Piarum*:
 Ut sub auspicio increatæ Sapientiæ Matris
 Pueros orphanos, pauperes, derelictos pietatem cum literis gratis docerent;
 Quos Pietas literatos, literæ pios redderent.
 Exosum hoc literatæ Pietatis institutum Stygi erat,
 Adversa ideo plurima propter Deum passus Josephus ab hominibus,
 Major semper adversitatibus, nunquam iis succubuit.
 Innocens Pietas est, premi potest: non opprimi.
 Ideo Josephus calamitates suas benevolentia Divinæ signa pius interpretes vocitavit.
 Inter tristia nunquam tristis, aut mœrens visus est:
 Sol nempe illi Pietas jugiter affulsit, quæ nubila vel occasum nescit.
 Semper hilarius, quia semper pius: perpes gaudium illi erat perpes oratio;
 Extases plures habuit, cujus mentem Pietas in cælum abripuit, ut Deo intimè uniret.
 Nihil timuit, nisi peccatum, peccati hostis, & expers:
 Singulare hoc illi donum Pietas à Deo impetravit:
 Ut fœditatem peccati, & peccatores ex fœtore agnosceret.
 Sæpe Josephi tentata est castitas: invincibilem fecit Pietas;
 Solo aspectu puritatis amorem aliis contulit.
 Magnum hoc Pietatis liberalis est documentum:
 Ut si pius sis ipse & castus; alios etiam castos & pios efficias,
 Prophetia dono & divinis revelationibus illustratus,
 Arcana cordium inspexit, futura prænuñciavit.
 Nil Pietati incognitum: hæc illi munera propria à munifico Deo veniunt.
 Humilia amat Pietas, tantò excelsior, quantò demissior.
 Oblatas infulas, ipsam Romanam Purpuram detrectavit Josephus:
 Ut fundamento Humilitatis innixa Pietas firmior persisteret:
 Inspexisti, Lector, vivam Pietatis Ideam:
 In cælum Pietas Josephum sublimavit: sequere præeuntem, & pius esto.
 Multa vivus, & mortuus patravit miracula:
 Imò tot edidit prodigia, quot opera Pietatis;
 Suffecisset unicum, conditum à Josepho Pietatis Institutum.




S. FRAN-



S. FRANCISCUS DE SALES.

*Sabaudus, natus Salesii, Princeps et Episcopus Genesensis, instituit ordinem
Sanctimonialium de Visitatione Beate Mariæ Virginis nominatarum. Ex
hac vita decessit Lugduni, annò Christi 1622. die 28. Decembris. Ætatis
verò suæ 55.
C. Weisfel. exc.*



S. FRANCISCUS DE SALES.

Latuit olim in pectore Francisci cor Seraphini absconditum:

Et edito suspirio se prodidit; cum amorem celare non posset.

Suspiraret hodie choro Seraphinorum insertus Franciscus:

Nisi inexhausto gaudiorum mari absorptus, Deum videret.

Imò quia Deum videt: deplorandam perversi ovilis sui videt cæcitatem,

Quantò nunc gloriosior, tantò pro grege suo sollicitior.

Licuit Angelis Pacis amarè flere: cur non liceat Angelorum Concivi?

Si minùs liceat: certè flere libet Pastori, dum errant oves.

Nec Sanctos dedecet fundere amoris lacrymas:

Interdum lacryma pondera vocis habent;

Est quedam flere voluptas.

En tibi, Lector, Elogium lacrymabile! Francisco honorificum:

Utinam ovibus errantibus, quas deflet, salubre!

Posset Geneva, si vellet, audire Pastorem suum è cælis, quem audire noluit in terra.

Eadem, quæ illi quondam dixerat, nunc repetit.

Nec tunc Genevam fefellit, nec modò inter Superos vult, aut potest fallere.

Agè tu Lector, aurem commoda, & si commodum potes, Genève refer

THRENOS GEMENTIS SERAPHINI.

Nondum natus is erat, & Genevensium saluti cælum destinavit.

Adhuc utero suo clausum Mater gestavit Franciscum, & Deo consecravit.

Ratum hoc donum Deus habuit: Filium Mater pia illi donavit, à quo accepit.

Præter naturæ cursum septimo à conceptu mense in lucem est editus:

Ut citiùs Genève lucem affunderet, ejusdem tenebris succurreret.

Clericali militiæ undecimo ætatis anno nomen dedit:

Sub vexillo Crucis Genevensium errores debellaturus.

Lutetiæ disciplinas Philosophicas & Theologicas addidit,

Patavii utriusque Juris lauream redimitus est:

Ut seductum gregem suum orthodoxam veritatem doceret, falsa dogmata dedoceret.

Perpetuam Deo vovit castitatem ante aram Virgineæ Deiparentis:

Ut utrique ampliùs placeret, Geneva in Francisco doctum & castum haberet Pastorem;

Cujus sanam castamque doctrinam aliquando susciperet.

Tentata sæpe fuit Francisci virginitas, nunquam desit esse virgo Franciscus.

Lenocinantis scorti impudicum vultum conspuit:

Ut lenæ procaci ruborem injiceret, pudorem suum salvaret,

Dei & Deiparæ præsidio victor de prælio evasit;

Utrique accepta erat animi corporisque integritas;

Ut Genève aliquando suæ utriusque cultum, & castimonie præmium instillaret.

Placuit Deo periclitari Francisci constantiam, & dura pati voluit:

Sic nempe voluit, Franciscum perferendis à Geneva sexcentis adversitatibus citò assuescere.

Desertus sibi videbatur esse à Deo, cum ariditate spiritus multaretur:

Amoris hic Divini index erat: ut Franciscus arctiùs Deo conjungeretur.

Recessisse à se Deum existimabat Franciscus, & tum præsentior erat:

Nunquam à Francisco Deus, nunquam à Deo recessit Franciscus.

Didicit in hac amaritudine animæ suæ plùs Deum diligere, & Genevam suam propter Deum;

Ne unquam hic Pastor gregem suum desereret, licèt ipse deserendus à grege.

Gravis mentem Francisci pulsavit anxietas: num de numero esset Prædestinatorum.

Dubius de salute ipsum jam infernum se incolere credidit:

Imò durior inferno hæc amanti Deum fuit animi inquietudo,

Quietem & serenitatem attulit rursus Deipara, quia invocata:

Commune mœrentium solamen, & perpetis humanæ latitiæ origo.

Pusillanimum Deus tantisper esse voluit Franciscum:

Ut olim Genève temerarium errorem de prædestinatione eximeret.

Granerio Genevensium Antistiti Adjutor datus: defuncto Antistes successit.

Genevensi Ecclesiæ Franciscum Deus desponsavit, & Geneva repudiavit.

Dictus est Genevensis Episcopus: non fuit.

Ter perfida erat Geneva, cum tribus fidem negaret, Deo, Principi, Antistiti suo.

Calvino ejurata orthodoxa religione adhæsit,

Y

Cùm

S. FRANCISCUS DE SALES

Cùm in ea Calvinus Satanæ erigeret cathedram pestilentia.
 Valles, alpèsque Pedemontii ac Sabaudia percursabat Franciscus:
 Ut errantes oviculas in caulam Domini reduceret.
 Potens sermone & opere hæresim vel fregit, vel profligavit.
 Erecto ubique triumphali Crucis vexillo hostes Crucis devicit.
 Septuaginta duo heterodoxorum millia fidei Catholicæ reddidit:
 Spectavit hos fidei triumphos Geneva, & apertis oculis cæca mansit.
 Decepit Genevam Calvinus: ne imposturam Magistri sui misera agnosceret;
 Eandem Calvini discipulus Theodorus Beza exoculavit.
 Sæpe Theodoro Franciscus collocutus, intellectum hominis vicit, non voluntatem.
 Salvificam solam Catholicam fidem esse ultrò Theodorus pronunciavit:
 Salvus ipse fieri noluit, veritatem, quam agnoverat, non amplexus;
 Non deerat Dei gratia Theodoro, sed gratiæ Theodorus:
 Audiit per Franciscum Deum vocantem, & vocanti Deo volens restitit.
 Sæpius Geneva Francisci vitæ insidiari visa est:
 Pro qua ipse mori victima optabat; ut illa revivisceret.
 Submitit latrones, qui Franciscum trucidarent:
 Emollivit latronum corda Franciscus mansuetudine sua;
 Convertit ad Deum sicarios, indurata persistit Geneva, intentati parricidii auctor.
 Aras & sacras ædes furens amensque hæresis evertit:
 Nova fidei orthodoxæ monumenta undique erexit Franciscus.
 Ordinem Virginum de Visitatione B. M. MARIE condidit:
 Quot in eo Marianæ Vestales, tot erant viva Deo dicata templa.
 Parthenonem hunc perduelli suæ opposuit Geneva:
 Ut ab imbelli sexu Fidei hostes confunderentur.
 Scripsit Philotheam: ut in aliis accenderet Dei amorem, qui in Genevensibus restixit.
 Cælestis hic liber erat: quem vel Seraphinus scripsit, vel Francisco dictavit.
 Franciscus auctor erat, qui cor Seraphini habuit:
 Felle caruit; nullum in exanimi aperto corpore repertum est.
 Desiére Medici admirari prodigium: fellis expertem esse decuit;
 Qui Seraphini instar flagrans amore, fel omne decoxit.
 Crucis signo dæmones è corporibus expulit:
 Plus hoc salutis insigne reveriti inferi; quam Genevenses Crucis inimici.
 Mortuos suscitavit: & vitam animæ, quæ viva fides est, sibi reddi Geneva renuit.
 Post plurima miracula mortuus est, æternum victurus:
 Ut plures mortuos Deo jam proximus, cæli incola, resuscitaret.
 Maximum nunc apud Deum urget miraculum, Genevensium conversionem.
 Deslevit, cùm viveret, Genevæ pertinaciam, fletet iterum, si posset gloriosus.
 Imò fentem mihi videor videre: dum Deum orat, ut Geneva flet.
 Lupus rapax sub pelle ovina gregem Francisci deceperat:
 Ut novam doctrinam sectaretur, antiquam fidem respueret.
 Precatur nunc Deum pro ovibus, ut Geneva respiscat,
 Hoc illi supremum ingeminat gens è cælo:
 Omne fidei novum dogma falsum esse,
 Deum ipsum, si novus esse posset, erroneum fore.
 Hos Threnos Francisci Genevæ perfidæ, Lector, communica:
 Si surdæ canas fabulam, si errores suos cæca deslere nolit;
 Tu Genevæ cæcitatem desle, Pastori pro ovibus lacrymanti collacrymare,




CARO-



CAROLUS CARAFFA.

*Campanus. Ducum de Andria stirpe Neapoli ortus, relicta Societate
JESU ob afflictam valetudinem, sanitati redditus, militiam secutus: mox
licentiosam vitam severâ penitentiâ, in speluncam se recondens, expia-
vit. Sacerdotio initiatus Piorum Operariorum Congregationem ad plebem
in pagis fidei mysteriis, morûmq; honestate erudiendam condidit, à
Gregorio XV. A. 1621. approbatam, ab Urbano VIII. A. 1674. confirmatam.*

86



CAROLUS CARAFFA.

Quid de te, Vir virtute & genere illustrissime, dicam, ignoro:
Scio, quid silere debeam.

Imò silenda me vis dicere: ut tibi obtemperem;
Dicam de te silenda, filebo dicenda.

Ter miles fuisti: num alios viceris, nescio:

Post plures vicissitudines te ipsum tandem vincere didicisti.

Sileo, quòd à sacra ad profanam, à profana rursus ad sacram transferis militiam.

Transfugam te vocarem: nisi ad Crucis labarum transfugisses.

In Cruce demum stationem tuam fixisti, novæ Dux Militiæ,

Antesignanus inclytus Piorum Operariorum.

Fuisti in otio operosus, in operatione otiosus.

Nec alius sublimis instituti tui scopus erat:

Quàm OTIUM OPEROSUM.

Sileo ortum tuum, avitæ stirpis nobilitatem.

Gente natus es inter Neapolitanos facilè Principe,

De qua Duces, Summi Pontifices, Purpurati Ecclesiæ Patres prodiere.

Auxisti generis tui splendorem illustri animi demissione:

Cùm decimo sexto ætatis anno humilem JESU Societatem ingressus,

Rebus & spebus mundi omnibus generosum nuncium misisti.

Quinquennio in religione tum spiritus, tum literarum otio vacasti.

Magna virtutis & scientiæ sumpsisti incrementa:

Grandia te alumnum suum operari docuit minima JESU Societas.

Excelsum nactus es animum: corpus debile, & morbis penè attritum.

Invaletudo hæc tua te Societati eripuit: non tibi Societatem.

Abiisti à contubernio Sociorum JESU, & eorum mansisti contubernalis.

Concessisti in paternas ædes, ut valetudinem instaurares:

Sine qua Societati nec gravis, nec inutilis esse voluisti.

Vestem religiosam domi tuæ constanter gestasti:

Ne Jesuitam exuisse videreris.

Retentâ hac pietatis polymitâ constanter testatus es:

Quòd nunquam animo Societatem deserueris, nec te Societas,

Hæc me silere de te velles: & ideo dixi silenda.

Silebo nunc dicenda, quæ vis, ut de te dicam.

Sileo refrixisse in te paternæ domus in otio fervorem spiritus,

Ut is postliminò afflante Divina gratia vehementius accenderetur.

Neglexisti pietatis operosæ otium,

Divinitus ad insignia pietatis opera delectus.

Exuisti Societatis vestem, & cum hac pietatem exuisse visus es.

Sacram togam sago commutasti: militem induisti, & militiæ vitia.

Ut malus esses, militiæ stipendia fecisti, & malitiæ:

Qui miles esse poteras; nec ideo malus, quia miles: nisi bonus esse noluisses.

Plures profana arma tractarunt: & sancti fuere.

Nec te arma profanum fecerunt: tu illa profanasti.

Martem secutus es, & amicam Marti Venerem.

Exarmavit te Venus, cùm voluptatibus difflueres:

Erubuit Mars ipse desidiosum te militem, non suum, sed Veneris:

Ut tu tempestivè desidiam & malitiam tuam erubesceres.

Tot funera in acie spectasti, nec mortem inter tot spectacula mortis timuisti.

Timuisses mortem, si peccata horruisses, quæ sola mortem reddunt horribilem.

Discussit tandem tenebras tuas lux cælitus menti infusa.

Vidisti cæcitatem tuam, & scelera tua abominari cœpisti.

Exuisti militem, ut malus & cæcus esse desineres.

Vocavit te Pietas operosa à militiæ strepitu ad otium negotiosum.

Severâ tibi pœnitentiâ opus erat, qui pœnitenda egisti.

Primum tibi pietatis negotium fuit desistere, quæ desenda commisisti.

In te arma vertisti, idem tibi novus miles, & hostis, quem debellares.

Libertas militiæ malitiam tibi persuasit:

Nec liber tum eras; sed quot vitiis, tot vinculis compeditus.
 Licere tibi existimabas, quæ libebant militi licentioso.
 Ut hanc vitæ licentiam expiares, tuusmet austerus factus es iudex & tortor,
 Nec jam tibi libebant, quæ etiam licebant, postquam patrâsti illicita,
 Egisti pudenda coram Deo & hominibus:
 Ideo fugisti conspectum hominum, & in speluncam te abdidisti.
 Fugisses etiam oculos Dei, quem offendisti, si fugere potuisses.
 Ut huic placeres, & iratum placares, solitudinem elegisti,
 Pœnitentiæ palæstram, reconciliationis aram.
 Felix hæc statio tui otii operosi erat:
 Grande hic opus Pietatis negotiosæ excogitâsti.
 Ne otiosus esses solitarius: factus es Sacerdos laboriosus.
 Vacare precibus, vigiliis, jejuniis, aliisque pœnitentiæ operibus:
 Tuæ fuit otium solitudinis.
 Ex spelæo in pagos excurrere, docere ignorantes mysteria fidei,
 Rudem plebeculam Christianis moribus imbuere:
 Tui labor fuit Sacerdotii.
 Otium tuum omne operosum: labor omnis & operatio suave tibi erat otium.
 Multis placuit hic Zelus tuus, ideo nactus es locios otii tui æmulatores.
 Erexisti Cœtum Piorum Operariorum
 Operosæ Pietatis auctor, & norma.
 Difficultates maximas in condenda tua Congregatione sustinuisti:
 Nec difficile erat tibi has vincere;
 Postquam mundum & te ipsum gloriose vicisti.
 Bini Summi Ecclesiæ Antistites Institutum tuum approbavêre;
 Et improbi Pietatis hostes tibi resistere ultrâ non sunt ausi.
 Apostolos Sodales tuos esse voluisti, gnavos in vinea Domini Operarios:
 Qui incultum rusticum popellum excolerent,
 Parvulis panem frangerent, pietatis Christianæ amorem instillarent.
 Noluisti tuos votis esse obstrictos, quos abunde sibi Pietas operosa devinxit:
 Nec tamen à religiosis differunt; sunt pii Operarii,
 Quorum religio est: sacram indigis ferre opem, opera pietatis exercere.
 Linei vestitus usum tuis interdixisti:
 Indumenta lanea, paleas pro strato indulxisti;
 Ne sibi indulgentiores, pietatem aliis impendere negligerent.
 Pios in proximum esse voluisti, in se penè impios: quia piè austeros.
 Desidiosa foret pietas, nisi severitati studeret:
 Operari desineret; nisi operibus pœnitentiæ jugem operam navaret.
 Consummâsti cursum otii tui operosi in terris:
 Transisti à labore ad requiem, ad Beatorum otium cæleste.
 Spectas inde instituti tui sequaces, negotiosæ pietatis tuæ imitatores.
 Montrâsti Pii Operariis, quâ viâ per otium ad cælum eniti debeant:
 Quibus hic labor est instar otii; laboris ibi merces perpes beatitudo.






VINCENTIUS DE PAULIS.

Callus Aniciensis, Congregationem Clericorum de Missione A. 1625. auspiciis suppeditantibus sumptus Franciscæ Margaritæ de Silli, ejusq. conjugis Emmanuele Condi Archithalasso Regis Galliarum, confirmatam ab Urbano VIII. A. 1632. Apostolico zelo plenus hanc suis legem sancit, ut in pagos excurrerent ad rudes filii Catholice et Christiane virtutis principis imbuendos. Obiit die 27. Sept. An. 1660. ætat. 85.

87.




VINCENTIUS DE PAULIS.

Mittendis in vineam Domini Apostolis Spiritus Sanctus immissus est:
 Ut liqueat sacras Missiones arcanum esse Dei opus,
 Missionarios à Divinissimo Spiritu auctorari Apostolos.
 Initiari Deus Vincentium voluit Apostolum, & Missionum fecit auctorem.
 Instituti Apostolici Conditor factus est GALLIÆ APOSTOLUS.
 Primos Ecclesiæ Apostolos Galilæa enixa est:
 Apostolicorum subinde fœcunda mater Gallia Virorum,
 Seculo decimo sexto novum in lucem edidit Apostolum,
 Bono communi cœlitus destinatum Vincentium.
 Apostolorum institutor Dei Filius, promissus per Prophetas Messias dictus est.
 Idem Messia & Apostoli etymon.
 Uterque *Missus* interpretatur: Messias missus à Deo, Dei Legatus;
 Apostolus Christi Legatus, à Messia missus:
 Apostolorum successores Apostoli, Missionarii à Christo missi, Christi Legati.
 Piscatui deditos elegit Christus, qui fierent piscatores hominum:
 Austeri in patientiæ gymnade humanis assuetos laboribus;
 Quos impigros esse voluit in Divinis.
 Graviter tum ægrotans mundus fortium humeris imponendus erat.
 Haud levi tunc Gallia laboravit languore, novo indiga Apostolo:
 Cum Vincentium Deus submitit, ut languenti mederetur.
 Qui olim infirma mundi elegit, ut confundat fortia:
 Vincentium Galliæ dedit Apostolum, ruri natum.
 Humiles natales habuit: ut primo cum lacte humilitatis amorem imbiberet:
 Quæ prima dos est Apostolorum.
 Rustico genere ortus, excelsum nactus est animum, quem virtute nobilitaret.
 Pascebat patris oves, ex opillione futurus animarum pastor:
 Gregis sui simplicis innocentiam candore & integritate morum æmulatus.
 Curabat pecora puer, qui olim vir rudes ruricolos curaret,
 Et silvescentium urbium vitia Apostolus sublucaret.
 Ut incultam & pecuinis moribus præditam rusticam plebem aliquando excoleret:
 Divino consilio rure discessit, postliminiò rus repetiturus.
 Tolosæ & Cæsaraugustæ politioribus disciplinis operam navavit:
 Profectus literarii præmium retulit lauream Academicam.
 Laureatum decuit esse Theologum, qui alios amorem Dei docturus erat Apostolus.
 Ut Apostolicis functionibus aptaretur, consecratus est Sacerdos.
 Quoties incruentam ad aras Deo hostiam litavit:
 Toties eidem se ipsum amoris victimam obtulit.
 Apostolatus sui tirocinium in vinculis sustinuit:
 Qui innumeras aliquando animas funiculis charitatis compeditas ad Deum attraheret.
 A piratis Turcicis captus, vinctus, venditus, durè tractatus:
 In fide tentatus; cui fidei hostes vitam priùs, quàm fidem erant erepturi.
 Heri sui Machometani uxori Christianæ religionis mysteria explicuit:
 Hæc conjugii suo apostatæ, ut Machometo renunciaret, persuasit.
 Desit sic Vincentius heri barbari esse mancipium, Vincentii herus mancipium dæmonis.
 Alter alteri reddidit libertatem, Dominus servo, inter vincula libero, pro Christo vincto:
 Servus Domino, Machometi erroribus irretito, sine vinculis compedito.
 Rediit auctore Vincentio ad Christum Dominus, à quo fœdè defecerat:
 Cum Domino Vincentius, qui Christo semper adhæserat, in Galliam remeavit.
 Redditus patriæ, salutem patriæ prospexit, urbis factus & ruralis Apostolus.
 Regularium Clericorum coëgit cœtum,
 Qui in urbibus ad Apostolica munia educati,
 In vicos & pagos Missionarii Apostolici excurrerent.
 Principem hunc omnibus scopum præfixit:
 Ut rusticum popellum Christiana pietate gratis imbuerent;
 Christum in iis regenerarent, in quibus nil penè Christianum, præter nomen, supererat.
 Sementem Verbi Divini statis anni temporibus ruri suos jacere iussit:
 Ut uberem animarum messem horreo Dominico invehent.

Rustico pudore ruricolae laborare novit, sacrilego obnoxios silentio:
Qui sæpius in pœnitentiæ tribunali conscientiæ noxas reticerent.
Ideo usum exhomologes de universæ vitæ erratis iis persuaderi censuit:
Ne ea revelare erubescant, quæ patrare perperam non erubuerunt.
Alumnos suos Missionarios dici, & esse voluit, non mercenarios:
Ideo munera, victum, stipendium in Missionibus oblatum acceptare vetuit;
Ut cum Apostolis gratis darent, quæ gratis accepere.
Vidit Zelum Vincentii Gallia, Lotharingia, Italia:
Et unanimi omnium voce Apostolus promulgatus est.
Siluissent homines: saxa, muri, lapides, clamassent.
Cæteris vocalior fuisset Partheno Salesianus, etiamsi tacuissent Salesianæ.
Virgineo suo Cœtui Vincentium præfecit Sanctus Fundator Franciscus:
Moderatorem spiritûs Apostolum, spiritu Apostolico redundantem.
Annos tricenos sacris his Deo subarrhatis Virginibus præerat Vincentius:
Primum illæ spiritum Sancto Conditori, augmentum spiritûs Vincentio in acceptis retulere.
Imò uno utriusque spiritu imbutæ fuerunt: uterque fuit Apostolus;
Inerat Vincentio spiritus Francisci: Francisco spiritus Vincentii.
Ab utroque Apostolo hic Cœtus dici potuit Apostolico-Parthenius:
Salesianus ab Institutore, à spiritûs Moderatore Vincentianus.
Resonant hodie disertis infantium balbutientium linguis Orphanotrophia:
Quæ Vincentii ære erecta, Vincentium, Zelo Apostolum, curâ Parentem suum venerantur.
Non silent ædes silentiosæ à Vincentio exstructæ, à Pia Solitudine cognominatæ.
Silent in his spiritualibus commentationibus vacantes;
Qui vel sacris Ordinibus initiandi, vel de vitæ statu deliberantes Deum consulunt:
Et facundo suo silentio taciturni solitarii Vincentium divulgant Apostolum.
Num silerent tot condita Seminaria, & xenodochia,
Totidem Vincentiani Zeli monumenta Apostolica?
Educantur in illis operarii strenui ad vineam Domini excolendam:
Curantur in his pauperes infirmi, corporum, animarumque salus procuratur.
Silerent reliqui: non silebit femina, quæ secreti tenax esse non potest.
Nec secreti tenax esse debet, quando secretum silendum non est.
Arcanum non exigunt publica Apostolicæ pietatis opera.
Nec Zelus, nec amor Vincentii celari potuit.
Nobile nobilissimarum Matronarum Sodalitium Parisiis instituit:
Nomen illis à Charitate Divina proximi imposuit; Apostolicum dici potuit Sodalitium:
Ægrotantibus singulæ ancillarum instar in nosocomiis ministrant,
Christianæ charitatis & misericordiæ officia omnia egentibus exhibent.
Sileant cum omnibus femina ipsæ: non silebunt mortui.
Adfuit morti Ludovici XIII. Galliarum Regis Vincentius, morienti collocutus:
Timenti Deum pientissimo Regi in extremis bene precatus.
Rex moriturus Apostolicum Vincentii Zelum dilaudare:
Vincentium tanquam Apostolum venerari visus est.
Sed, dum omnes Vincentium clamant Apostolum, silentium de se omnibus indicit Vincentio.
Silere cœpit post septendecim vitæ iustra consummato Apostolatus sui cursu:
Qui, cum viveret, nil nisi de Dei & proximi amore loqui nôrat.
Sancto fine quievit: & dum filet ipse, Apostolum adhuc loquitur Gallia.
Transmisit cælo intaminatum spiritum Missionariorum Conditor Apostolicus:
Dignus nunc in cælesti gloria Apostolorum contubernio, indefessus in terris Galliæ Apostolus.



PETRUS



PETRUS BETANCUR A S. JOSEPH.

*Afer, natus in Insulis Canariis, Congregationem Laicorum S. Iosephi, qui à par-
mula, quam in pectore gestant, et effigiato in ea presepi Christi Bethle-
hemitici dicti sunt, A. 1653. in Mexicano regno instituit, latè dein per
Indias propagatam, sub regula S. Augustini A. 1687. ab Innocentio XI.
approbatam, quos pauperum, aegrotorum, et convalescentium in noso-
comiis curam habere iussit.* 55.



PETRUS BETANCUR à S. JOSEPH.

Quàm felici omine Apostolorum Principis nomen sortitus es,
Felicissime Petre!

Charitas te Apostolum, simplicitas initiavit Filium Columbæ.

Resonare per omnem Indiam columbini gemitus tui:

Quibus ingemiscientium ægrotorum dolores elevasti.

Regularem erexisti infirmis ministrantium Cœtum:

Simplices hos esse, & fratres laicos dici voluisti;

Ut ad Apostolicæ charitatis humillima obsequia se se promptius demitterent.

Transtulisti è Palæstina Bethlemum in Mexicum:

Bethlehemitarum cognomen alumnis tuis indidisti;

Muniisti singulorum corda tessarario scuto, Bethlehemiticum stabulum referente:

Ut cordibus tuorum inter infima charitatis officia ille fixus hæreret;

Quem è sinu Patris de cælo charitas in terras traxit.

Divinissimus hic Infans, humanæ salutis Alpha & Omega,

Instituti tui finis, summa est laudum tuarum:

Supremi Elogii tui, & exacti Elogiorum nostrorum cursus

META BEATISSIMA.

Bethlehemiticum de Petro habes, Lector, Elogium.

Præsepe Dominicum ultima nobis statio: quæ prima fuit Redemptori;

Ubi Deus - Homo factus est Bethlehemita.

Ne quære, cur Bethlehemita fieri voluerit Filius Dei?

Amor hominis Deum fecit hominem & Bethlehemitam.

Nasci debuit in Domo Panis, qui Panis Vitæ de cælo descendit,

Carnem suam homini daturus in cibum.

In lucem editus, qui erat lux vera, sed natus de nocte:

Ut tenebrosam peccatorum caliginem dispelleret.

Locum non habuit in diversorio, qui cælum & terram implet.

Apparuit in via Deus, factus Viator:

Ut extorres paradisi viâ rectâ ad cælum deduceret.

Ipse deviantium *Via*, errantium *Veritas*, mortuorum *Vita*.

In sæno jacuit: aptum hoc illi erat concipiendæ flammæ pabulum;

Qui ignis in terras venit, ut omnia incenderet.

Inter pecudes medius vagiit, ut desleret insaniam hominis:

Qui comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Alsit in ventis pervio stabulo personatus Deus, nudus infans:

Ut frigescentem mundum suo amore inflammaret.

Nuditate sua primum Adam, fletu suo filios Adæ imitatus,

Utroque Protoplasti nostri culpam Divinus hic Adam expiavit.

Applausere Regi suo Angelorum exercitus,

Pacem hominibus, nato Principe Pacis, precati.

A pastoribus primum visitatus infans, & Deus adoratus est.

Rectè has primas Ecclesiæ suæ oves delegit

Idem Agnus immaculatus, Pastor bonus, & Pastor Pastorum.

Imbellis Pusio fasciis constrictus est: qui tribus digitis terrarum orbem appendit:

Ligata est Omnipotens dextera, ne in fontes fulmen justitiæ jaceret:

Non jam ultionum Dominus, sed Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis

Formam servi suscepit Rex Regum, & Dominus dominantium:

Ut servum hominem jugo dæmonis emancipatum, cæli faceret hæredem.

Factus Deus est homo: ut homo fieret Deus.

Pauperem elegit Matrem, Virginis voluit esse Filius, & Dei:

Quæ virginitate Deo sic placuit, ut Deum humilitate concipere mereretur.

Virginæ Matris suæ Sponsum Virgineum, fabrum habuit suum Nutritium:

Fabri olim dicendus Filius, qui Spiritu oris sui cælum & terram ex nihilo fabricavit.

Ut lethali correptum morbo morti eriperet mundum:

Medicus pro ægroto infirmatus est, pro homine languit Deus:

Omnes hominum in se assumens infirmitates.


Elingue denique silebat Verbum humana in carne abbreviatum:

Quod

LXXVII

Petrus Betancur & Joseph

Quod ante secula ex ore Altissimi prodiit,
 Silet hic Deus, de se olim facundissimè per ora Prophetarum locutus:
 Qui linguas infantium facit disertas, nunc tacet infans,
 Sed silente Verbo, vocale resonat Stabulum:
 Clamat præsepe, clamant panni, clamat fœnum, clamant lacrymæ
 Immensum exinanitæ Divinæ Majestatis Amorem,
 Sic triumphavit de Deo Amor:
 Cum Omnipotentem in Bethlehem nasci voluit Infantem,
 Silui de te Piissime Inde, Bethlehemita Mexicane,
 Dum me hucusque de Bethlehemitico Pusione loquentem audiisti,
 Non silui: nunquam de te disertius loqui potuissem;
 Ac cum de Silente Verbo locutus sum.
 Hic ipse amabilissimus Pupus tui cordis est magnes, tui scopus amoris.
 Nactus es Stabulum Virtutum omnium Athenæum,
 Habuisti felix discipulus Magistrum, Sapientiam increatam,
 Didicisti à velato carne Deo humili humilitatem.
 Paupertatem te docuit pauper Deus: qui pro aula caulam pecorum,
 Pro throno præsepe, pannos pro purpura, paleas pro sceptro elegit.
 Charitatem suam te æmulari voluit: qui amore hominis factus est homo.
 Infirmas ille curaturus animas in mundum venit:
 Ut à Redemptore tuo pauperum infirmorum corpora curare addisceres;
 Nec minus saluti animarum, cum ægrotis ministras, consuleres.
 Quàm humile erectæ Familiæ tuæ institutum:
 Tam insigne hoc erat præcellentis tuæ charitatis opus.
 Dum te, tuosque pauperum obsequiis, nosocomiorum ministerio devovisti:
 Eadem charitas, quæ Dei Filium initiavit Bethlehemitam;
 Te Bethlehemitici Ordinis auctoravit Conditorem,
 Incarnati Divinissimi Verbi cœterraneum.
 Parce felicissime Bethlehemita! Parce Sancti, illustrésque Viri!
 Eremitæ primi! Anachoretæ! sacrarum regularium Familiarum Instructores,
 Reformatores, Propagatores! Beatissimi cæli Indigetes!
 Exacti operis *Metam* attingi: cursum sisto ad tribunal Gratia:
 Præsepe Bethlehemiticum ara mihi est propitiatoria;
 Ad quam vobis reconcilier,
 Vadimonium pro me præstituro Infante Deo - Homine.
 Laudare vos constitui: ut Deus, quem nunc videntes laudatis, in vobis laudetur.
 Laudando in vos deliqui, qui, cum laudes omnes excedatis: dignè laudari non potestis.
 Quidquid in leges styli arguti peccavi, quidquid meritis vestris minus dixi:
 Veniam date redarguendo, Satyram pro elogiis merito.
 Nec lucubrationem hanc elogia dixerim:
 Vertilabundi cerebri, effœti ingenii, obtusi partus est calami.
 Erranti parcite, dum parcit Deus Infans, lædi nescius, & lædere.
 Errassem gravius; si ab hac META aberrassem.
 Folia hic mea complico, pennamque figo in Stabulo anathema,
 Duo inter animantia vagienti Divino Bethlehemitæ consecratum.



NOMINA



Nomina Sanctorum, & Illustrum Virorum secundum
ordinem, quo ipsorum icones & elogia collocata, cum adjectis Auctoribus approbatis, ex quibus eorundem gesta in decursu hujus operis excerpta sunt.


1. *S. Elias Propheta.*
2. *S. Joannes Baptista.*
3. *S. Petrus.*
4. *S. Cyriacus.* Ex Actis Sanctorum, Antuerpiæ editis, ad diem 4 Maji.
5. *S. Chariton.* Ex Surio ad diem 28. Septembris. Item ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 107.
6. *S. Paulus I. Eremita.* Ex Actis Sanctorum ad diem 10. Januarii.
7. *S. Antonius Abbas.* Ex Actis Sanctorum ad diem 17. Januarii.
8. *S. Pachomius.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 14. Maji.
9. *S. Macarius.* Ex Actis Sanctorum ad diem 15. Januarii.
10. *S. Basilius.* Ex Flore Sanctorum Ribadeneiræ ad diem 14. Junii.
11. *S. Augustinus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 28. Augusti. Ex Petro Labbeo in Elogio S. Augustini.
12. *S. Hieronymus.* Ex eodem Ribadeneira ibidem, ad diem 30. Septembris.
13. *S. Honoratus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 16. Januarii.
14. *S. Sabbas.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 5. Decembris.
15. *S. Benedictus.* Ex eodem ibidem ad diem 21. Martii.
16. *S. Oddo.* Ex Ægidio Ramböck in anno Sancto Benedicto, sive de vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ad diem 18. Novembris. Item ex anno Mariano-Benedictino, excuso Salisburgi An. 1687. ad eundem diem.
17. *Beatus Soror.* Ex libro, cui titulus: *Fasti Senenses*, per manuscriptum Senis communicatum.
18. *S. Romualdus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 7. Februarii.
19. *Ludolphus.* Ex Philippo Bonani, de Personis Ordinum parte 3. §. VI. Item ex Ughellio in Italia sacra de Episcopis Eugubinis.
20. *S. Stephanus Grandimontensis.* Ex Actis Sanctorum ad diem 8. Februarii.
21. *S. Joannes Gualbertus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 12. Julii. Item ex Ægidio Ramböck in anno sancto Benedicto, sive de vitis SS. Ordinis Benedicti ad eundem diem.
22. *Gasto.* Ex Actis Sanctorum in vita S. Antonii Abbatis ad diem 17. Januarii. Item ex Theophilo Raynaudo in Hagiologio Lugdunensi tomo 8. de Symbolis S. Antonii.
23. *S. Bruno.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 6. Octobris. Item ex Theophilo Raynaudo in Hagiologio Lugdunensi tomo 8. in antemurali adversus fortia ingenia.
24. *S. Ivo.* Ex Actis Sanctorum ad diem 20. Maji.
25. *S. Robertus Abbas.* Ex Actis Sanctorum ad diem 29. Aprilis.
26. *S. Albericus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 26. Januarii.
27. *S. Stephanus Cisterciensis.* Ex Actis Sanctorum ad diem 17. Aprilis.
28. *B. Robertus de Arbrifello.* Ex Actis Sanctorum ad diem 25. Februarii.

29. *S. Joannes de Mathera.* Ex Actis Sanctorum ad diem 20. Junii.
30. *S. Guilielmus Vercellensis.* Ex Actis Sanctorum ad diem 25. Junii.
31. *S. Norbertus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 6. Junii.
32. *S. Bernardus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 20. Augusti.
33. *S. Guilielmus Eremita.* Ex Actis Sanctorum ad diem 10. Februarii.
34. *S. Joannes Oldratus de Meda.* Ex documentis Mediolanensis Collegii Societatis JESU, quæ habentur in ejusdem Bibliotheca, inde communicatis.
35. *S. Joannes de Matha.* } Ex Lectionibus secundi Nocturni in Breviario.
36. *S. Felix de Valois.* }
37. *S. Guilielmus Abbas.* Ex Actis Sanctorum ad diem 6. Aprilis.
38. *Innocentius III. P. M.* Ex vitis Pontificum, & Bullario Cherubini.
39. *S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 8. Aprilis.
40. *S. Franciscus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 4. Octobris.
41. *S. Dominicus.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 4. Augusti. Item ex Cælestino Sfondrati S. R. E. Cardinale in Innocentia vindicata paragrapho quinto.
42. *S. Petrus Nolascus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 29. Januarii.
43. *B. Bonifilius cum sex Sociis.* Ex Annalibus Servorum B. M. V.
44. *S. Philippus Benitius.* Ex Auctario Germanico Ribadeneiræ ad diem 23. Augusti.
45. *S. Silvester Abbas.* Ex Anno Mariano-Benedictino excuso Salisburgi An. 1687, ad diem 26. Novembris. Item ex Lectionibus Breviarii Benedictini.
46. *S. Petrus de Morono.* Ex Actis Sanctorum ad diem 19. Maji.
47. *Tobias.* Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 58.
48. *S. Nicolaus Tolentinas.* Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad diem 10. Septembris.
49. *B. Robertus Salentinus.* Ex Surio in editione posthuma anni 1618. ad diem 18. Julii.
50. *S. Bernardus Ptolomeus.* Ex Ægidio Ramböck in anno Sancto Benedicto, sive de vitis SS. Ordinis Benedictini ad diem 24. Augusti.
51. *S. Joannes Columbinus.* Ex libro, cui titulus, *Fasti Senenses*, per manuscriptum Senis communicatum. Ex vita à Bolcario cive Florentino An. 1449. Italicè scripta. Ex Stephano Binet de Sanctis Fundatoribus Religiosorum Ordinum §. 26.
52. *Petrus Ferdinandus.* Ex vita scripta ab Hippolyto Helyot in historia religiosorum Ordinum, juxta manuscriptum Antuerpiâ submissum.
53. *Gerardus Magnus.* Ex vita Ejusdem scripta à Thoma de Kempis, operum tomo 3. parte 1.
54. *B. Petrus Gambacurta.* Ex Actis Sanctorum ad diem 17. Junii.
55. *Carolus Granellus, Rhedonus, & Gualterus.* Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 120. Ex Bullario Cherubini. Ex Augustino Sartorio in ordine Ordinum.
56. *Lupus de Olmedo.* Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 119.
57. *Alexander Crivellus, Albertus Besozzi, & Antonius Petra-Sancta.* Ex eodem Bonani ibidem §. 59.
58. *S. Laurentius Justinianus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 8. Januarii.
59. *S. Franciscus de Paula.* Ex Actis Sanctorum ad diem 2. Aprilis.
60. *Ven. Joannes à Popula.* Ex Martyrologio Franciscano ad diem 6. Octobris, & ex Arturo, qui in illud scripsit §. 2. & 3.
61. *Matthaus de Bassio.* Ex Carolo de Arenberch in libro, cui titulus *Flores Seraphici*, seu icones, vitæ, & gesta virorum illustrium Ord. FE. Minorum S. Francisci Capucinorum, excuso Coloniae An. 1640.
62. *Hieronymus Malusellus.* Ex Actis Sanctorum in vita Venerab. Viduæ Gentilis Ravenatis ad diem 28. Januarii. Item in vita Beatae Virginis Margaritæ ad diem 23. Januarii. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 3. §. 5.
63. *S. Cajetanus.* Ex Auctario Germanico Ribadeneiræ parte 3. ad diem 7. Augusti.
64. *Venerab. Antonius Maria Zaccaria, Bartholomeus Ferrarius, & Jacobus Antonius Morigia.* Ex vita eorundem propria ab Ordine communicata.
65. *S. Ignatius de Loyola.* Ex vita propria, & Historia Societatis JESU.
66. *Venerab. Hieronymus Emilianus.* Ex Actis Sanctorum ad diem 8. Februarii.
67. *S. Joannes de Deo.* Ex Actis Sanctorum ad diem 8. Martii.
68. *Bernardinus Rubianensis.* Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 137. Ex Augustino Sartorio in Ordine Ordinum.
69. *S. Petrus de Alcantara.* Ex Auctario Germanico Ribadeneiræ parte 3. ad diem 18. Octobris.
70. *Ludovicus Blossius.* Ex Actis Sanctorum ad diem 7. Januarii.

71. *S. Phi-*

71. *S. Philippus Neri*. Ex Actis Sanctorum ad diem 26. Maji.
72. *Joannes Leonardi*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 41. Ex Augustino Sartorio in Ordine Ordinum.
73. *B. Joannes la Barriere*. Ex Augustino Sartorio in Cistercio bis tertio, titulo 3. Ex Menologio Chrysofostomi Henriquez. Ex Theophilo Raynaudo tomo 9. in triade Fortium David, de S. Bernardo Num. 64.
74. *S. Carolus Borromeus*. Ex Ribadeneira in Flore Sanctorum ad 4. diem Novembris. Ex Francisco Penia in vita hujus Sancti scripta Italicè, in Latinum versa, Ambergæ recusa Anno 1671.
75. *Bernardus Alvarez*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 69.
76. *Matthaus Guerra*. Ex Augustino Sartorio in Ordine Ordinum.
77. *Camillus de Lellis*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 44. Ex Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 41. Num. 200.
78. *Augustinus Adornus*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 45. Ex Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 41. Num. 198.
79. *B. Joannes à Cruce*. Ex Auctario Germanico Ribadeneiræ parte 3. ad diem 14. Decembris.
80. *Venerab. Thomas à JESU*. Ex summario vitæ præfixæ libro *de arumnis D. N. JESU Christi* ab eodem scriptæ in carcere, Italicè edito à Ludovico Flori, in Latinam linguam traducto, recuso Ingolstadii Ann. 1661.
81. *Casar de Bus*. Ex Theophilo Raynaudo tomo 9. in Hagiologio Exotico de Triade Fortium David.
82. *Venerab. Joannes Baptista à Conceptione*. Ex Chronico Discalceatorum SSS. Trinitatis, edito à P. Didaco à Matre Dei parte 1. lib. 1. Ex vita Hispanicè scripta à P. Josepho à JESU MARIA. Ex alia vita in lucem data à P. Alphonso Andrade Soc. JESU, juxta manuscriptum communicatum ab Ordine.
83. *Petrus de Berulle*. Ex Georgio Josepho Eggs in Purpura Docta lib. 6. Num. 19. edita Monachii Anno 1714. Ex Ciaconii tom. 4. ad ann. 1623. de Urbano VIII. §. 22.
84. *Venerab. Josephus à Matre Dei*. Ex libello, cui titulus: *incrementum Pietatis in novo Joseph exhibitum*, scripta à Rudolpho à S. Hieronymo, Romæ An. 1712. excuso.
85. *S. Franciscus Salesius*. Ex Auctario Germanico Ribadeneiræ parte 3. ad diem 29. Januarii. Ex vita ejusdem Gallicè scripta ab Henrico Maupas du Tour, latinè reddita à Francisco Creuxio S. J. Colonia excusa Anno 1663.
86. *Carolus Caraffa*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 139.
87. *Vincentius de Paulis*. Ex eodem ibidem §. 43. Ex vita ejusdem Germanicè scripta à Georgio Adamo Schulzio, Viennæ edita Anno 1710.
88. *Petrus Betancur à S. Joseph*. Ex Philippo Bonani de Personis Ordinum parte 1. §. 63.





Index Alphabeticus Sanctorum, & Illustrium Virorum, qui in hoc opere figuris æneis propositi, & Elogiis celebrati sunt.

- S. Albericus.** Cisterciensis Ordinis Propagator. *Num. 26.*
Albertus Besozzi cum duobus Sociis. Instaurator Ordinis S. Ambrosii ad Nemus. *Num. 57.*
- S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus.** Conditor Regulæ Carmelitanæ. *Num. 39.*
Alexander Crivellus cum duobus Sociis. Instaurator Ordinis S. Ambrosii ad Nemus. *Num. 57.*
- B. Alexius Falconerius cum sex Sociis.** Fundator Servorum B. M. V. *Num. 43.*
Amideus cum sex Sociis. Fundator ejusdem Ordinis Servorum B. M. V. *Num. 43.*
- S. Antonius Abbas.** Auctor Cœnobiticæ vitæ in Eremo. *Num. 7.*
Antonius Maria Zaccaria cum duobus Sociis. Fundator Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Apostoli. *Num. 64.*
Antonius Petra-Sancta cum duobus Sociis. Instaurator Ordinis S. Ambrosii ad Nemus. *Num. 57.*
- S. Augustinus.** Auctor Canonicorum Regularium, & Ordinis Eremitarum. *Num. 11.*
Augustinus Adornus. Auctor Clericorum Regularium Minorum. *Num. 78.*
Bartholomæus Ferrarius cum duobus Sociis. Fundator Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Apostoli. *Num. 64.*
- S. Basilius Magnus.** Primus Monasticæ Regulæ in Oriente Conditor. *Num. 10.*
- S. Benedictus.** Pater & Institutus primus Monachorum in Occidente. *Num. 15.*
Bernardinus Rubianensis. Auctor Eremitarum Regularium, qui Coloriti dicti sunt. *Num. 68.*
Bernardus Alvarez. Conditor Fratrum Charitatis & S. Hippolyti. *Num. 75.*
- S. Bernardus Clara vallis Abbas I.** Propagator Ordinis Cisterciensis. *Num. 32.*
- S. Bernardus Protonotarius.** Auctor Congregationis S. Mariæ Montis Oliveti. *Num. 50.*
Bonajuncta cum sex Sociis. Fundator Ordinis Servorum B. M. V. *Num. 43.*
- B. Bonifacius cum sex Sociis.** Fundator, & Primus Generalis Ordinis ejusdem Servorum B. M. V. *Num. 43.*
- S. Bruno.** Fundator Ordinis Carthusiensis. *Num. 23.*
Cesar de Bus. Auctor Congregationis Clericorum Regularium de doctrina Christiana. *Num. 81.*
- S. Cajetanus.** Fundator Clericorum Regularium, qui Theatini dicti sunt. *Num. 63.*
Camillus de Lellis. Auctor Congregationis Clericorum Regularium infirmis ministrantium. *Num. 77.*
- S. Carolus Borromeus.** Fundator Congregationis Oblatorum S. Ambrosii. *Num. 74.*
Carolus Caraffa. Auctor Congregationis Piorum Operariorum. *Num. 86.*

Carolus

- Carolus Granellus cum duobus Sociis.* Auctor Congregationis Eremitarum S. Hieronymi, quæ Fesulana dicta est. *Num.* 55.
- S. *Chariton.* Pater quinque penè millium Monachorum. *Num.* 5.
- S. *Cyriacus.* Tutelaris Ordinis Cruciferorum. *Num.* 4.
- S. *Dominicus.* Fundator Ordinis Prædicatorum. *Num.* 41.
- S. *Elias Propheta.* Primus ante adventum Christi Eremi incola. *Num.* 1.
- S. *Felix de Valois.* Fundator Ordinis SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum. *Num.* 36.
- S. *Franciscus de Paula.* Fundator Ordinis Minimorum. *Num.* 59.
- S. *Franciscus de Sales.* Fundator Ordinis Sanctimonialium de Visitatione B. M. V. *Num.* 85.
- S. *Franciscus Seraphicus.* Fundator Ordinis Minorum. *Num.* 40.
- Gasto.* Fundator Ordinis S. Antonii de Vienna. *Num.* 22.
- Gerardus Magnus.* Auctor Congregationis Clericorum vitæ communis. *Num.* 53.
- Gualterus cum duobus Sociis.* Auctor Congregationis Eremitarum S. Hieronymi, quæ Fesulana dicta est. *Num.* 55.
- S. *Guilielmus Abbas Roschildensis.* Reformatoꝝ Ordinis Canonici in Dania. *Num.* 37.
- S. *Guilielmus Eremita.* Conditor Eremitarum Guilielmitarum. *Num.* 33.
- S. *Guilielmus Vercellensis.* Conditor Ordinis Montis Virginis. *Num.* 30.
- S. *Hieronymus.* Eremi incola, & Bethlemitici Monasterii Conditor. *Num.* 12.
- Hieronymus Emilianus.* Conditor Clericorum Regularium, qui de Somascho dicti sunt. *Num.* 66.
- Hieronymus Malusellus.* Auctor Congregationis Sacerdotum Boni JESU, & S. Margaritæ. *Num.* 62.
- S. *Honoratus.* Conditor Monachorum Congregationis Lerinensis. *Num.* 13.
- Jacobus Antonius de Morigia cum duobus Sociis.* Fundator Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Apostoli. *Num.* 64.
- S. *Ignatius de Loyola.* Fundator Societatis JESU. *Num.* 65.
- Innocentius III. P. M.* Auctor Congregationis Sacerdotum Regularium S. Spiritus in Saxia Romæ. *Num.* 38.
- S. *Joannes Baptista.* Princeps Anachoretarum. *Num.* 2.
- Joannes Baptista à Conceptione.* Auctor Ordinis Discalceatorum SSS, Trinitatis de Redemptione Captivorum. *Num.* 82.
- B. *Joannes la Barriere.* Institutor Congregationis Cisterciensis B. MARIÆ Fulienſis. *Num.* 73.
- S. *Joannes Columbinus.* Fundator Fratrum Jesuatorum. *Num.* 51.
- B. *Joannes à Cruce.* Reformationis Carmelitanae Adjutor. *Num.* 79.
- S. *Joannes de Deo.* Fundator Ordinis de Hospitalitate Fratrum Misericordiæ. *Num.* 67.
- S. *Joannes Gualbertus.* Fundator Monachorum Vallis Umbrosæ. *Num.* 21.
- Joannes Leonardi.* Auctor Congregationis Regularium Matris Dei. *Num.* 72.
- S. *Joannes de Matba.* Fundator Ordinis SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum. *Num.* 35.
- S. *Joannes de Mathera.* Auctor Ordinis Pulsanensis. *Num.* 29.
- S. *Joannes Oldratus de Meda.* Instaurator & Promotor Ordinis Humiliatorum. *Num.* 34.
- Joannes à Popula.* Auctor Recollectorum in Ordine Minorum. *Num.* 60.
- Josephus à Matre Dei.* Fundator Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Piarum Scholarum. *Num.* 84.
- S. *Jvo.* Parens diversarum Congregationum in Ordine Canonico. *Num.* 24.
- S. *Laurentius Justinianus.* Promotor & alter Fundator Canonicoꝝ S. Georgii in Alga. *Num.* 58.
- Ludolphus.* Auctor Congregationis Monachorum S. Columbæ de Avellana dictæ. *Num.* 19.
- Ludovicus Blosius.* Propagator & Reformatoꝝ Ordinis Benedictini. *Num.* 70.
- Lupus de Olmedo.* Reformatoꝝ Ordinis S. Hieronymi in Italia. *Num.* 56.
- S. *Macarius.* Parens multorum Monachorum in Ægypto. *Num.* 9.
- Manettus cum sex Sociis.* Fundator Ordinis Servorum B. M. V. *Num.* 43.
- Matthæus de Bassio.* Auctor Capucinoꝝ. *Num.* 61.
- Matthæus Guerra.* Auctor Clericorum Sacroꝝ Clavorum. *Num.* 76.
- S. *Nicolaus Tolentinas.* Propagator Ordinis Eremitarum S. Augustini. *Num.* 48.
- S. *Norbertus.* Conditor Ordinis Canonici Præmonstratensis. *Num.* 31.
- S. *Oddo.* Reformatoꝝ Ordinis S. Benedicti, & Auctor Congregationis Cluniacensis. *Num.* 16.
- S. *Pachomius.* Parens Monachorum Tabennesionitarum. *Num.* 8.
- S. *Paulus I. Eremita.* Princeps vitam anachoreticam profitentium. *Num.* 6.

- S. Petrus Apostolus.* Conditor Hierarchici Ecclesiastici Ordinis, & omnium Deo dicato-
rum Ordinum Origo, *Num. 3.*
- S. Petrus de Alcantara.* Reformator Ordinis Minorum S. Francisci, *Num. 69.*
Petrus de Berulle. Auctor Congregationis Oratorii JESU, *Num. 83.*
Petrus Betancur à S. Joseph. Conditor Fratrum Laicorum in Mexico, qui Bethlehemitici
dicti sunt, *Num. 88.*
Petrus Ferdinandus. Auctor Eremitarum S. Hieronymi in Hispania, *Num. 52.*
- B. Petrus Gambacurta.* Auctor Congregationis Eremitarum S. Hieronymi in Monte Bello,
Num. 54.
- S. Petrus de Morono.* Fundator Ordinis Cœlestinorum, *Num. 46.*
- S. Petrus Nolascus.* Fundator Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum,
Num. 42.
- S. Philippus Benitius.* Propagator Ordinis Servorum B. M. V., *Num. 44.*
- S. Philippus Neri.* Auctor Congregationis Oratorii, *Num. 71.*
Rhedonus cum duobus Sociis. Auctor Congregationis Eremitarum S. Hieronymi, quæ
Fesulana dicta est, *Num. 55.*
- S. Robertus.* Fundator Ordinis Cisterciensis, *Num. 25.*
- B. Robertus de Arbrifello.* Auctor Ordinis Fontis Ebraldi, *Num. 28.*
- B. Robertus Salentinus.* Propagator Ordinis Cœlestinorum, *Num. 49.*
- S. Romualdus.* Fundator Ordinis Camaldulensis, *Num. 18.*
- S. Sabbas.* Institutor innumerabilium Monachorum, *Num. 14.*
- S. Silvester Abbas.* Fundator Ordinis Silvestrinorum, *Num. 45.*
- Beatus Soror.* Fundator Ordinis Fratrum S. MARIÆ de Scala, *Num. 17.*
Sosteneus cum sex Sociis. Fundator Ordinis Servorum B. M. V., *Num. 43.*
- S. Stephanus Abbas.* Propagator Ordinis Cisterciensis, *Num. 27.*
- S. Stephanus.* Fundator Ordinis Grandimontensis, *Num. 20.*
Thomas à JESU. Auctor Discalceatorum Eremitarum S. Augustini, *Num. 80.*
Tobias. Auctor Fratrum Laicorum, qui Alexiani & Cellitæ dicti sunt, *Num. 47.*
Uggucio cum sex Sociis. Fundator Ordinis Servorum B. M. V., *Num. 43.*
Vincentius de Paulis. Auctor Congregationis Clericorum Missionariorum, *Num. 87.*



Index



Index Alphabeticus Ordinum à Sanctis, & Illustribus
Viris in hoc opere adductis conditorum, reformato-
rum, & propagatorum.

- Alexiani, vel Cellitæ Fratres. Num. 47.
S. Ambrosii ad Nemos. Num. 57.
S. Antonii Abbatis. Num. 7.
S. Antonii de Vienna. Num. 22.
S. Augustini. Num. 11. Num. 24. Num. 37. Num. 48.
Augustiniani discalceati. Num. 80.
Barnabitæ. Vide Clerici Regulares S. Pauli Apostoli.
S. Basilii. Num. 10.
S. Benedicti. Num. 15. Num. 16. Num. 70.
Bethlehemitici Fratres. Num. 88.
Boni JESU, & S. Margaritæ Sacerdotes. Num. 62.
S. Cajetani. Num. 63.
Camaldulenses. Num. 18.
Capucini. Num. 61.
Carmelitæ. Num. 1. & Num. 39.
Carmelitæ discalceati. Num. 79.
Carthusienses. Num. 23.
Cellitæ Fratres. Vide Alexiani.
Charitatis & S. Hippolyti Fratres. Num. 75.
S. Charitonis Monachi. Num. 5.
Cistercienses. Num. 25. Num. 26. Num. 27. Num. 32. Num. 73.
Clerici Clavorum Sacrorum. Num. 76.
Clerici Missionarii. Num. 87.
Clerici vitæ communis. Num. 53.
Clerici Regulares Doctrinæ Christianæ. Num. 81.
Clerici Regulares infirmis ministrantes. Num. 77.
Clerici Regulares Matris Dei. Num. 72.
Clerici Regulares Minores. Num. 78.
Clerici Regulares S. Pauli Apostoli, vulgò Barnabitæ dicti. Num. 64.
Clerici Regulares pauperes Matris Dei Piarum Scholarum. Num. 84.
Clerici Regulares de Somascho. Num. 66.
Clerici Regulares S. Spiritus in Saxia. Num. 38.
Cluniacenses. Num. 16.
Cœlestini. Num. 46. Num. 49.
Coloriti Eremitæ Regulares. Num. 68.
S. Columbæ de Avellana. Num. 19.
Cruciferi Monachi. Num. 4.
Fontis Ebraldi Monachi. Num. 28.
S. Georgii in Alga Canonici. Num. 58.
Grandimontenses Monachi. Num. 20.
Guilielmitæ Eremitæ. Num. 33.
S. Hieronymi. Num. 12.
Hieronymitæ Eremitæ in Hispania. Num. 52.

Hiero-

Hieronymitarum Congregatio Fesulana. *Num.* 55.
 Hieronymitæ Reformati in Italia. *Num.* 56.
 Hieronymitæ in Monte Bello. *Num.* 54.
 Hospitalitatis, sive Misericordiæ Fratres. *Num.* 67.
 Humiliati. *Num.* 34.
 Jesuati. *Num.* 51.
 Lerinenses Monachi. *Num.* 13.
 S. Macarii Monachi. *Num.* 9.
 S. MARIE de Mercede Redemptionis Captivorum. *Num.* 42.
 S. MARIE de Scala Fratres. *Num.* 17.
 Minimi. *Num.* 59.
 Minores. *Num.* 40.
 Minores Recollecti. *Num.* 60.
 Minores Reformati à S. Petro de Alcantara. *Num.* 69.
 Misericordiæ Fratres. *Vide* Hospitalitatis.
 Montis Oliveti Monachi. *Num.* 50.
 Montis Virginis Monachi. *Num.* 30.
 Oblati S. Ambrosii. *Num.* 74.
 Oratorii Congregatio. *Num.* 71.
 Oratorii Domini JESU Congregatio. *Num.* 83.
 S. Pachomii Monachi. *Num.* 8.
 S. Pauli I. Eremitæ. *Num.* 6.
 Piarum Scholarum. *Vide* Clerici Regulares.
 Pii Operarii Sacerdotes. *Num.* 86.
 Prædicatores. *Num.* 41.
 Præmonstratenses. *Num.* 31.
 Pullanenses Monachi. *Num.* 29.
 S. Sabbæ Monachi. *Num.* 14.
 Sanctimonialis de Visitatione B. M. V. *Num.* 85.
 Servi B. MARIE Virginis. *Num.* 43. *Num.* 44.
 Silvestrini Monachi. *Num.* 45.
 Societas JESU. *Num.* 65.
 Somaschensis Congregatio. *Vide* Clerici Regulares.
 S. Spiritus in Saxia. *Vide* Clerici Regulares.
 Theatini Clerici Regulares. *Vide* S. Cajetani.
 SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum. *Num.* 35. *Num.* 36.
 Trinitarii Discalceati Reformati. *Num.* 82.
 Vallis Umbrosæ Monachi. *Num.* 21.



Menda

Emendata.

Numero.	Paginâ.	Lineâ.	Menda	Emendata.
II.	2.	17.	tui interitûs, nuncius	tui interitus nuncius,
V.	2.	1.	â carcere dimittitur	è carcere dimittitur
VI.	2.	27.	fœcunda erat Pauli, virtus	fœcunda erat Pauli virtus,
VII.	2.	6.	fœdis mulierum	fœdis mulierum
-----	--	7.	conculcâret.	conculcâret.
-----	--	26.	virtutem & signorum	virtutum & signorum
VIII.	2.	13.	sanguini	sanguine
XII.	2.	15.	quod virtutis	quot virtutis
XIX.	2.	31.	Electiõni, cesserat;	Electiõni cesserat;
XXI.	2.	in limb.	S. GA-	GA-
XXII.	1.	45.	& audit.	& audivit.
XXIII.	2.	12.	Clàm Roma	Clàm Româ
XXIX.	2.	20.	Joannes mox	Joannes, mox
-----	--	25.	aspexit vel	aspexit, vel
XXXIV.	2.	3.	incolerent	incolerent.
XXXVIII.	1.	54.	Arragoniæ	Aragoniæ
-----	2.	5.	luxum & prodigalitem	luxum & prodigentiam
XLII.	1.	56.	iconem.	iconem
-----	2.	13.	<i>Non de deseram</i>	<i>Non te deseram</i>
XLV.	1.	8.	pædagogum	pædagogum
XLVI.	1.	33.	tirocinium	tirocinium.
XLVIII.	1.	34.	Secum	Secum
LII.	1.	18.	Castelli Regi	Castellæ Regi
-----	--	45.	cum in eremo	cùm in eremo
LIII.	1.	39.	disfinere	desfinere
-----	--	46.	amoverat;	amaverat;
-----	2.	6.	dirè	truculenter
LIV.	1.	7.	majorem,	majorem.
-----	--	28.	cæpit.	cœpit.
LXIV.	2.	40.	tererent.	tererent
LXVI.	1.	8.	Cum alius à se esse cæpit.	Cùm alius à se esse cœpit.
LXVII.	1.	17.	columnam.	columnam
LXVIII.	2.	40.	homines cælestes:	homines cælestes.
LXXIV.	2.	24.	aussuesceret.	assuesceret.
LXXVII.	1.	45.	transit	transit:
LXXIX.	2.	2.	sæpius immaniter	sæpius crudeliter
LXXXIII.	2.	3.	Obstupuit Gallia &	Obstupuit Gallia, &
LXXXIV.	2.	39.	persisteret:	persisteret.
LXXXVIII.	1.	46.	consolationis	consolationis.

*Errores reliquos, vel minoris momenti, vel qui has paginas revisentis oculos
subterfugere, Benevolo Lectori corrigendos transcribimus.*

Emendata

Menda

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84	85	86	87	88	89	90	91	92	93	94	95	96	97	98	99	100
---	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	-----



—



M

1622

N12<917564813025



Universitätsbibliothek Freiburg



Menda

Emendata.

Numero.	Paginâ.	Lineâ.	Menda	Emendata.
II.	2.	17.	tui interitûs, nuncius	tui interitus nuncius,
V.	2.	1.	â carcere dimittitur	è carcere dimittitur
VI.	2.	27.	fœcunda erat Pauli, virtus	fœcunda erat Pauli virtus,
VII.	2.	6.	fœdis mulierum	fœdis mulierum
-----	--	7.	conculcâret.	
-----	--	26.	virtutem & signorum	
VIII.	2.	13.	sanguini	
XII.	2.	15.	quod virtutis	
XIX.	2.	31.	Electiõni, cesserat;	
XXI.	2.	in limb.	S. GA-	
XXII.	1.	45.	& audit.	
XXIII.	2.	12.	Clàm Roma	
XXIX.	2.	20.	Joannes mox	
-----	--	25.	aspexit vel	
XXXIV.	2.	3.	incolerent	
XXXVIII.	1.	54.	Arragoniæ	
-----	2.	5.	luxum & prodigalitem	
XLII.	1.	56.	iconem.	
-----	2.	13.	<i>Non de deseram</i>	
XLV.	1.	8.	pædagogum	
XLVI.	1.	33.	tirocinium	
XLVIII.	1.	34.	Secùm	
LII.	1.	18.	Castelli Regi	
-----	--	45.	cum in cremo	
LIII.	1.	39.	disinere	
-----	--	46.	amoverat;	
-----	2.	6.	dirè	
LIV.	1.	7.	majorem,	
-----	--	28.	cæpit.	
LXIV.	2.	40.	tererent.	
LXVI.	1.	8.	Cum alius â se esse cæpit,	
LXVII.	1.	17.	columnam.	
LXVIII.	2.	40.	homines cælestes:	
LXXIV.	2.	24.	aussuesceret.	
LXXVII.	1.	45.	transiit	
LXXIX.	2.	2.	sæpius immaniter	
LXXXIII.	2.	3.	Obstupuit Gallia &	
LXXXIV.	2.	39.	persisteret:	
LXXXVIII.	1.	46.	consolationis	

*Errores reliquos, vel minoris momenti,
subterfugere, Benevolo Lectori corrige*

